НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

VI-41

# PUBLII OVIDII NASONIS METAMORPHOSEΩN LIBRI XV.

Ad fidem editionum optimarum & codicum Manuſcriptorum examinati, animadverſi, nec non notis illuſtrati.

Operâ & ſtudio
THOMAE FARNABII.



AMSTELODAMI
Typis IOANNIS IANSSONII
M. DC. XXXIX.

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

БИБЛІОТ. ИМПЕРАТ. НОВОРОС. УНИВЕРСИТЕТА

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

REVERENDISSIMO
in Chriſto Patri, ac Honoratiſ-
ſimo Domino,

# D. GVLIELMO,

*Cantuarienſi Epiſcopo, totius
Angliæ Primati ac Metropolitano,
Regiæ Majeſtati à Conſiliis ſanctiori-
bus, & Academiæ Oxonienſis Can-
cellario.*

LAude uſque naſcenti cu-
mulavit eos Antiquitas,
laureâ æternùm virenti
coronabit eos Poſteritas,
quorum virtus Heroica miſellos du-
ro fato aut iniquâ fortuna preſſos ex
Orci quaſi faucibus, vindiciis ſecun-
dum libertatem datis, aſſeruit. Lem-
niſcatas utique laudes ad Nomen
tuum, tanquam ad numen & aram
Iovis Liberatoris & Vindicis, gratus

 ac me-

ac memor, liber ac lubens figo, cujus virtute & gratiâ iſti qualeſcunque mei in poëtis enodandis labores, chalcographorum pluſquam aheneis vinculis emancipati, & juri ſuo redonati, lucem vident. Atque utinam gratias laureatas æquè agere mihi in promptu eſſet! quanquam & hoc fortaſſe æquius ſit, gratias, quibus referendis impar ſiem, ſubinde agere, ſemper habere, uſque ſolvere; & debere tamen. Neque interea tam imprudens ſum rerum æſtimator, ut neſciam quinam debeantur illi honores; cujus pietate viget Eccleſia, renaſcuntur templa; cujus munificentiâ & gravitate, renident Sophiæ Lares, Muſarum ædes; florent ſanitati ſuæ reſtitutæ Academiæ; cujus prudentiâ ſtatuminantur Regia conſilia, Reip. ſalus ſarta tecta conſervatur. Debentur certè illi, jure ſolvuntur dedicata Theophylacti,





Catenæ Iobi, SS. Patrum, graviſſimorum Theologorum, ex antiquitatis ſitu & ruderibus operâ ſuâ erutorum æterna monimenta. Et quâ tandem fiducia, alter ego Sinætes aquæ cotylam, alter Miſes malum Punicum offero, aut hac profani thuris acerrâ litare ſpero? Propenſâ certè, & mihi jam olim, ab iis uſque annis, quibus utrique dulcia fuerunt hæc Humanitatis ſtudia, ſpectatâ Gratiâ Tuâ fretus, animatum Bonitate templum ſupplex accedo. Cujus penetralia ingreſſo ſi non datur Theologiæ laurum figere: orare tamen in limine ut liceat, has qualeſcunque ederas ſuſpendere, atque à longè adorare, cultor religioſus peto. Atqui, *ne fortè pudori Muſa Palæphatiâ Tibi ſit ſuccincta papyro*; virtutis ſuæ conſcia, precium ſibi ponere non veretur. Et latent & lucent electro hoc incluſa poëtico, Theologia ve-

terum, atque Sapientia. Illa, Mundi creationem, diluvium, non paucas hiſtorias quæ SS. paginæ notitiam Ægyptiis acceptam relatam ſapiunt, recenſet: Hæc, fabularum utcunque involucris velatam, complectitur Philoſophiam omnigenam; quam vel Samius ipſe tacendo dixit; vel Stoæ, Academiæ, aut Lycei patres docuerunt; Scita ſcilicet, & Placita, quæ Naturam, Mores, Politiam informant: Hiſtoriam denique ab Orbe condito ad Auguſti tempora miro contextam artificio perpetuat. Quibus omnibus cum lucem adferre ſtuduerim, tum id inprimis curæ & officii mei eſſe duxi, ut clara illa eſſet, nec quæ ex trivio ſumpta patrocinium tantum devenuſtaret. *μὴ κατὰ τὴν τύχην σὴν ὦ σεβαστὲ, μήτε ψυχήν. εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν.* ut olim Auguſto Græculus. Ubi itaque demerendi deeſt facultas, pro more, ad vo-

vendi



vendi decurrerem facilitatem; niſi ſatius duxiſſem, Virtutem, quę ſuâ ſatis luce claret, in mentis adyto venerari, quàm epiſtolæ propylęo adorare.

*Ampliſſimæ Dignitatis Tuæ*

vetus fidúſque cliens

THO. FARNABIUS.

# Publii OVIDII Nasonis *METAMORPHOSEΩN LIBER I.

*Válet, uti par eſt, plurimùm Fabii autoritas; qui l. 4. Inſtitut. c. 1. Metamorphoſeos mentionem facit in ſingulari. *Apulei*

[2] *IN nova fert animus* [b] *mutatas dicere formas*
*Corpora. Dii cœptis (nam vos mutaſtis* [c] *& illas)*

epigraphe etiam ſingularis eſt, ut quæ ſui ipſius unica & ſingularis Metamorphoſis. Virgilii Æneis, Statii Thebais & Achilleis efferuntur item ſingularia; ut quæ unius perſonæ, aut uno in loco geſta referant. Prævalent tamen, tum in opere ipſo multifariæ transformationes, ut Metamorphoſeis in Multitudinis numero inſcribatur opus; tum Græcorum exemplum, quos ſibi noſter, concinnatis potiùs illorum rhapſodiis, quàm compilatis ſciniis, imitandos ſumſit. Namque Parthenius, poeta Chius, cujus unicus, quod ſcio, ſupereſt verſus ab A. Gellio citatus l. 13. c. 25. ejuſdem argumenti opus inſcripſit Plurale. Suum item Antonius Liberalis Μεταμορφώσεων ἀγωγήν, ut &, quos ipſe citat, Nicander ἑτεροιούμενα, Didymarchus Μεταμορφώσεων βίβλους, Antigonus ἀλλοιώσεις, Corinna ἑτεροίων βίβλους, Planudes denique Græcam ſuam poetæ noſtri verſionem inſcripſit Μεταμορφώσεις. Quin & Mss. quorum mihi uſum indulſit benignitas clariſſimi atque Eruditiſſimi Viri Domini *Rogeri Twiſdin* Equitis Aurati & Baronetti, titulum præferunt pluralem. a *Corpora mutata in novas formas*. ſic n. ipſe 2. Triſt. *in facies corpora verſa novas*. Quā Hypallagen ſi admiſiſſet modò, vel etiam advertiſſet Scaliger Hypercritic. 7. c. non licenter adeò atque infeliciter operis hujus principium, ob brevitatem puram ac ſcitam laudatum priùs, locutionis deinde inuſitatæ damnâſſet, neque pro laudato hoc Ovidii diſticho bono obtruſiſſet nobis pentaſtichon malum & ſuum (conſultò & eleganter a poetâ factum judicat Ger. Voſſius, ut qui de corporum converſione eſſet dicturus, à verborum converſione auſpicaretur) b Nec immiti æquè cenſura, ſyllabam *mu* iteratam roſſet, quæ compoſitio veteribus poetis, iiſque majorum gentium, uſque adò non diſplicuit, ut etiam in delitiis fuerit, obtinueritque inter Schemata locum, Parechēſis nuncupata. c *Et illas?* inquit idem Scal. *&* *quid aliud?* Non aliud certè quàm ab iratâ Critica impactum ſugillum ſupercilioſo Cenſori, qui Cauſalem à Copulativa non diſcreverit. Habet n. Conjunctio *&* vim Emphaticam in Ætiologia Invocationis, q. d. *Dii (nam & ipſi etiam vos mutaſtis illas) aſpirate cœptis meis*. Iamdudum exploſa eſt ab eruditis Interpretatio ab ordine illo; *Nam mutaſtis vos & illas*. Quo quidem modo, inquit Raphael Regius, ſenſus ex eleganti inſulſus redditur; periitque univerſa Emphaſeos gratia. Ineptum utique foret & ſupervacuum, quando vox iſta *illas* includat etiam ipſas Deorum mutatas formas.

 *Aſpi-*

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

*Aſpirate meis; primaque ab origine mundi*
*Ad mea* [d] *perpetuum deducite tempora carmen.*

d Κύκλιον ἐπικόλλητον, continuum: quæ ſumma laus eſt tum ingenii tum artificii poetæ noſtri, fabulas tot tam reconditas, tam variî argumenti, continuâ ſerie, & quaſi contiguâ ſtructurâ ad modum annulorum in torque aut catena conſertorum, ab orbe uſque codnito ad Auguſti tempora, connectentis. *Hor.* 1. *l.* 7. *Ode*, Carmine perpetuo celebrare.

## Chaos, & Mundi creatio FAB. 1.

*ANte mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,*
[e] *Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,*
*Quem dixêre Chaos; rudis indigeſtaque moles:*
*Nec quicquam, niſi pondus iners, congeſtaque eôdem*
*Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.*
*Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,*
*Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe,*
*Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus,*
*Ponderibus librata ſuis: nec brachia longo*
*Margine terrarum porrexerat Amphitrite.*
*Quâque erat & tellus, illîc & pontus, & aër.*
[f] *Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda,*
*Lucis egens aër: nulli ſua forma manebat.*
*Obſtabatque aliis aliud: quia corpore in uno*
*Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,*
*Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.*
*Hanc* [g] *Deus, & melior litem natura diremit.*

e Antequã Mundi partes erant diſtributæ & deſignatæ, Cœlum expanſum, ſidera emerſa, elementa diſcluſa; tellus ſc. (ſubſidente ad centrum quaſi πάντων ἕδος graviori τῆς ὕλης fæce) in medio preſſa & ἰσόῤῥοπος ſuſpẽſa, aqua diffuſa, &c. latuerunt rerum ſemina inerti mole promiſcuè confuſa, quam Chaos poetæ, primam materiam indigitarunt philoſophi. *Vnaque erat facies, ſidera, terra, fretum*, noſter 2. de Arte. ὁ δ' οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία. Euripid. Menalippa. Atque hinc lucem fore auguror iis quæ ſequ. *Quaque erat & tellus*, &c. Litatum ſimul Scaligeri captiunculæ; *Qui* inquit, *poterant eſſe ſi non erant?* Repudium denique & nuncium miſſum lectioni Porphyrionis ad 4. Oden 3. l. *Horat. Quaque fuit tellus: illic & pontus, et aër. Quaque* pro *quaquaverſum, ut* pro *ubi* expoſito. f Hinc elementa, nondum formas ſuas, nondum loca propria, nec qualitates naturales nacta, impediebantur à ſe invicem, ne proprias exererent actiones ac munera. g Deus emendatæ jam rerum naturæ author, Natura naturans, Mens Mundi, univerſi ποιητὴς, κτίστης, πλάστης, Creator, conditor, diribitor, & formator, *Ille opifex rerum, mundi melioris origo*, inf. v. 79. qui numero, menſura, pondere diſpoſuit omnia; elementa ſingula propria donavit ſede, peculio ſuo dotavit. Sed videndus Philo περὶ κοσμοποιΐας, & Ambroſii Hexaemeron, & Piſidæ κοσμουργία.

Nam



*Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas,*
*Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aëre cœlum.*
*Quæ poſtquam evolvit, cæcóque exemit* [h] *acervo,*
*Diſſociata locis* [i] *concordi pace ligavit.*
*Ignea convexi vis & ſine pondere cœli*
*Emicuit,* [k] *ſummâque locum ſibi legit in arce.*
*Proximus eſt aër illi levitate, locóque.*
*Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,*
*Et preſſa eſt gravitate ſui. Circumfluus humor,*
[l] *Vltima poſſedit, ſolidumque coërcuit orbem.*

h Mole confuſâ, Chao. i Tria rerum principia ſtatuit Heſiodus in Theogonia, Chaos, Terram, Amorem. Empedocles elemẽta quatuor, & facultates duas, Amicitiam & Litem. Verùm de his placitis, ut & elementorum qualitatibus, videndus naturæ promicondus Ariſtoteles, & Philoſophi alii: nec non Laertius, atque Plutarchus de Placitis Philoſophorum. *k* Proxime cœlum. *l* Extima terræ naturali quidem ſede & ratione occupat aqua: quò tamen extaret terra in hoſpitium & uſum animantium, juſſa eſt recedere in cavitates quaſdam, maria, fontium domos, flumina, lacus.

## Hominis creatio. FAB. 2.

*SIc ubi diſpoſitam, quiſquis fuit ille deorum,*
*Congeriem ſecuit, ſectamque in membra redegit:*
*Principio terram, nè non æqualis ab omni*
*Parte foret,* [m] *magni ſpeciem glomeravit in orbis.*
*Tum freta diffudit, rapidiſque tumeſcere ventis*
*Iuſſit, & ambitæ circumdare litora terræ.*
*Addidit & fontes, & ſtagna immenſa, lacuſque,*
*Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis:*
[n] *Quæ diverſa locis partim ſorbentur ab ipſa;*
*In mare perveniunt partim,* [o] *campoque recepta*
*Liberioris aquæ,* [p] *pro ripis littora pulſant.*
*Iuſſit & extendi campos, ſubſidere valles,*
*Fronde tegi ſylvas, lapidoſos ſurgere montes.*
[q] *Vtque duæ dextra cœlum, totidemque ſiniſtra*

m Mare cũ terrâ conſtituunt unum globũ. n Nilus Euphrates, Alpheus, alii fl. abſorbentur quidem à terra, ſed rurſus emergunt. videtur autem poeta innuere fl. quoſdã, qui non emergunt, neque deferuntur in mare alveis apertis. o Æquore. Sic infrà v. 315. *latus ſubitarum campus aquarum.* p In mare ſe exonerant. *Ripæ* enim proprie fluminum ſunt, *littora* maris. q Dividunt cœlum Aſtronomi ſecundùm latitudinem in quinque Zonas: mediam inter Tropicos *Torridam* vocant; duas extremas, Polis ſubjectas hanc ad polum Arcticum *Dextram*, illam ad Antarcticum *Siniſtram*. Inter has & Torridam alterutrinque *Temperatam* ſtatuunt. Cui diviſioni & Terram ſubjacentem reſpondere volunt. Mediam propter ſolis ardores antiqui credebant inhabitabilem, ut & duas extremas propter frigus. Vide Io. de ſacro Boſco, ad eum Clavium & alios. ad ſomn. Scip. Macrobium. Tuſc. quæſt. 1. l. & quæ nos eò ad Georg. 1. Virg.



Parte

Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu;
Nix tegit alta duas: totidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit, miſta cum frigore flamma.
Imminet his aër, qui quanto eſt pondere terræ,
Pondere aquæ levior; tanto eſt oneroſior igne.
Illic & nebulas, illic conſiſtere nubes
Iuſſit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus [r] facientes frigora ventos.
His quoque non paſſim mundi fabricator habendum
Aëra permiſit. Vix nunc obſiſtitur illis,
( Cum ſua quiſque regat diverſo flamina tractu )
Quin lanient mundum: Tanta eſt diſcordia [s] fratrum.
[t] Eurus ad Auroram, [u] Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis.
Veſper, & occiduo quæ litora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro: Scythiam, [x] ſeptemque triones
Horrifer invaſit Boreas; [y] contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro:
Hæc ſuper impoſuit liquidum & gravitate carentem
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.
Vix ita limitibus diſcreverat omnia certis:
Cum, quæ preſſa diu maſſa latuere ſub ipſa,
Sidera cœperunt toto * effervescere cœlo.
Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba:
[z] Aſtra tenent cœleſte [a] ſolum, formæque Deorum;
[b] Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ;
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ

r Iacobus a Cruce legit *fulgentes fulgura ventos*, motus iis verſibus qui habentur l. 3. *Queis nimbos, immixtaque fulgura ventis Addidit, & tonitrus, & inevitabile fulmen*, pro fatuo & inſulſo ſenſu damnans lectionem vulgarem, nec quæ majeſtati divini operis reſpondeat, quæ tamen retineri poteſt, cùm ex fulminibus fulgura poſſint intelligi, & frigus vento excitari. ſ Ventorum qui Auroræ & Aſtræi gigantis filii. Heſ. Theog. t Ventos tantùm principales a quatuor mundi cardinibus deſignat Noſter. de cæteris vide Phyſicos, Meteorologos, nec non A. Gell. 2. l. c. 22. Noti ſunt illi verſus Manilii l. 1. *Aſper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu, Auſter habet medium ſolem, Zephyrúſque cadentem.* Adi Senecam l. 5. Nat. Quæſt. 6. c. iſta citantem. u Arabiæ regionem, h. *Barraab* x Ἄμαξαν ἑλίκην, urſam majorem. A. Gell. 2. l. 21. c. y Meridionalis Antarctica, Septentrionali oppoſita. z Platonicos ſequitur, qui aſtra & Deos in ordinem animalium retulerunt. * Sic Ms. omnes. pro quo interlinearis ſurrepſit lectio *fulgeſcere*. a Fundamentum ei cui ſubjacet, ὑπέχον. ſic mare navibus ſolum, terra viris &c. Serv. ad 7. Æn. ubi menſæ vel quadræ dicuntur à Virgilio *Cereale ſolum*. b In jus & poſſeſſionem, quaſi in diviſione obtigerunt.

*Deerat*



c Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt: ſive hunc [d] divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi [e] melioris origo:
Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere, [f] cognati retinebat ſemina cœli:
Quam [g] ſatus Iapeto miſtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
[h] Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.
Sic, modo quæ fuerat rudis & ſine imagine tellus,
Induit ignotas hominum converſa figuras.

c In creatione ultimus, qui in dominio ſummus. d Hoc ex Academ. & Stoa, quibus anima humana eſt ſcintilla cœleſtis, & divinæ particula auræ. e Digeſti jam & exornati. f Cui admixtum nuper fuerat in confuſa maſſa, Chao. g Prometheus, quem cur poëtæ finxerint αἰθεροποιοῦντα, vide Cœlium Rhodigin. l. 7. c. 19. h vide Cic. 2. de Natura Deorum, & de Leg. Seneca 94 epiſt. Apul. 1. apol. Lactan. l. 4. c. 20.

## Quatuor mundi ætates. FAB. 3.

i Aurea prima ſata eſt ætas, quæ, vindice nullo,
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat.
Pœna metuſque aberant; nec vincla [k] minantia fixo
Ære ligabantur: nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui; ſed erant ſine judice tuti.
Nondum cæſa ſuis, peregrinum ut viſeret orbem,
Montibus, in liquidas pinus deſcenderat undas:
Nullaque mortales præter ſua litora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ;
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat: ſine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.
Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis

i Fabulæ hujus originem acceptam relatam volunt Sybillis, nec non Hebræis, e quibus fortè inaudierant Græci quædam de ſtatua per ſomnum oblatâ Nabuchodonoſori, cui caput aureum, humeri argentei, &c. quam interpretatus eſt Daniel de quatuor imperiis. Refert Heſiodus 5 ætates: à quo non pauca mutuatus eſt noſter, ut & ab Arato & Fabio Pictore. Quinam poetæ in eodem argomento luſerint, vide Indicem noſtrum Poeticum. k Interdicentia, pœnam minitantia. Leges verò æreis tabulis inciſæ clavis ferreis adſigebantur parietibus, Vbi malos mores affigi fuerat æquius: ut jocatur ille apud Plautum in Trinummo. Al. legunt, *minitantia collo Æra ligabantur*. Alii, *Nec vincla minantia fixo Ære legebantur.*



*Saucia*

Saucia vomeribus, [l] per ſe dabat omnia tellus.
Contentique cibis nullo cogente creatis,
[m] Arbuteos fœtus montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula [n] Iovis arbore glandes.
Ver erat æternum; placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
[o] Nec renovatus ager gravidis canebat ariſtis.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant:
Flavaque de viridi ſtillabant ilice mella.

l Καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε, ἢ ἄφθονον. Heſiod. ἔργ. m Alii leg. Arboreos fœtus. ut 15. l. Pythagoras. & Virg. 1. Georg. n Quercu, jovi ſacrâ; uti laurus *Apollini*, *Herculi* populus, *Marti* fraxinus, ſed *Minervæ* olea, ut habet Avieni fab. o Nec opus erat opera aut imperio agricolæ ad meſſem opimam.

## Quatuor anni tempora. FAB. 4.

POſtquam, [p] Saturno tenebroſa in Tartara miſſo,
Sub Iove mundus erat, ſubiitque argentea proles,
[r] Auro deterior, fulvo pretioſior ære:
Iuppiter [s] antiqui contraxit tempora veris,
Perque hyemes, æſtuſque, & [t] inæquales autumnos,
Et breve ver, ſpatiis exegit quatuor annum.
[u] Tum primum ſiccis aër fervoribus uſtus
Canduit; & ventis [x] glacies aſtricta pependit.
Tum primum ſubiere domos: domus antra fuerunt,
Et denſi frutices, & [y] junctæ cortice virgæ.
Semina tum primum longis Cerealia ſulcis
Obruta ſunt, preſſique jugo gemuere juvenci.
Tertia poſt illam ſucceſſit ahenea proles,
Sævior ingeniis, & ad horrida promptior arma;
Non ſcelerata tamen. De duro eſt ultima ferro.
Protinus erupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: [z] fugere pudor, verumque, fideſque:
In quorum ſubiêre locum fraudéſque, dolique.

p Fabulam Saturni à Iove exacti & in Tartara deturbati lege apud Natalem Comitem l. 2. c. 2. Lactantium l. 7. c. 13. Macrobium l. 1. c. 7. r Χρυσῷ οὔτε φυὴν ἐναλίγκιον οὔτε νόημα. Heſ. ἔργα. s Æterni illius, & perpetui ſub Saturno in ætate aurea. t Temperie & tempeſtate incertos, modò calore æſtuantes, modò frigore rigentes; atque hinc morbidos. Al. *inæquales autum.* u Lege 1. Geog. Virg. Inde; *Ante Iovem nulli ſubigebant arva coloni*, &c. x Stiria. y Al. *vinctæ.* ſc. in modum cratis. z Ὤχετο μὲν πίστις, &c. Theognis lege & Iuvenalis Sat. ſextam. *Credo pudicitiam Saturno rege moratam*, &c.





Inſidiæque, & vis, & [a] amor ſceleratus habendi.
Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos,
Navita, [b] quæque diu ſteterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis inſultavêre carinæ.
Communémque prius, ceu lumina ſolis & auræ,
Cautus humum longo ſignavit limite menſor.
Nec tantùm ſegetes alimentaque debita dives
Poſcebatur humus; ſed [c] itum eſt in viſcera terræ:
Quáſque recondiderat, Stygiiſque admoverat umbris,
EFFODIUNTUR opes, irritamenta malorum.
Iámque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, [d] quod pugnat utroque,
Sanguineâque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto: [e] non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero: fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
[f] Lurida terribiles miſcent [g] aconita novercæ:
Filius ante diem patrios [h] inquirit in annos.
Victa jacet pietas: & [i] virgo cæde madentes
Ultima [*] cœleſtium terras [k] Aſtræa reliquit.

a Avaritia per fas & nefas, per omne ſcelus ferro armata & veneno ad opes graſſata. b Τίπτε με τλῶ ἀνέμοισιν ἀλώσιμον, &c. *Antholog.* α. εἰς Νῆας. c. *Video*, inquit Seneca 7. l. Benef. c. 10 *Ferrum ex iiſdem tenebris prolatum, quibus argentum & aurum: ne aut inſtrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut precium.* Lege & ipſius Epiſt. 94. & Plin. præfat. *Imus in viſcera ejus*, &c. d Quis non audivit Philippi Macedonis arma victricia, ἀργυρέας λόγχας, & aſinum auro onuſtum: Græciam auro ejus non ferro ſubactam? e Οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόκῳ, οὐδ' ἕταιρος ἑταίρῳ, &c. *Heſ.* ἔργ. citantur hi noſtri poetæ verſus à Seneca 5. l. Benef. c. 15. f Ab effectu. Iuven. 1. Sat. *nigros efferre maritos*, veneno ſc. extinctos. g Herbæ venenoſæ genus, è ſpuma Cerberi. inf. l. 7. h Conſulturus Mathematicos, ſuper diuturnitate vitæ patris ſui. *Nota Mathematicis geneſis tua: ſed grave tardas expectare colos.* Iuven. 14. Sat. i Ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτον, προλιπόντ' ἀνθρώπους Αἰδὼς καὶ Νέμεσις, Heſ. ἔργ. k Aſtræi filia: Heſiodo Iovis filia: cur virgo fingatur, & graphicam Iuſtitiæ imaginem vide apud *A. Gell*, l. 14. c. 4. * Vide quæ ad verſ. 500. l. 8.

## [l] Gigantomachia. FAB. 5.

NEve foret terris ſecurior arduus æther;
Affectâſſe ferunt regnum cœleſte Gigantes,
Altaque congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes.
Tum pater omnipotens miſſo perfregit Olympum
Fulmine, & excuſſit ſubjectum Pelion Oſſæ.
Obruta mole ſua cùm corpora dira jacerent;
Perfuſam multo natorum ſanguine terram
Immaduiſſe ferunt, calidumque animaſſe cruorem.
Et, ne nulla ſuæ ſtirpis monumenta manerent,
In faciem vertiſſe hominum: ſed & illa propago
Contemptrix ſuperûm, ſævæque avidiſſima cædis,
Et violenta fuit. Scires [m] è ſanguine natam.

[l] Videtur fabula hæc Gigantum, montes montibus aggerentiū quo cœlum expugnarent, adūbrata ex notione aliqua Hiſtoriæ ſacræ, & reſpicere turris Babylonicæ ſtructuram. ἴσως τις τὰ παρὰ τοῖς ποιηταῖς μυθευόμενα περὶ τῶν γιγάντων οἴεται τὸν νομοθέτην αἰνίττεσθαι, πλεῖστον ὅσον διεστηκότα τοῦ μυθοπλαστεῖν, καὶ τοῖς τῆς ἀληθείας ἴχνεσιν αὐτῆς ἐπιβαίνειν ἀξιοῦντα. Philo. Iud. 1. de Gigantibus. Erant autem γηγενεῖς Terræ & Cœli filii, Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος Οὐλύμποιο. Orpheus. Vide Claudiani Gigantomachiam, & quæ citantur à nobis in *Poëtico Indice*, ſub titulo, *Gigantomachia*. Videautur & Mythologi, Hyginus 28. fab. Apollodorus l. 1. Ant. Liberalis fab. 28. Ge. Sabinus, Natalis Comes 6. l. c. 21. & 22. quorum alii interpretantur Gigantes fuiſſe rebelles, ſeditioſos, impios, ſacrilegos: alii Tyrannos, alii ventos Typhonas. Οὐ μὴν ἐς ἀγῶνα ἐλθεῖν τοῖς θεοῖς ἀλλ' ὑβρίσαι μὲν τάχα ἐς τοὺς νεὼς αὐτῶν καὶ τὰ ἕδη &c. Philoſtratus l. 5. de vita Apollonii c. 6. in cujus Heroicis lege & tit. ἀμπελουργόν. Philo l. de Gigant. γῆς μὲν γεγόνασι ἄνθρωποι οἱ θηρευτικοὶ τῶν σώματος ἡδονῶν, &c. Ioſephus 1. l. 4. c. refert, progeniem hanc fuiſſe Angelorum, ſeu filiorum Dei cum filiabus hominum, congredientium. *m* Nec inſcitè Ægyptii tradunt vites è ſanguine Gigantum natas, quippe quarum latice mentes hominum inſenſatæ, denuo θεομαχεῖν incitantur.

## Lycaon in Lupum. FAB 6.

QVæ pater ut ſumma vidit Saturnius arce,
Ingemit: & facto nondum vulgata recenti
Fœda Lycaoniæ referens convivia [n] menſæ,
Ingentes animo, dignas Iove, concipit iras:

[n] Al. cœnæ.





Conciliumque vocat; tenuit mora nulla vocatos.
Eſt via ſublimis cœlo manifeſta ſereno,
[o] Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo.
Hac iter eſt ſuperis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum: dextra, lævaque deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitat diverſa locis: à fronte potentes
[p] Cœlicolæ, clarique ſuos poſuêre [q] penates.
Hic locus eſt, quem, ſi verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixiſſe palatia cœli.
Ergò ubi marmoreo ſuperi ſedêre receſſu;
Celſior ipſe loco, ſceptróque innixus eburno,
[r] Terrificam capitis concuſſit tèrque, quaterque
Cæſariem; cum qua terram, mare, ſidera movit.
Talibus inde modis ora indignantia ſolvit:
Non ego pro mundi regno magis anxius illâ
Tempeſtate fui, qua centum quiſque parabat
Injicere [s] anguipedum captivo [t] brachia [u] cœlo.
Nam, quanquam ferus hoſtis erat, tamen illud [x] ab uno
Corpore, & ex una pendebat origine bellum.
Nunc mihi, quà totum Nereus circumſonat orbem,
Perdendum eſt mortale genus: [y] per flumina juro
Infera, ſub terras Stygio labentia luco.
Cuncta priùs tentanda: ſed immedicabile vulnus

[o] De lacteo circulo, præter philoſophos, vide Macrob. 1. l. 15. c. de ſomnio Scip. & Manil. aſtron. 1. l. & Hygin. l. 2. & Turneb. adv. l. 13. c. 2. [p] Qui ſc. Majorum ſunt gentium: *Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.* [q] Di Minorum gentium, vide Arnobium. l. 4. [r] Exprimere voluit illud Homeri Iliad. α. Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων, Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. [s] Δρακοντόποδες finguntur gigantes: utrum ab invisa illa hominibus formâ? an ab inceſſu ſuperbo? an quòd nihil rectum, nihil ſuperum cogitarint, totius vitæ eorum greſſu atque proceſſu in inferna mergente? ut Macrob. Saturn. 1. l. 20. c. & Crinitus 2 l. 11. c. an denique ab ambitione ſinuoſa? Natal. Comes l. 6. c. 22. [t] Κόττος τε, Βριάρεώς τε, Γύγης θ' ὑπερήφανα τέκνα τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο, Ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα, &c. Heſiod. Theogon. de Gigantibus. vide Hier. Magium l. 1. c. 4. & F. B. Ver. Sapient. 2. e. [u] Quod expugnare affectabant, Deoſque captivos ducere. [x] Ab una hominum progenie, Gigantum ſc. genere. [y] Vide lib. 2. Metamorph. v. 45.

Enſe recidendum eſt; ne z pars ſincera trahatur.
*Sunt mihi* [z] *Semidei, ſunt ruſtica numina Fauni,*
*Et Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Sylvani:*
*Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,*
*Quas dedimus, certè terras habitare ſinamus.*
*An ſatis, ô ſuperi, tutos fore creditis illos,*
*Cùm mihi, qui fulmen, qui vos habeóque regóque,*
*Struxerit inſidias notus feritate* [a] *Lycaon?*
*Confremuêre omnes: ſtudiiſque ardentibus auſum*
*Talia* [b] *depoſcunt. Sic, cùm* [c] *manus impia ſævit*
*Sanguine* [d] *Cæſareo Romanum extinguere nomen;*
*Attonitum tanto ſubitæ terrore ruinæ*
*Humanum genus eſt, totúſque perhorruit orbis.*
*Nec tibi grata minùs pietas, Auguſte, tuorum,*
*Quàm fuit illa Iovi. Qui poſtquam voce manuque*
*Murmura compreſſit, tenuere ſilentia cuncti.*
*Subſtitit ut clamor preſſus gravitate regentis,*
*Iuppiter hoc iterum ſermone ſilentia rupit:*
*Ille quidem pœnas (curam hanc dimittite) ſolvit;*
*Quod tamen admiſſum, quæ ſit vindicta, docebo.*
[e] *Contigerat noſtras infamia temporis aures:*
*Quam cupiens falſam, ſummo delabor Olympo,*
*Et Deus humana luſtro ſub imagine terras.*
*Longa mora eſt, quantum noxæ ſit ubique repertum,*
*Enumerare: minor fuit ipſa infamia vero.*
*Mænala tranſieram latebris horrenda ferarum,*
*Et cum Cylleno gelidi pineta* [f] *Lycei.*
*Arcados hinc ſedes & inhoſpita tecta tyranni*
*Ingredior, traherent cum ſera crepuſcula noctem.*

z Quæ ſit pars ſincera, docet. Semidei, & Numina ruris, Dæmones, Heroës Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται ἡμίθεοι Heſiod. 1. ἔργ. Ciofanius ex vet. cod. legit, *ſunt ruſtica numina Nymphæ, Faunique, Satyrique, & mõt.* Noſter in Ibin. *Voſquoque plebs ſuperũ Fauni, Satyrique Lareſq;, Fluminaque & Nymphæ, Semideũmq; genus.* Quos omnes ſe in montes recepiſſe creditur, a Iove monitos, ut ſibi a diluvio caverent. *a* Arcadiæ tyrannus: dè quo vide Apollodorum 3. l. & Nat. Comitem l. 9. c. 9. *b* Ad ſupplicium. *c* Conjurantium in Auguſtum, quorum meminit Suetonius c. 19. neque enim placet intelligere de Iulio Cæſ. qui conjurationi non ſuperfuit. *d* A cujus vita ſc. pendebat ſalus Imperii jam geſtis patris & ſuis clari facti. *e* Veriſimile eſt, Gentiles multa è ſacris libris, vel lectione, vel auditione accepiſſe: vel etiam à Chaldæis & Ægyptiis, inter quos vixerant Hebræi. *Quis*, inquit Tertullianus in apologetico contra gentes, *poetarum, quis ſophiſtarum, qui non omnino de fonte prophetarum potaverit? inde igitur philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt*, & quæ ſeq. c. 47. Deus certè ipſe, ut habetur l. Geneſeos c. 18. dicit; Deſcendam, & videbo utrùm clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non ſit ita, ut ſciam. *f* Mont. Arcadiæ, cujus regem Prolepticè nuncupat poeta Arcada: quum Arcadia poſtea dicta ſit ab Arcade filio Calliſtûs quæ filia erat Lycaonis.





*Signa dedi veniſſe Deum; vulguſque precari*
*Cœperat: irridet primò pia vota Lycaon.*
*Mox, ait, Experiar, Deus hic, diſcrimine aperto,*
*An ſit mortalis: nec erit dubitabile verum.*
*Nocte gravem ſomno, nec opina perdere morte*
*Me parat: hæc illi placet experientia veri.*
*Nec contentus eo, miſſi de gente Moloſſâ*
*Obſidis unius jugulum mucrone reſolvit:*
*Atque ità ſemineces partim ferventibus artus*
*Mollit aquis, partim ſubjecto torruit igni.*
[g] *Quos ſimul impoſuit menſis; ego vindice flammâ*
[h] *In dominum & dignos everti tecta penates.*
*Territus ipſe fugit, nactuſque ſilentia ruris*
*Exululat, fruſtráque loqui conatur: ab ipſo*
*Colligit os rabiem, ſolitæque cupidine cædis*
*Vtitur in pecudes; & nunc quoq; ſanguine gaudet.*
*In villos abeunt veſtes, in crura lacerti.*
[i] *Fit lupus, & veteris ſervat veſtigia formæ.*
*Canicies eadem eſt, eadem violentia vultûs:*
*Iidem oculi lucent; eadem feritatis imago eſt.*

g Hoc Hyginus l. 2. tit. Arctophylax, refert de Arcade Caliſtonis filio, cæſo a Lycaone. Verùm idẽ in fab. 176. narrat, Lycaonis filios Iovem tentaturos, deusne eſſet, carnem humanam cum alia miſtam ei in epulo appoſuiſſe. Quod itidem tradit Apollodorus 3. l. Natal. Comes l. 9. c. 9. ſcribit Lycaonem in lupum verſum, quod in ara Iovis Lycæi infante mactato humanum ſanguinem libaverat. Boccatius refert Lycaonem obſidem a Moloſſis devictis ſibi datum, eorundem legatis repetentibus edendum appoſuiſſe. Aliter Clemens Alex. Admonit. ad gentes. Aliter Pauſanias in Atticis. *h* Al. *in Domino dignos.* Ms. *In Dominum dignoſque everti.* Ms. alter *In Dominum dignos everti*, quam lectionem tuetur Glareanus, Appoſitivè. *i* Multi multa de Lycanthropis. Plin. l. 8. c. 22. Cæl. Rhodig. l. 27. c. 12. Aug. de civit. Dei l. 18. c. 17. & 18. Miranda ſed non credenda Olaus Magnus l. 18. c. 45. & Cigogna l. 4. c. 5. Hier. Magius l. 4. c. 12. Bullingerus 2. l. adverſus Magos. 29. c. Boiſſardus de Magia. c. 6.

## Diluvium, & reparatio generis humani jactu lapidum. FAB. 7

*OCcidit una domus; ſed non domus una perire*
*Digna fuit: quà terra patet, fera regnat Erinnys.*
*In facinus juraſſe putes: dent ociùs omnes*
*Quas meruere pati (ſic ſtat ſententia) pœnas.*
*Dicta Iovis* [k] *pars voce probant, ſtimulóſque frementi*
*Adjiciunt:* [k] *alii partes aſſenſibus implent.*

k Alluſum videtur ad Curiam Romanam, in qua Majorum gentium patres ſententiam dicebant; Minorum gent. patres in aliorum ſententias pedibus ibant, unde pedarii dicti. A. Gel. 3. l. 15. c.

Eſt tamen humani generis jactura dolori
Omnibus: &, quæ ſit terræ mortalibus orbæ
Forma futura, rogant: quis ſit laturus in aras
Thura: feriſne paret populandas tradere terras?
Talia quærentes (ſibi enim fore cætera curæ)
Rex ſuperûm trepidare vetat; ſobolémque priori
Diſsimilem populo promittit [l] origine mirâ.
Iámque erat in totas ſparſurus fulmina terras;
Sed timuit, nè fortè ſacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammas, totuſque ardeſceret [m] axis.
[n] Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat; & mundi moles operoſa laboret.
Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.
Pœna placet diverſa; [o] Genus mortale ſub undis
Perdere, & ex omni nimbos demittere cœlo.
Protinus Æoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes:
Emittitque Notum. Madidis Notus evolat alis,

l Lapidũ jactu, ut infra. m Cœlum. n Deflagrationẽ mũdi futurã (inquit Lactãtius l. de ira Dei 23. c.) vaticinata eſt Sibylla his verſibus Καί ποτε τὴν ὀργὴν θεὸν οὐκ ἔτι πραΰνοντα, Ἀλλ' ἐξεμβριθοῦντα, ϗ ἐξολλύοντά τε γένναν Ἀνθρώπων ἅπασαν ὑπ' ἐμπρησμοῦ πέρθοντα, ſubjicitque ibidem tres hoſce Ovidii verſus. Quod & Seneca præſcivit Conſolat. ad Marciam, ſub ipſa calce libri. *Cum tempus advenerit, quo ſe mundus renovaturus extinguat, &c. & omni flagrante materiâ uno igne, quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit.* Idem Natural. Quæſtionum l. 3. c. 28. *Qua ratione inquit? Eâdem, quâ conflagratio futura eſt. Vtrumque fit, cum Deo viſum ordiri meliora, vetera finire. Aqua & ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, & ex his interitus eſt*, &c. o Annon jure ſummo res ſuas repetitum veniant SS. Patres, Iuſtinus Martyr 1. apol. Lactantius 2. l. de origine erroris, alii; meritoque arguant Ethnicos furti ſimul & adulterii? *Qui*, ut ait Tertullianus Apologetico contra gentes, 47. c. *noſtram hanc paraturam ſuis opinionibus ad fabulas & philoſophicas ſententias adulteraverunt, & de una viâ obliquos multos tramites & inextricabiles ſciderunt.* Quæcunque n. fando audierant de univerſali illo diluvio Noetico, A. Mundi 1636. deferunt ad diluvium ſingulare quod contigit in Theſſalia *A. M.* 2437. regnante ibi Deucalione, qui, ut habet Arrianus 2. l. rerum Bithynicarum in editos montes cum ſuis confugit. Sed audi Lucianum in lib. de Dea Syria referentem quæ tradiderint Græci: ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες, ἀθέμιστα ἔργα ἐπρήσσον, &c. *Injurii utique nefaria perpetrarunt opera* &c. *quamobrem maxima illos conſequuta eſt calamitas. Tellus enim multam aquam effudit, imbres magni fuerunt, flumina ſolito majora decurrerunt, mare aſcendit altius, eo uſque, dum omnia aquis inundarentur atque omnes perirent. Deucalion ſolus hominum ſuperfuit in ſecundam generationem, pietatis gratia. Arcam quippe magnam*, λάρνακα μεγάλην, *cum uxore & liberis aſcendit, cum ipſo feræ & pecudes, bina ex unoquoque genere*, &c. Quibus adde quod refert Plutarchus lib. de ſolertia animalium. *Columbam è Deucalionis arca emiſſam nuncium fuiſſe tempeſtatis, cum rediret; ſerenitatis, cum evolaret.* Videatur & Beroſus, & Iuſtinus l. 2.

Terri-



Terribilem picea tectus caligine vultum:
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
Fronte ſedent nebulæ, rorant pennæque ſinúſque.
Vtque manu latè pendentia nubila preſsit,
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.
Nuncia Iunonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.
Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longique perit labor irritus anni.
Nec cœlo contenta ſuo eſt Iovis ira: ſed illum
Cœruleus frater juvat auxiliaribus undis
Convocat hic amnes: qui poſtquam tecta tyranni
Intravêre ſui, Non eſt hortamine longo
Nunc, ait, utendum; vires effundite veſtras:
(Sic opus eſt) aperite [p] domos, ac [q] mole remotâ,
Fluminibus veſtris totas immittite habenas.
Iuſſerat: hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et defrænato volvuntur in æquora curſu.
[r] Ipſe tridente ſuo terram percuſsit: at illa
Intremuit, motúque vias patefecit aquarum.
Expatiata ruunt per apertos flumina campos;
Cúmque ſatis arbuſta ſimul, pecudeſque, viróſque,
Tectaque, cumque ſuis rapiunt penetralia ſacris.
Si qua domus manſit, potuitque reſiſtere tanto
Indejecta malo: culmen tamen altior hujus
Vnda tegit, preſſæque latent ſub [ſ] gurgite turres.
Iámque mare & tellus nullum diſcrimen habebant:
Omnia pontus erat, deerant quoque litora ponto.
Occupat hic collem; cymba ſedet alter aduncâ,
Et ducit remos illic, ubi nuper arârat.
Ille ſuper ſegetes, aut merſæ culmina villæ
Navigat: hic [t] ſumma piſcem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi [u] (ſi fors tulit) anchora prato:
Aut ſubjecta terunt curvæ vineta carinæ.
Et modò quà graciles gramen carpſere capellæ;
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.

p Fontes vide 574. verſ. inf. q Obice quocunque r Hinc terræ motus & cum his eluviones elicit ἐνοσίγαιος, ἐνοσίχθων. ſ Profunda aquarum mole. t *Piſcium & ſumma genus hæſit ulmo, Nota quæ ſedes fuerat columbis, &c.* Horat. 2. ode 1. lib. u Sic Mss. uterque ſubſcribit Mureto, l. 16. var. lect. c. 9. εἰ τύχοι. Cic *ſi forte*, malè vulgò legitur, *ſic ſors tulit*.

*Miran-*

x Mirantur ſub aqua lucos, urbéſque, domóſque
Nereïdes: ſylváſque tenent delphines, & altis
Incurſant ramis, agitataque robora pulſant.
y Nat lupus inter oves; fulvos vehit unda leones;
Vnda vehit tigres; nec vires z fulminis apro,
Crura nec a ablato proſunt velocia cervo.
Quæſitiſque diu terris, ubi ſiſtere poſſit,
In mare laſſatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immenſa licentia ponti,
Pulſabántque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.
b Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis
Terra ferax, dum terra fuit: ſed tempore in illo
Pars maris, & latus ſubitarum campus aquarum.
Mens ibi c verticibus petit arduus aſtra duobus,
Nomine Parnaſſus, ſuperátque cacumine nubes.
Hîc ubi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum conſorte tori parva d rate vectus adhæſit,
e Corycidas Nymphas, & f numina montis adorat,

x Sic Argo navem, quæ prima, ut volunt, tentavit mare, Æquoreæ monſtrum Nereides admiratæ apud Catullum in Argonauticis.

y *Ingenioſiſſimus ille poetarum*, inquit Seneca. 3. lib. Nat. quæſt. c. 27. *egregiè & pro magnitudine rei dixit*; Omnia pontus erat; deerant quoque litora ponto. *Niſi tantum impetum ingenij & materiæ ad pueriles ineptias reduxiſſet*; Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones. *Non eſt*, inquit, *res ſatis ſobria, laſcivire devorato orbe terrarum*, &c. *Magnificè hæc, ſi non curavit, quid oves & lupi faciant*. Spero me habere quo noſtrum ab hac ſuggillatione aſſeram; idque principis poetarum exemplo. Neque enim hic (alibi fortè) laſcivit, ſed ſeriò & ſobrie curat quid agat lupus inter oves; ut qui ſalutis ſuæ ſatagat non reſpiciens prædam, ſibi proſpiciat, rapinæ utique immemor. Virgilius 3. Georg. in hypotypoſi diræ & omnia populantis peſtis, poſt tauros, equos, ſues, homines, hoſtias lue abreptas, adjicit & feras rapinæ, præ languore, immemores, promiſcuè inter aſſuetas prædas obambulare. *Non lupus inſidias explorat ovilia circum. Nec gregibus nocturnus obambulat*. quare? *acrior illum cura domat, timidi damæ, cervique fugaces. Nunc interque canes & circum tecta vagantur*. z Verùm ab exertis utrinque dentibus fulminis cuſpides referentibus? an quia ut fulmen *obliqua præſtringit lumina flamma*? ſic & aper *obliquo latrantes diſſipat ictu*. 8. lib. 344. Εἰ δὲ πλαγίως τοῖς ὀδοῦσι θίγοι τῶν κυνῶν, τὸ τείχωμα ἐπέφλεξε. Pollux l. 5. c. 12. vide lib. 8. v. 389. *a* Vndis abrepto. *b* Hypallage. Aonia i. e. Bœotia ſeparat Phocenſes ab Atticis. *c* Qui Herodoto dicti, Tithoreus & Hyampeus. *d* Κιβωτίῳ λάρνακι, ut ſupra ad 260. verſ. *e* Nymphas antri Corycii, quod & ipſum dictum à nympha Corycia, ex qua Apollo genuit Lycorum, à quo urbs nominata eſt Lycorea. Pauſanias in Phocicis. & Delphici dicti Lycores. Schol. Apollon. l. 2. v. 713. atque hinc Lucianus in Timone ait, arcam appuliſſe ad Lycorim montem. *f* Numina regionis. Indigetes, & Deos Topicos ſalutare atq; adorare advenis moris erat.

g Fati-



g Fatidicámque Themin, quæ tunc orâcla tenebat.
Non illo melior quiſquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa reverentior ulla deorum.
Iupiter ut liquidis ſtagnare paludibus orbem,
Et ſupereſſe videt de tot modò millibus unum,
Et ſupereſſe videt de tot modò millibus unam,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos;
Nubila disjecit, nimbiſque Aquilone remotis,
Et cælo terras oſtendit, & æthera terris.
Nec maris ira manet; poſitóque tricuſpide telo,
Mulcet aquas rector pelagi; ſupráque profundum
Extantem, atque humeros innato murice tectum
Cæruleum Tritona vocat; h conchâque ſonanti
Inſpirare jubet: fluctuſque & flumina ſigno
Iam revocare dato. Cava buccina ſumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine creſcit ab imo:
Buccina, quæ in medio concepit ubi aëra ponto,
Litora voce replet ſub i utroque jacentia Phœbo.
Tum quoque ut ora Dei madida rorantia barbâ
Contigit, & cecinit juſſos inflata receſſus;
Omnibus audita eſt telluris, & æquoris undis:
Et quibus eſt undis audita, coërcuit omnes.
Iam mare litus habet; plenus capit alveus amnes:
Flumina ſubſidunt; colles exire videntur.
Surgit humus, creſcunt loca decreſcentibus undis.
k Póſtque diem longam nudata cacumina ſylvæ
Oſtendunt, limumque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat: quem poſtquam vidit l apertum,
Et deſolatas agere alta ſilentia terras;
Deucalion lacrymis ita Pyrrham affatur obortis:

g Terræ, quæ prima tenebat oraculum, ſucceſſit Themis, huic Apollo. *Cum regna Themis tripodaſque teneret*. Lucan. 5. 81. & quæ nos ibi. *reſponſa Themidis priora Delphis*. Sidonius 9. carm. *Spiritus elementorum*, inquit Am. Marcellinus l. 21. *& poteſtates ſubſtantiales ſuppeditant nobis divinandi munera & verba vaticina, quibus numen præeſſe Themidis dicitur: quam ex eo quòd fixa fatali lege decreta praſcire fas ſit in poſterum, quæ* τεθειμένα *ſermo Græcus appellat, ita cognominatam, in cubili ſolioque Iovis Theologi veteres collocarunt* Ov. 7. Met. 760. *h* Tubicini ſuo & armigero imperat Neptunus, receptui canat. de Tritonum figura videatur Plinius l. 9. c. 5. Neq; Tritoni tantùm, ut Deo marino, tuba ex concha, i. coclea marinâ quæ tortilis creſcit ab anguſta parte qua inflatur, turbinatim & in amplum deſinit: ſed & priſci, ante inventam a Tyrrhenis tubam, hac uſi ſunt. Euſtath. & Virg. Æn. 6 *Sed tum forte cava dum perſonat æquora conchâ*. de Miſeno. *i*. Sole oriente & occidente, Vniverſo denique terræ mariſque tractu. *k* Poſt multos dies, tempus longum: annum ſc. ſi Noëticum intelligas Diluvium. *l* Emergentem ex cataclyſmo, inundatione aquarum. Sic & mare dicitur aperiri, verno tempore navigabile; & montes urbeſque viatoribus. Male itaque legitur *poſtquam vidit inanem*.

O ſoror

m Patruelis, non germana. filia ſc. Epimethei ex Pandora, uti & Deucalion erat Promethei filius, ex Aſia uxore: uterque autem Prometheus & Epimetheus filii erant Iapeti. n Validiſſimum vinculum, naturæ ſorte, cognationis lege, conjugii fœdere firmius: συνάγει γδ καὶ ἐχθίςυς ὁ κοινὸς φόϐος. Ariſt. 5. polit. o Prometheus fingitur hominum imagines è luto finxiſſe, atque has igne cœlitus ſurrepto animaſſe, vel quia rudes homines ad civilem vitam revocarit, artibuſque inventis inſtruxerit, an quòd primus artem invenerit ſtatuas & ſimulachra fingendi. Lactantius 2. div. inſt. de orig. err. p Exemplaria. *Comœdiam*, inquit Plinius l. 7. Epiſt. *ad exemplum veteris Comœdiæ ſcriptam tam bene, ut eſſe quandoque poſſit exemplar.* q Per oraculi reſponſa. videatur Turneb. l. 5. c. 20. r Cephiſus Bœotiæ fl. Delphos præterfluens. Lucan. 3. l. v. 177. *quos impiger ambit Fatidica Cephiſſos aqua.* ſ Aquæ vivæ, id eſt, fluentis & Themidis ſacræ aſpergine ſe luſtraverunt.

*O* m *ſoror, ô conjux, ô fœmina ſola ſuperſtes,*
*Quam commune mihi genus, & patruelis origo,*
*Deinde torus junxit, nunc* n *ipſa pericula jungunt:*
*Terrarum, quaſcunque vident occaſus & ortus,*
*Nos duo turba ſumus: poſſedit cætera pontus.*
*Hæc quoque adhuc vitæ non eſt fiducia noſtræ*
*Certa ſatis: terrent etiam nunc nubila mentem.*
*Quis tibi, ſi ſine me fatis erepta fuiſſes,*
*Nunc animus miſeranda foret? quo ſola timorem*
*Ferre modo poſſes? quo conſolante dolores?*
*Namque ego (crede mihi) ſi te quoque pontus haberet;*
*Te ſequerer conjux, & me quoque pontus haberet.*
*O utinam poſſem populos reparare* o *paternis*
*Artibus, atque animas formatæ infundere terræ?*
*Nunc genus in nobis reſtat mortale duobus:*
*(Sic viſum eſt ſuperis) hominumque* p *exempla manemus.*
*Dixerat, & flebant: placuit cœleſte precari*
*Numen, & auxilium* q *per ſacras quærere ſortes.*
*Nulla mora eſt; adeunt pariter* r *Cephiſidas undas,*
*Et nondum liquidas, ſed jam vada nota ſecantes.*
*Inde ubi libatos irroravere* ſ *liquores*
*Veſtibus, & capiti; flectunt veſtigia ſacræ*
*Ad delubra deæ: quorum faſtigia turpi*
*Squallebant muſco, ſtabantque ſine ignibus aræ.*
*Vt templi tetigere gradus, procumbit uterque*
*Pronus humi, gelidóque pavens dedit oſcula ſaxo:*
*Atque ita, Si precibus, dixerunt, numina juſtis*
*Victa remolleſcunt, ſi flectitur ira Deorum;*
*Dic themi, qua generis damnum reparabile noſtri*
*Arte ſit; & merſis fer opem, mitiſſima, rebus.*

*Mota*



*Mota deæ eſt,* t *ſortemque dedit:* u *Diſcedite* 1 *templo,*
*Et* 2 *velate caput,* 3 *cinctáſque reſolvite veſtes;*
*Oſſaque poſt tergum magnæ jactate parentis.*
*Obſtupuere diu: rumpitque ſilentia voce*
*Pyrrha prior; juſſuſque deæ parere recuſat:*
*Detque ſibi veniam pavido rogat ore, pavétque*
*Lædere jactatis maternas oſſibus* x *umbras.*
*Interea repetunt cæcis obſcura latebris*
*Verba datæ ſortis ſecum, inter ſéque volutant.*
*Inde Promethides placidis Epimethida dictis*
*Mulcet; &, Aut fallax, ait, eſt ſolertia nobis,*
*Aut pia ſunt, nullumque nefas oracula ſuadent.*
y *Magna parens terra eſt: lapides in corpore terræ*
*Oſſa reor dici: jacere hos poſt terga jubemur.*
*Conjugis* z *augurio quanquam Titania mota eſt;*
*Spes tamen in dubio eſt: adeò cœleſtibus ambo*
*Diffidunt monitis: ſed quid tentare nocebat!*
*Diſcedunt, velántque caput, tunicáſque recingunt,*
*Et juſſos lapides ſua poſt veſtigia mittunt.*
*Saxa (quis hoc credat, niſi ſit pro teſte vetuſtas?)*
*Ponere duritiem cœpêre ſuúmque rigorem;*
*Mollirique* a *mora, mollitaque ducere formam.*
*Mox, ubi creverunt, naturaque mitior illis*
*Contigit; ut quædam, ſic non manifeſta videri*
*Forma poteſt hominis, ſed uti de marmore cœpta,*
*Non exacta ſatis, rudibúſque ſimillima ſignis.*
*Quæ tamen ex illis aliquo pars humida ſucco,*
*Et terrena fuit, verſa eſt in corporis uſum:*
*Quod ſolidum eſt, flectique nequit, mutatur in oſſa.*
*Quæ modo vena fuit, ſub eodem nomine manſit:*

t Reſponſum oraculi; ut modò verſ. 368. u Ritu ſacro atque ex more augurum 1 *Templum* enim eſt locus auguris manu vel lituo deſignatus. 2 *Velati capite* Deos adorabant humiles ſe & indignos confeſſi, aut veriti, ne quid mali ominis ſacra interturbaret. Plutarch. Rom queſt. 10. & Helenus 3. Æneid. *Purpureo velare comas adopertus amictu: Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum Hoſtilis facies occurrat & omina turbet.* Et quæ nos ibi.

3 *Cinctáſque reſolvite veſtes*: piaculum enim in ſacrificio eſt, aliquid eſſe religatum. x Animas, quas lædi credebat antiquitas, illatâ cadaveribus aut tumulis injuriâ. y Reſpexiſſe ingenioſiſſimum poetam opinatur Muretus 10. l. var. lect. 2 c. ad hiſtoriam Rom. Liv. 1. l. cùm Regiis adoleſcentibus reſponſum eſſet, eum regnaturum Romæ, qui primus matri oſculum tuliſſet, Brutus è navi deſcendens ſimulato caſu terram oſculatus eſt, &c. Vetus item Grammaticus, de eo qui ad lapidem offendiſſet, dixit, Τῆς ὀςεοῖσιν ἔσχειμφθεὶς πόδα: Quæ etiam valet anologia in venis terræ de aqua & metallis. z Interpretatione ſancta, ſana, felici. a Ad metamorphoſin hanc non fit motus in inſtanti; ſed per alterationem, accretionem, ortum & interitum.

*Inque*

НБ ОНУ ім. Мечникова

Inque brevi ſpacio, ſuperorum numine, ſaxa
Miſſa viri manibus faciem traxere virorum;
Et de fœmineo reparata eſt fœmina jactu.
Indè [b] genus durum ſumus, experienſque laborum:
Et documenta damus, qua ſimus origine nati.

b Vnde homines nati durum genus. Virg. 1. Geo. atque hinc a λαας lapis dici volunt λαοὺς populos. ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοὶ, λαοὶ δὲ καλοῦνται. Supra de progenie nata è gigantum ſanguine, *ſcires è ſanguine natam.*

## Python FAB 8.

CÆtera diverſis tellus [c] animalia formis
[c] Sponte ſua peperit; poſtquam vetus humor ab igne
Percaluit ſolis, cœnumque udæque paludes
Intumuere æſtu, fœcundaque ſemina rerum
Vivaci nutrita ſolo, ceu matris in alvo,
Creverunt, faciemque aliquam cepêre morando.
[d] Sic ubi deſeruit madidos ſeptemfluus agros
Nilus, & antiquo ſua flumina reddidit alveo,
Æthereóque recens exarſit [e] ſidere limus:
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inveniunt; & in his, quædam modò cœpta per ipſum
Naſcendi ſpacium; quædam imperfecta, ſuiſque
Trunca vident [f] humeris: & eodem corpore ſæpe
Altera pars vivit; rudis eſt pars altera tellus.
[g] Quippe ubi temperiem ſumſere humórque calórque;
Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumque ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat; & diſcors concordia fœtibus apta eſt.
Ergò ubi diluvio tellus lutulenta recenti

c Ex corruptione quidem naſci inſecta neque Academia negaverit neque Lycæum: quin & aſtruit ipſa experientia Animantia quædam ex terræ viſceribus Solis agentis vi naſci, inter Ægyptiorum placita recenſet Porphyrius.: a quibus fortaſſe fabulæ huic, una cum ipſa ſimilitudine Nili terram imprægnantis, anſa: & fides hiſtorico Melæ hoc idem ex noſtro referenti in Ægypto ſua. Omitto quæ adducit Plutarchus 5. l. 19. c. de placitis philoſophorum, & Convivial. quæſt. 3. 2. l. Sed quis ferat Avicennam? qui lib. de Diluviis aſſerit ex reliquo cadaverum humanorum ſeminio a Sole animato, homines poſt immenſas terrarum inundationes natos. *d* De Nili incremento & Natura videatur Io. Bapt. Scortia. *e* Sole. *f* Armis, Membris namque humeri propriè hominum ſunt. *g* Contrario ſc. in contrarium agente, calido in frigidum, quorum temperatus deinde calor agit in ſiccum & humidum ut in materiam, quam ſic contemperat, ut inde mixti reſultet forma, concurrente interim cœli Soliſque virtute. Empedocleam ſimul litem & amicitiam reſpicere videtur. Qua de re vide quæ ad 25. v. ſupra.

*Soli-*



Solibus æthereis [h] altóque recanduit æſtu;
Edidit innumeras ſpecies, partimque figuras
Reddidit antiquas, partim nova monſtra creavit.
[i] Illa quidem nollet; ſed te quoque, maxime [k] Python,
Tum genuit; populiſque novis, incognite ſerpens,
Terror eras: tantum ſpatii de monte tenebas.
Hunc [l] Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Antè, niſi in [m] damis capreiſque fugacibus uſus,
Mille gravem telis, exhauſta penè pharetrâ,
Perdidit, effuſo per vulnera nigra [n] veneno.
Neve operis famam poſſet delere vetuſtas,
[o] Inſtituit ſacros celebri [p] certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.
Hîc juvenum quicunque manu, pedibúſve, rotave,
Vicerat, æſculeæ capiebat frondis honorem.
[q] Nondum laurus erat: longóque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

h Ab alto, ſole & cœlo. *i* Gigantes Terra lubens & læta peperit, ut & progeniem ex gigantum ſanguine; Pythona non item, ſed invita. *k* A πύθω. Exhalationis n. putredinem a Diluvio gravem Sol radiorum tanquam ſagittarum ictu attenuavit exiccavitque. Alias mythologias vide apud Macrobium l. 1. Saturn. c. 17. Na. Comit. lib. 4. c. 10. Cæl. Rhodig. lib. 16. 19. c. Ant. Liberal. 28. c. τυφῶν ἐγένετο γῆς υἱὸς ἐξαίσιος δαίμων πρὸς ἰσχύ, &c. *l* Apollo κλυτότοξος. *m* Nebulis, minoribus vaporibus diſſipandis. *n* Tabo, ſanie venenoſa. *o* Sic poetarum, hiſtoricorum & Mythologorum torrens. Vide & Scal. poet. l. 1. c. 23. A Diomede tamen Pauſanias in Corinthiacis Pythia inſtituta ſcribit: Ab Eurylocho Theſſalo, Pindari interpres. *p* Pugillatu, curſu pedeſtri & curuli. *q* Paraſceve & tranſitio ad fab. ſeq.

## Daphne in Laurum. FAB. 9.

PRimus amor Phœbi Daphne [r] Peneïa; quem non
Sors ignara dedit; ſed ſæva Cupidinis ira.
[ſ] Delius hunc nuper victo ſerpente ſuperbus
Viderat adducto flectentem cornua nervo:
Quidque tibi, laſcive puer, cum fortibus armis?
Dixerat: iſta decent humeros geſtamina noſtros;

r Daphne fingitur Penei filia, quòd laurus abundè naſcatur in ripis Penei, qui fluvius e radicibus Pindi montis ortus, per Tempe amœniſſimum Theſſaliæ nemus labitur, infra 569. hodie *Salampria*, ut alii *Pezin*. Ladonis a. filiam eſſe volunt Philoſtratus, Aphthonius, alii. *ſ* Apollo in Delo natus fingitur, quòd Sol oriens Græcis ex illa inſulâ Cycladum una, δῆλος manifeſtò appareat, quæ inſ. fluctuare dicitur propter varium Solis ortum pro ſitu ſuo in Zodiaco, ab Æquatore verſus alterutrum Tropicum.

*Qui*

[t] Qui dare certa feræ, dare vulnera poſſumus hoſti,
Qui modò peſtifero tot jugera ventre prementem
Stravimus innumeris tumidum Pythona ſagittis.
Tu face, neſcio quos, eſto contentus amores
Irritare tua: nec laudes aſſere noſtras.
[t] Filius huic Veneris; Figat tuus omnia, Phœbe,
Te meus arcus, ait: quantóque animalia cedunt
Cuncta [u] Deo, tanto minor eſt tua gloria noſtrâ.
Dixit; & eliſo percuſſis aëre pennis,
Impiger umbroſa [x] Parnaſſi conſtitit arce.
Déque ſagittifera prompſit duo tela pharetrâ,
[y] Diverſorum operum: fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit, [z] auratum eſt, & cuſpide fulget acutâ:
Quod fugat, obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.
Hoc deus in nympha Peneïde fixit: at illo
Læſit Apollineas trajecta per oſſa medullas.
Protinus alter amat; [a] fugit altera nomen amantis,
[b] Sylvarum latebris, captivarúmque ferarum
Exuviis gaudens, [c] innuptæque æmula Phœbes,
Vitta coërcebat poſitos ſine lege capillos.
Multi illam petiere; illa averſata petentes,
Impatiens experſque viri, nemora avia luſtrat:
Nec quid [d] Hymen, quid Amor, quid ſint connubia curat.
Sæpe pater dixit; Generum mihi, filia, debes:
Sæpe pater dixit; Debes mihi, nata, nepotes.
Illa velut crimen [e] tedas exoſa jugales,
Pulchra verecundo ſuffundens ora rubore,
Inque patris blandis hærens cervice lacertis,
[f] Da mihi perpetua, genitor chariſſime, dixit,
Virginitate frui: dedit hoc pater antè Dianæ.
[g] Ille quidem obſequitur: ſed te decor iſte, quod optas,
Eſſe vetat: votoque tuo tua forma repugnat.

t Cupido, Amor qui ex Venere i. e. pulchritudine naſcitur. Sed vide Fr. Bac. Sapientiam Veterum 17. c. u Tibi. x Supra 317. verſ. y Contrariorum effectuum, operationum. z Quantum ad amorem petiundum valeat aureus imber & Iupiter auripluus indicabunt Mythologi. a Fingitur Daphne Apollinem fugere, quod Laurus umbram & opaca loca amet, Sole & apricum non feras facilè. b Venandi ſtudio & ferarum cæſarum ſpoliis. c Ἀειπαρθένου.

d Nuptiæ. Vide quæ nos ad Senecæ Thebaid. v. 261. de Hymenæo. e De facibus quæ in nuptiis præferebantur ſponſis vide quæ ad Senecæ Thebaida, v. 263. & 507. f Ipſa Diana apud Callimachum Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν. Conceſſit Iupiter, φέρευ, τέκος, ὅσσ' ἐθελημὸς αἰτίζεις & Μηδέ τινα μνᾶσθαι τὴν παρθένον, eodem hymno in Dianam. g Peneus, pater.

Phœbus



Phœbus amat, viſæque cupit connubia Daphnes:
Quódque cupit, ſperat; ſuaque illum oracula fallunt.
Vtque leves [h] ſtipulæ demptis adolentur ariſtis,
Vt facibus ſepes ardent, quas forte [i] viator
Vel nimis admovit, vel jam ſub luce reliquit:
Sic Deus in flammas abiit; ſic pectore toto
Vritur, & ſterilem ſperando nutrit amorem.
Spectat inornatos collo pendere capillos:
Et, quid ſi comantur? ait. videt igne micantes
Sideribus ſimiles oculos: videt oſcula, quæ non
Eſt vidiſſe ſatis: laudat digitóſque, manúſque,
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos:
Siqua latent, meliora putat. Fugit ocior aurâ
Illa levi: neque ad hæc revocantis verba reſiſtit.
Nympha, precor, Peneia mane: non inſequor hoſtis:
Nympha mane: [k] ſic agna lupum, ſic cerva leonem,
Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbæ,
Hoſtes quæque ſuos: amor eſt mihi cauſa ſequendi.
Me miſerum! ne prona cadas, indignave lædi
Crura notent ſentes, & ſim tibi cauſa doloris.
Aſpera, quà properas, loca ſunt: moderantius, oro,
Curre, fugámque inhibe: moderantiùs inſequar ipſe.
Cui placeas, inquire tamen. Non incola montis,
Non ego ſum paſtor; non hic armenta, gregeſve
Horridus obſervo: neſcis, temerari, neſcis
Quem fugias, ideóque fugis. mihi [l] Delphica tellus
Et [m] Claros, & [n] Tenedos, [o] Patareáque regia ſervit.
Iuppiter eſt genitor: [p] per me quod eritque, fuitque,
Eſtque patet: per me concordant carmina nervis.
[q] Certa quidem noſtra eſt: noſtra tamen una ſagittâ
Certior, in vacuo quæ vulnera pectore fecit.

h Stipulæ ita incenſæ rationem & cauſam reddit Virg. 1 Geor. 161 Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis. Sive inde occultas vires &c. i Viatores ajunt noctu iter pergentes ferre ſecum faces, quas adveniente luce negligenter abjiciunt aliquando, unde ſepibus incendium. Semuſtamque facem vigilata nocte viator Ponet. Faſtor. lib. 4. 16?. verſ. k Non ego te, tigris ut aſpera Getuliſve leo, frangere perſequor, Horat. 1. l. ode 23. l Delphi urbs Phocidis in Achaia ad Parnaſſum, oraculo Apollinis clarà. m Opp. Ioniæ, ubi mons & lucus Apollini ſacer. n Inſ. maris Ægei. o Vrbs Lyciæ, templo & oraculo Apollinis clara. p Vaticinationis utique Deum. Reſpici autem volunt ad v. illũ Il. α de Neſtore Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. q Κεῖνος οἰστευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν. Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή. Κείνου δὲ θριαὶ καὶ μάντιες. ἐκ δέ νυ Φοίβου Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο. Callimachus hymn. in Apollinem.

Inventum

*Inventum medicina meum eſt,* [r] *opiferque per orbem*
*Dicor,& [ſ] herbarum eſt ſubjecta potentia nobis.*
*Hei mihi, quòd nullis amor eſt medicabilis herbis;*
*Nec proſunt domino, quæ proſunt omnibus artes!*
*Plura locuturum* * *timido Penëia curſu*
*Fûgit, cúmque ipſo verba imperfecta reliquit.*
*Tunc quoque viſa decens: nudabant corpora venti,*
*Obviáque adverſas vibrabant flamina veſtes,*
*Et levis impulſos retro dabat aura capillos.*
*Aucta fuga forma eſt. ſed enim non ſuſtinet ultrà*
*Perdere blanditias juvenis Deus: utque monebat*
*Ipſe amor, admiſſo ſequitur veſtigia paſſu.*
*Vt* [t] *canis in* [u] *vacuo leporem cùm Gallicus arvo*
*Vidit; & hic prædam pedibus petit, ille ſalutem:*
*Alter inhæſuro ſimilis, jam jamque tenere*
*Sperat, & extento ſtringit veſtigia roſtro;*
*Alter in ambiguo eſt, an ſit comprenſus, & ipſis*
*Morſibus eripitur, tangentiaque ora relinquit:*
*Sic Deus, & virgo eſt: hic ſpe celer, illa timore.*
*Qui tamen inſequitur, pennis adjutus amoris,*
*Ocior eſt, requiémque negat; tergóque fugacis*
*Imminet, & crinem ſparſum cervicibus afflat.*
*Viribus abſumptis expalluit illa; citæque*
*Victa labore fugæ, ſpectans Penëidas undas,*
*Fer pater, inquit, opem,* [x] *ſi flumina numen habetis.*
*Quâ nimiùm placui tellus, ait, hiſce; vel iſtam,*
*Quæ facit ut lædar, mutando perde figuram.*
*Vix prece finita, torpor gravis occupat artus:*
*Mollia cinguntur tenui præcordia libro:*
*In frondem crines, in ramos brachia creſcunt.*
*Pes modò tam velox pigris radicibus hæret:*
*Ora cacumen habent: remanet nitor unus in illâ.*

*Al. Rapido

r Ἀκέσιος, ἀλεξίκακος. malè itaque legunt, opifex.
ſ Quas in medicina potentes ſol e terra elicit.
t *Leporemque læſum Gallici canis dente.* Martial. 3. l. 47. Epigr.
u Patente Campo, in quo nullæ ſegetes, arbores nullę.
x Namque, quoniam. Cauſalis nempe, non conditionalis dubitativa.

*Hanc*



[y] *Hanc quoq; Phœbus amat, poſitâque in ſtipite dextrâ*
*Sentit adhuc trepidare novo ſub cortice pectus.*
*Complexúſque ſuis ramos, ut membra, lacertis,*
*Oſcula dat ligno: refugit tamen oſcula lignum.*
*Cui Deus: At quoniam conjux mea non potes eſſe;*
[y] *Arbor eris, certè dixit, mea: ſemper habebunt*
*Te coma,* [z] *te citharæ, te noſtræ, laure, pharetræ.*
[a] *Tu ducibus lætis aderis, cùm* [b] *læta triumphum*
*Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.*
*Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos*
*Ante fores ſtabis;* [c] *mediamque tuebere quercum:*
*Vtque meum* [d] *intonſis caput eſt juvenile capillis,*
*Tu quoque* [e] *perpetuos ſemper gere frondis honores.*
*Finierat* [f] *Pæan: factis modò laurea ramis*
*Annuit; utque caput, viſa eſt agitaſſe cacumen.*

y Laurum Apollini (inquit Euſebius præpar. Euang. 11.,dedicarunt, quia ignea eſt, unde odio Dæmonibus, & ſi comburitur, plurimùm ſonat, quod prædicendi virtutem ſignificat, &c. Nam *Phœbi Delphica laurus Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.* Lucret. 6. l. Divinationis ſymbolum eſſe volunt. Lycophronis Caſſandra Δαφνηφάγων φοιβάζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. *Vera cano, ſic uſque ſacras innoxia lauros Veſcar.* Vates apud Tibullum 2. l. el. 5. Vide quæ nos ad Senecæ Oepidum v. 16. Neque φυτὸν ſolùm μαντικὸν, ſed ἀλεξίκακον eſt. Cujus virtutes vide apud Matthiolum in Dioſcori-
dem 1. l. 90. c. & Dodonæum. 6. 5. z Hinc laureati in ſcena citharœdi.
a Laurus, inquit Plinius l. 15. c. 30. triumphis propriè dicatur, gratiſſima domibus janitrix Cæſarum Pontificúmque. Quæ ſola & domos exornat & ante limina excubat. & infra. Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumque nuncia additur literis, & militum lanceis piliſque. Faſces Imperatorum decorat. Ex his in gremio Iovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit. Triſt. 4. l. el. 1. b Triumphi pompam, acclamationes, jocorum licentiam, coronas, ſacrificia, ornatus, &c. lege apud Alex. ab Alex. l. 6. c. 6. c Hinc intelligunt nonnulli mediam inter duas lauros ante Imperatoris fores plantatam ſtetiſſe quercum: aliud tamen declarant Dionis hæc verba l. 53. καὶ γὰρ τό, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν ςέφανον τὸν δρυινὸν ὑπὸ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι τότε οἱ ὡς καὶ ἀεὶ τοὺς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι ἐψηφίσθη. Vide & Ovid. Triſt. 3. l. 1. eleg. & Val. Max. l. 2. c. 3. d Apollo, quem eundem cum Baccho eſſe volunt, comatus fingitur & imberbis, quo radii Solis & vigor nunquam ſeneſcens ſignificatur, Heſychio eſt ἀκερσεκόμης, ἐξ οὗ δηλοῦται Φοῖβος ἀπειθὴς, καθαρὸς ὢν παντὸς πάθους. e Itidem laurus eſt ἀειθαλὴς perenni virore frondens. f Apollo, παίων, ſagittis, i. radiis feriens, vel παιών morbos ſedans. Ab acclamatione ἰὲ παιῶ. Scal. Poet. 1. l. 23. c.

Iō

## Iö in vaccam, Syrinx in fiſtulam, & Argus in caudam pavonis. FAB. 10. 11. 12.

Eſt nemus [g] Æmoniæ, prærupta quod undiq; claudit
Sylva, vocant Tempe [h]; per quæ Penëus ab imo
Effuſus Pindo ſpumoſis volvitur undis:
[i] Dejectúque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit, ſummiſque aſpergine ſylvis
Inſtuit, & ſonitu plus quàm vicina fatigat.
Hæc [k] domus, hæc ſedes, hæc ſunt penetralia magni
Amnis: in his reſidens, facto de cautibus antro,
Vndis jura dabat, nymphiſque colentibus undas.
Conveniunt illuc popularia flumina primùm,
Neſcia [l] gratentur, [m] conſolentúrne [n] parentem,
Populifer Sperchius, & irrequietus Enipeus,
[o] Apidanúſque ſenex, leniſque Amphryſus, & Æas:
Móxque amnes alii, qui, qua tulit impetus illos,
In mare deducunt feſſas erroribus undas.
Inachus unus abeſt; imóque reconditus antro
Fletibus auget aquas, natámque miſerrimus Iö
Luget, ut amiſſam. neſcit vitâne fruatur,
An ſit apud manes. ſed, quam non invenit uſquam,
Eſſe putat nuſquam, atque animo pejora veretur.
Viderat à patrio redeuntem Iuppiter illam
Flumine: &, ô virgo Iove digna, tuóque beatum
Neſcio quem factura toro, pete, dixerat, umbras,
Aut horum, aut horum nemorum (& monſtraverat ambas)
Dum calet, & medio ſol eſt altiſſimus orbe.
Quòd ſi ſola times, latebras intrare ferarum;
Præſide tuta Deo nemorum ſecreta ſubibis:
Nec de pleb e Deo; ſed qui cœleſtia magna

g Theſſaliç. h Quorum amœnitatem celebrant multi. Vennſtius nemo quàm Ælianus l. 3. Var. hiſt c. 1. i Lapſu præcipiti. k Fontes ipſos appellant poetæ domos numinum aquaticorũ. Hor ode. 7. 1. 1. *Et domus Albuneæ reſonantis.* Cyrene 4. Georg. Virg. *Sentit ut thalami ſub fluminis alti ſenſit.* mox v. 593 *Inachus imo reconditus antro Fletibus auget aquas.* ſupra v. 279. *aperite domos*, &c. l Propter filiam Apollini dilectam & in laurum converſam. m Propter filiam amiſſam. n Non ex Peneo oriuntur, ſed hos fl. Peneus excipit. o Vtcunque libb vet. Mſsque mei habeant *Eridanus* & interpretes negligenter audaces obtrudant nobis hunc in Theſſalia fluvium, Geographi tamen non agnoſcunt Eridanum alium quàm Italum. Strabo quidem & Pauſanias admittunt cognominem fl. in Attica. Verùm ille non eſt popularis Theſſaliæ. Legendum ergo *Apidanus*. Vide quæ nos ad Lucanum 6. l 372. v. Etſi contrà tendat acriter Herc. Cioſanus.

Sceptra



Sceptra manu teneo, ſed qui vaga fulmina mitto.
Ne fuge me (fugiebat enim) jam paſcua [p] Lernæ,
Conſitáque arboribus [q] Lyrcea reliquerat arva:
Cùm Deus inducta latas caligine terras
Occuluit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem.
Interea medios Iuno deſpexit in agros:
Et noctis faciem nebulas feciſſe volucres
Sub nitido mirata die; non fluminis illas
Eſſe, nec humenti ſenſit tellure remitti:
Atque ſuus conjux ubi ſit circumſpicit; ut quæ
Deprenſi toties benè noſſet [r] furta mariti.
Quem poſtquàm cœlo non repperit: Aut ego fallor,
Aut ego lædor, ait. delapsáque ab æthere ſummo
Conſtitit in terris, nebulaſque recedere juſſit.
Conjugis adventum præſenſerat, inque nitentem
Inachidos vultus mutaverat ille juvencam.
Bos quoque formoſa eſt. ſpeciem Saturnia vaccæ,
Quanquam invita, probat: nec non & cujus, & unde,
Quóve ſit armento, veri quaſi neſcia, quærit.
Iuppiter [ſ] è terra genitam mentitur, ut auctor
Deſinat inquiri. petit hanc Saturnia munus.
Quid faciat? Crudele, ſuos abdicere amores:
Non dare, ſuſpectum. Pudor eſt, qui ſuadeat illinc;
Hinc diſſuadet amor. victus pudor eſſet amore;
Sed leve ſi munus [t] ſociæ generiſque torique
Vacca negaretur; poterat non vacca videri.
Pellice donata, non protinùs exuit omnem
Diva metum, timuitque Iovem, & fuit anxia furti.

p Paludis Argiæ in Peloponneſo. q Perperam legitur vulgò *Lycæa*, cujus prima corripitur: quum Lyrceus etiam ſit Arcadiæ mons, ex quo inachum fluere agnoſcunt Geographi, Strabo 6. l. ἐνθένδε ἐς Ἄργος διὰ κῦμα τεμὼν ἥκει δῆμον Λυρκίου. Idem l. 8. Ῥεῖ δὲ αὐτῆς πλησίον ὁ Ἴναχος, χαραδρώδης ποταμὸς ἔχων τὰς πηγὰς ἐκ Λυρκίου τοῦ κατὰ τὴν Κυνουρίαν ὄρους τῆς Ἀρκαδίας. Pauſanias in Corinthiacis, Λυγκάιαν opp. unica litera mutata dictam eſſe poſtea Lyrceam a Lyrco Abantis notho, qui eam occupavit. Item Apollonius 1. l. Stephanus, & Statius 4. l. *Aret Lerna nocens, aret Lyceus, & ingens Inachus.* Al. *Dircæa.* r Adulteria, ſtupra. ſ Ignoto & obſcuro genere ortum, cujuſque ignorabantur parentes, eum veteres appellabant Terræ filium. t Iunoni, & ſorori & conjugi.



Donec

Donec Ariſtoridæ ſervandam tradidit [u] Argo.
Centum luminibus cinctū caput Argus habebat.
Indè ſuis vicibus capiebant bina quietem;
Cætera ſervabant, atque [x] in ſtatione manebant.
Conſtiterat quocunque loco, ſpectat ad Iö:
Ante oculos Iö, quamvis averſus, habebat.
Luce ſinit paſci: cùm Sol tellure ſub alta eſt,
Claudit, & indigno circumdat vincula collo.
Frondibus arboreis, & amara paſcitur herba:
Próque toro, terræ non ſemper gramen habenti
Incubat infelix; limoſáque flumina potat.
Illa etiam ſupplex Argo cum brachia vellet
Tendere; non habuit quæ brachia tenderet Argo:
Et conata queri, mugitus edidit ore,
Pertimuitque ſonos, propriâque exterrita voce eſt.
* Venit & ad patrias, ubi ludere ſæpe ſolebat,
Inachidas ripas: novaque ut conſpexit in unda
Cornua, pertimuit, [cc] ſeque externata refugit.
Naiades ignorant, ignorat & Inachus ipſe,
Quæ ſit. at illa patrem ſequitur, ſequiturque ſorores,
Et patitur tangi, ſeque [y] admirantibus offert.
Decerptas ſenior porrexerat Inachus herbas;
Illa manus lambit, patriiſque dat oſcula palmis:
Nec retinet lacrymas. &, ſi modo verba ſuperſint,
Oret opem, nomenque ſuum, caſuſque loquatur.
[z] Litera pro verbis, quam pes in pulvere duxit,
Corporis indicium mutati triſte peregit.
Me miſerum! exclamat pater Inachus: inque gementis
Cornibus, & niveæ pendens cervice juvencæ,
Me miſerum! ingeminat: Túne es quæſita per omnes

u Argus univerſæ mundi machinæ typus eſt: cujus caput cœli præ ſe fert imaginem, oculi ſtellarum, quæ inferiora reſpiciunt. Iö ergo, ſi terram capias, non minùs ab Argo nocturno, vicibus alternis, reſpicitur quam a Cyclope diurno. i. Sole. Si vacca ſit, Lunam creſcentem referunt cornua, nuptaque eſt Oſiridi, cujus cornua pleno orbe coeuntia Solem referunt. Vtrumque numinum loco Ægyptios, Perſas, alios coluiſſe notum eſt. Alias Mythologias quæ Hiſtoriam, quæ Phyſicam, nec non Mores ſpectant, habes apud Natal. Comitem l. 8. c. 18. vide etiam Clariſſimi Viri Io. Seldeni 4. caput Syntagmatis 1. de Diis Syris. x Metaph. ſumpta a re militari. * Al. *Venit & ad ripas.* cc Al. *Seſeque exterrita fugit.* y Patri & Nymphis ſororibus, familiare obſequium vel ſpeciem admirantibus. z Non IO, quas literas pes bovis exprimere videtur. Neque n. inde filiam ſuam mutatam ab alia vacca diſtinxiſſet. Quin potiùs exiſtimemus mentem eandem & rationem in Iö manſiſſe, uti in Actæone, Vlyſſis ſociis, aliis: adeóque ductu pedis expreſſiſſe nomen, unde agnoſci poſſet.

Nata



Nata mihi terras? Tu non [a] inventa reperta es.
Luctus eras levior. retices, nec mutua noſtris
Dicta refers; alto tantùm ſuſpiria ducis
Pectore; quódque unum potes, ad mea verba remugis.
At tibi ego ignarus thalamos, tedáſque parabam;
Speſque fuit generi mihi prima; ſecunda nepotum:
De [b] grege nunc tibi vir, & de grege natus habendus.
Nec finire licet tantos mihi morte dolores:
Sed nocet eſſe Deum; præcluſaque janua lethi
Æternum noſtros luctus extendit in ævum.
Talia dicenti ſtellatus ſummovet Argus;
Ereptámque patri diverſa in paſcua natam
Abſtrahit. Ipſe procul montis ſublime cacumen
Occupat; unde ſedens partes ſpeculatur in omnes.
Nec ſuperùm rector mala tanta [c] Phoronidos ultrà
Ferre poteſt. natúmque vocat, quem lucida partu
[d] Pleïas enixa eſt, [e] lethóque det imperat Argum.
Parva mora eſt, [f] alas pedibus, [g] virgámque potente
Somniferam ſumpſiſſe manu, [h] tegiménque capillis.
Hæc ubi diſpoſuit, patria Iove natus ab arce
Deſilit in terras. illic tegimenque removit.
Et poſuit pennas, tantummodo virga retenta eſt.
Hac agit ut paſtor, per devia rura capellas,
Dum venit, adductas: & [i] ſtructis cantat avenis.
Voce novæ captus cuſtos Iunonius artis,
Quiſquis es, hoc poteris mecum conſidere ſaxo,
Argus ait: neque enim pecori fœcundior ullo
Herba loco eſt, aptámq; vides paſtoribus umbram.
Sedit Atlantiades, & euntem multa loquendo
Detinuit ſermone diem; junctiſque canendo

a Neque hîc locum habet elegantia Laur. Vallæ l. 3. c. 1. Neque illa duorum ludimagiſtrorum lis, apud Alex. ab Alex. l. 1. c. 21. ſuper differentia verborum *Invenio* & *Reperio*. Elegātior mihī olim ſuboluit ſenſus, ex illis Cereris verbis, ubī innotuiſſet illi de filia a Plutone rapta; *Et quæſita diù tandem mihi nata reperta eſt: Si reperire vocas amittere certiùs: aut ſi Scire ubi ſis reperire vocas*, 5. l. infra v. 514. Quaſi dicat Inachus, *Tu inventa, non es inventa tamen: quam puellam me inventurum ſperabam deſiderabamque, ecce vaccam invenio. Itaque tuī deſideratæ luctus erat levior, quàm ita formâ mutatâ inventæ.* Quam conjecturam meam poſteà ab aliis confirmatam reperi. b Armento. c Iö qua ratione dicatur Phoronis, non liquet: niſi a fratre ducatur Patronymicum. Erat enim Phoroneus Inachi filius, qui primus homines diſperſos in unius civitatis jus compulit. Regio autem illa ab Argo Phoronei ex filia nepote nomen accepit, ut habet Pauſanias in Corinthiacis. d Maia, una ex ſeptem Atlantis filiabus. *Pleïadum pulcherrima.* e Vnde nomen illi Ἀργειφόντης. f Talaria. g Caduceum. Virg. 4. Æn. h Cauſiam, petaſum. i Fiſtula ex ſeptem diſparibus avenis in alæ formam creſcentibus compactâ: ſic l. 8. v. 191. de alis Dædaleis: *ſic ruſtica quondam Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit avenis.*



k Vincere

[k] Vincere arundinibus ſervantia lumina tentat.
Ille tamen pugnat molles evincere ſomnos:
Et, quamvis ſopor eſt oculorum parte receptus;
Parte tamen vigilat: quærit quoque (namque reperta
Fiſtula nuper erat) qua ſit ratione reperta.
Tum Deus, Arcadiæ gelidis in montibus, inquit,
Inter [l] Hamadryadas celeberrima [m] Nonacrinas
[n] Naïas una fuit; Nymphæ Syringa vocabant,
Non ſemel & Satyros eluſerat illa ſequentes,
Et quoſcunque deos umbroſaque ſylva, feraxque
Rus habet: [o] Ortygiam ſtudiis, ipſamque colebat
Virginitate Deam. ritu quoque cincta Dianæ
Falleret, & credi poſſet Latonia, ſi non
Corneus huic arcus, ſi non foret aureus illi.
Sic quoque fallebat. Redeuntem colle Lycæo
Pan videt hanc, [p] pinuque caput præcinctus acuta
Talia verba refert; Tibi [q] nubere, Nympha, volentis
Votis cede Dei. [r] Reſtabat plura referre:
Et precibus ſpretis fugiſſe per avia Nympham,
Donec arenoſi placidum [ſ] Ladonis ad amnem
Venerat; hic illam, curſum impedientibus undis,
Vt ſe mutarent, liquidas oraſſe ſorores:
Panaque, cùm prenſam ſibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ calamos tenuiſſe paluſtres.
Dumque ibi ſuſpirat, motos in arundine ventos
Effeciſſe ſonum tenuem, ſimilémque querenti:

k Sonire fiſtulæ cantu vigiles Argi oculos. l Nymphas arborũ, quę cum arboribus naſcuntur una & intereunt: ex ἅμα & δρῦς. m Arcadicas. Nonacris mons eſt Arcadiæ cum urbe cognomine. n Nympha propriè, fontis aut fluvii præſes, a νάω fluo. o Dianam, natam in Delo inſ. quæ & Ortygia, a copia coturnicum. p Corona è pinu, quæ propria Panos arbor. q Nubere propriè de ſponſa dicitur, quæ flammeo caput velata ad ſponſum deducitur. De viro tamẽ dicitur καταχρηστικῶς; *Vxori nubere nolo meæ.* Martialis 7. l. 12. epigr. Iuvenal. 2. Sat. *nubit amicus*: Sic Suetonius & Tacitus de Nerone. Vel ἀρχαϊκῶς cujuſmodi ſententiam citat Nonius ex Pomponio vetere fabularum autore: *ſed meus frater poſtquam videt me inde ejectum domo, Nupſit poſterius dotatæ vetulæ varicoſæ Afræ.* Seneca 21. controverſ. *Tyrannus permiſit ſervis, ut dominabus ſuis nubant* Sed Mariangelus & Ciofanus probant quòd in Capran. l. leg. *Talia verba refert: reſtabat verba referre.* r Reſtabat ut reliquam fabulam pertexeret: ſpreviſſe ſc. nympham illius preces, fugiſſe, oraſſe nymphas ut mutari poſſet, mutatam fuiſſe. ſ Anſam fabulæ dedit natura fluvii, quem Dionyſius vocat, Εὐκάλαμον ποταμὸν ϗ εὐςέφανον Λαδῶνα. σύριγξ Græcè ſignificat fiſtulam paſtoritiam à συρίζω ſibilo. Lucretius l. 5. *Et Zephyri cava per calamorum ſibila primùm Agreſtes docuêre,* &c. Illa inventa retulit Pana in numerum Deorum; ſed de plebe. Natal. Comes 5. l. 6. c. legatur & Franciſci Baconi de Sapientia veterum, 6. c. *Pan ſive Natura.*

*Arte*



Arte nova vociſque Deum dulcedine captum,
Hoc mihi [t] colloquium tecum, dixiſſe, manebit:
Atque ita [u] diſparibus calamis compagine ceræ
Inter ſe junctis nomen tenuiſſe puellæ.
Talia dicturus, vidit [x] Cyllenius omnes
Succubuiſſe oculos, adopertaque lumina ſomno.
Supprimit extemplo vocem, firmatque ſoporem
Languida permulcens medicatâ lumina [y] virgâ.
Nec mora; [z] falcato nutantem vulnerat enſe,
Quà collo eſt confine caput; ſaxóque cruentum
Dejicit, & maculat præruptam ſanguine rupem.
[a] Arge jaces; quódque in tot lumina lumen habebas,
Extinctum eſt; centúmque oculos nox occupat una.
Excipit hos, [b] volucriſque ſuæ Saturnia pennis
Collocat, & gemmis caudam ſtellantibus implet.
Protinus exarſit, nec tempora diſtulit iræ;
Horrificámque oculis animoque objecit [c] Erinnyn
Pellicis Argolicæ, ſtimulóſque in pectore cæcos
Condidit, & [d] profugam per totum terruit orbem.
Vltimus immenſo reſtabas, [e] Nile, labori.
Quem ſimul ac tetigit, poſitis in margine ripæ
Procubuit genibus, reſupinóque ardua collo,
Quos potuit ſolos tendens ad ſidera vultus,
Et gemitu, & lacrymis, & luctiſono mugitu
Cum Iove viſa queri eſt, finémque orare malorum.
Conjugis ille ſuæ complexus colla lacertis,
Finiat ut pœnas tandem rogat: inque futurum
Pone metus, inquit, nunquam tibi cauſa doloris
Hæc erit; & [f] Stygias jubet hoc audire paludes.
Vt lenita Dea eſt, vultus capit illa priores,
Fitque quod antè fuit: fugiunt de corpore ſetæ:

t Alii leg. *conſilium*, alii *concilium* u Supra ad v. 677. x Mercurius in Cyllene monte Arcadiæ natus. y Soporiferâ. Qua fretus *Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.* 4. Æneid. z Harpe. a Appropriari poteſt hæc inſultatio vino ſepultis, quibus interiit animi lumen. Natalis Comes interpretatur de ira, quam Mercurius, i.e. cœleſtis vis & ratio quæ eſt in nobis placat ac componit: ita ut furor centoculus omnem captans iracundiæ anſam a ſanâ ratione & molli oratione, mitigetur, fitque ἀργὸς tardus & deſes 5. l. 5. c. Macrobius 2. l. Saturn. c. 1.). de Cœlo Argi fab. interpretatur. b Pavonis. c Furoris œſtrum. *Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras Inachiæ Iuno peſtem meditata juvencæ.* Virg. 3. Georg. d Vide Apollodorum ſub initio lib. 2. e A Phœnicibus raptam ex Argis Io ſcribit Herodotus in Clio per initium libri, & ab iis in Ægyptum deportatam. Ibi ajunt, cum Ægyptios multa nova inventa docuiſſet, Api regi nupſiſſe eam. f Vide quæ ad 188. verſ. ſupra.

 *Cornua*

Cornua decreſcunt: g ſit luminis arctior orbis:
Contrahitur rictus: redeunt humerique manúſque:
Vngulaque in quinos dilapſa abſumitur h ungues.
De bove nil ſupereſt, formæ niſi candor, in illâ:
Officióque pedum Nymphe contenta duorum
Erigitur, metuitque loqui, nè more juvencæ
Mugiat: & timidè verba intermiſſa retentat.
Nunc Dea i linigera colitur celeberrima turbâ.
Hinc k Epaphus magni genitus de ſemine tandem
Creditur eſſe Iovis: perque urbes juncta parenti
Templa tenet. Fuit huic animis æqualis & annis,
Sole ſatus Phaëthon: quem quondam l magna loquentem,
Nec ſibi cedentem, Phœbóque parente ſuperbum
Non tulit Inachides: matrique, ait, omnia demens
Credis, & es tumidus genitoris imagine falſi.
Erubuit Phaëthon, iramque pudore repreſſit:
Et tulit ad Clymenen Epaphi convicia matrem.
Quóque magis doleas genitrix, ait, m En! Ego liber,
Ille ferox, tacui. pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli.
At tu, ſi modò ſum cœleſti ſtirpe creatus,
Ede notam tanti generis, méque aſſere cœlo.
Dixit, & implicuit materno brachia collo;
n Pérque ſuum, o Meropiſq; caput, tedáſq; p ſororum,
Traderet, oravit, veri ſibi ſigna parentis.
Ambignum eſt, Clymene precibus Phaëthontis, an irâ

g Contractis oculis non eſt in tantum βοῶπις, ut antea. h Digitos unguibus præarmatos. i *Lana ſegniſſimi pecoris excrementum, inquit Apulejus in Apologia, jam olim Orphei & Pythagoræ ſcitis profeſſus veſtitus eſt. Sed enim mundiſſima lini ſeges inter optimas fruges terrâ exorta, non modò indutui & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum ſacerdotibus, ſed opertui quoque in rebus ſacris uſurpatur.* rationem reddit Mart. Capella 2. l. Frumentum Iſis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuere. Eadémque Iſis lini uſum ſementemque monſtravit. k Herodotus in Euterpe Apin Græcâ linguâ Epaphum eſſe ait, & in Thalia; Eſt autem hic Apis, idemque Epaphus, è vacca genitus, &c. l Μεγάλα λέγοντα, καλοῦντα, μέγα φρονοῦντα. m En, ego ille antea liber & ingenuus, ego inquam ille ferox priùs, jam pudore conſternatus tacui. Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα, κἂν θρασυσπλαγχνός τις ᾖ, Ὅταν συνειδῇ πατρὸς ἢ μητρὸς κακά. n Solenne veteribus juramentum, per caput, fata, genium, dextram. *Per caput hoc juro, per quod pater antè ſolebat.* Virg. 9. Æneid. o Vitrici, patris falſi. p Trium meminit 2. lib. quarum duas nominat. Phaëthuſam & Lampetien: tres alias Io. Tzetzes 137. Chil. 4. Æglen, Hemithean, Dioxippen nominat. Hyginus fab. 154. ſeptem.





Mota magis dicti ſibi criminis, utraque cœlo
Brachia porrexit: ſpectánſque ad lumina Solis,
Per jubar hoc, inquit, radiis inſigne coruſcis,
Nate, tibi juro, q quod nos auditque videtque,
Hoc te quem ſpectas, hoc te, qui temperat orbem,
Sole ſatum: ſi ficta loquor, neget ille videndum
Se mihi; ſitque oculis lux iſta noviſſima noſtris.
Nec longus patrios labor eſt tibi noſſe penates:
Vnde oritur, terræ domus eſt contermina noſtræ.
Si modò fert animus; gradere, & ſcitabere ab ipſo.
Emicat extemplò, lætus poſt talia matris
Dicta ſuæ Phaëthon, & r concipit æthera mente:
Æthiopaſque s ſuos, poſitóſque t ſub ignibus Indos
Sidereis tranſit, patrióſque adit impiger ortus.

q Ἠέλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις. Homer. Οδ. μ. r Cœlum, Divinitatem, & omnia ſibi ſumma pollicetur. s Quibus ipſe imperavit. Beroſus. t Sub Sole verticali.

# LIBER II.

## Phaëthon. FAB. I.

a Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante b auro, flammáſque imitante c pyropo:
Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat:
Argenti bifores radiabant limine valvæ.
Materiam ſuperabat d opus: nam e Mulciber illic

a In Rhetorum ſcholis, è quibus penitus inſtitutus prodiit noſter, præceptum eſt, *Veſtibula ut ſint honeſta, aditúſque illuſtres.* Quin & hoc ſolenne poetis ut Tranſitiones atque exordia a Typographiis & Chronographiis ducant. Curavit ergo noſter ut à ſpecioſâ palatii deſcriptione auſpicaretur liber hic ſecundus. In qua deſc. volunt nonnulli poetam intendiſſe digitum ad Auguſti Templum cum porticu & bibliothecâ magnificè extructum in parte Palatii. Alii, habuiſſe eum ante oculos regiam Latini à Virgilio deſcriptam 7. Æneid. Ego certè credo Poetam, quo fuit ingenio, in mentem ſuam tantùm tinxiſſe calamum, atque indè cum Phaethonte ſuo *concepiſſe æthera mente.* Niſi fortè in manibus habuerit Euripidis Phaethonta qui nobis interiit, cujus meminit Athenæus 11. l. & cujus à Longino, dum exempla poeticæ phantaſiæ adfert, ſpecimen citatur, inibique præcepta Phœbi Phaethontem ſuum monentis inſtituentiſque. infra ad verſ. 54. & 133. b Lege Senecam hos verſus citantem, epiſt. 115. c Gemma radiante inſtar carbunculi. Neque enim placet de ære coronario intelligere: quod Plinius l. 34. c. 8. ſcribit *auri certis ſcrupulis mixtū prætenui pyropi bracteâ igneſcere.* d Tum artificium, tum argumentum. *Materia non cedit opus.* Martial. 8. 51. e Vulcanus ad cujus artificium in Achillis clypeo Il. 18. reſpexiſſe poetam volunt.

Æquora cœlârat medias cingentia terras,
Terrarúmque orbem, cœlúmque quod imminet orbi.
Cæruleos habet unda deos,[f] Tritona canorum,
[g] Proteáque ambiguum, balænarúmque prementem
[h] Ægæona ſuis immania terga lacertis;
[i] Doridáque & natas: quarum pars nare videtur;
Pars in [k] mole ſedens virides ſiccare capillos;
Piſce vehi quædam. Facies non omnibus una eſt,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.
Terra viros, urbéſque gerit, ſylváſque, feráſque,
Fluminâque, & nymphas, & cætera numina ruris.
Hæc ſuper impoſita eſt cœli fulgentis imago;
[l] Signaque ſex foribus dextris, totidémque ſiniſtris.
Quo ſimul acclivo Clymeneïa limite proles
Venit, & intravit dubitati tecta parentis;
Protinus ad patrios ſua fert veſtigia vultus,
Conſiſtitque procul: neque enim propiora ferebat
Lumina. [m] Purpureo velatus veſte ſedebat
In ſolio Phœbus, claris lucente ſmaragdis.
A dextrâ lævâque Dies, & Menſis, & Annus,
Seculáque, & poſitæ ſpatiis æqualibus [n] Horæ:
Vérque novum ſtabat cinctum florente coronâ:
Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta gerebat:
Stabat & Autumnus calcatis ſordidus uvis:
Et glacialis hyems canos hirſuta capillos:
Inde loco medius rerum novitate paventem
Sol oculis juvenem, quibus aſpicit omnia, vidit:
Quæque viæ tibi cauſa? quid hac, ait, arce petiſti
Progenies Phaëthon haud inficianda parenti?
Ille refert, O lux immenſi publica mundi,
Phœbe pater, ſi das uſum mihi nominis hujus,
Nec falſa Clymene culpam ſub imagine celat;
Pignora da genitor, per quæ tua vera propago

f v 333 l. 1. g Vide lib. 8. v. 737. h Ἐνάλιον θεὸν, Deum marinum, Heſychio, quem tamen eundem cum Briareo facit Homerus Il. α & Virg. 10. Æneid. i Oceani ac Tethyos filiam, Nerei uxorem, matrem Nympharum marinarum. k Scopulo. l. 13. v. 924. Glaucus de ſe; Nunc in mole ſedens moderabar arundine linum. l Sedebat itaque Phœbus in Æquatore, hinc inde Zodiaci ſignis diviſis, 6 Septentrionalibus ad dextram, 6 Auſtralibus ad ſiniſtram. m Ipſo Solis radio Phœbi ſolium videtur deſcriptum, quod cingunt ſatellites, ſtipatores, cuſtodes, famuli, accenſi, aſſeclæ, clientes, quibus omnes à Sole dimenſum ſuum. n Solis miniſtræ, cœli janitrices, πυλωρεὶ τῦ ὀυρανῦ. Homer. Il. ε. πύλαι μύχον ὀυρανῦ, ὅς ἔχον ὧραι, &c.





Credar; & hunc animis errorem detrahe noſtris.
Dixerat. At genitor circum caput omne micantes
Depoſuit radios, propiúſque accedere juſſit:
Amplexúque dato, nec tu meus eſſe negari
Dignus es; & Clymene veros, ait, edidit ortus.
Quóque minùs dubites, quodvis pete munus; & illud
Me tribuente feres: promiſſi teſtis adeſto
[o] Diis juranda palus, oculis incognita noſtris.
Vix bene deſierat: currus petit ille paternos
Inque diem alipedum jus & moderamen equorum.
Pœnituit juráſſe patrem; qui térque quatérque
Concutiens illuſtre caput, [p] Temeraria, dixit,
Vox mea facta tua eſt: utinam promiſſa liceret
Non dare! confiteor, ſolum hoc tibi, nate, negarem.
Diſſuadere licet: non eſt tua tuta voluntas.
Magna petis, Phaethon, & [q] quæ non viribus iſtis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis: non eſt mortale quod optas.
[r] Plus etiam quàm quod ſuperis contingere fas eſt
Neſcius affectas. placeat ſibi quiſque licebit;
Non tamen ignifero quiſquam conſiſtere in axe
Me valet excepto. vaſti quoque rector Olympi,
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextrâ,
Non aget hos currus. Et quid Iove majus habetur?
[ſ] Ardua prima via eſt, & quà vix mane [t] recentes
Enituntur equi; medio eſt altiſſima cœlo:
Vnde mare, & terras ipſi mihi ſæpe videre
Sit [u] timor, & pavida trepidet formidine pectus.
Vltimà prona via eſt, & eget moderamine certo.

o ὅςε μέγιςος Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν Homer. in in hymno Apollinis. Θεῶν μέγαν ὅρκον. Heſiod. Theog. Ὁρκωμότους ἀφθέτοις ἕδρας. Lycophron rationem vide apud utriuſque commentatorem Io. & Iſ. Tzetzen. Reddidimus & nos ad v. 712. Hercul. furent. Senecæ Vide & Clariſſ. Fr. Baconi Sapientiam Veterum 5. c. Styx ſeu Fœdera. vide infra li. 3. v. 291. p Temeritas mei promiſſi ceſſit in temerariam tuam petitionem. Nec video quid ſibi velit quorundam expoſitio ut *tua* ſit ſextus caſus & ſubaudiatur *voce*. Tua ſc. voce, mea vox temeraria facta eſt. Nec eorũ quibus *Tua*, eſt *tui juris*. q Ex Phaethonte Euripidis, cujus meminit Athenæus 11. l. videntur deſumpti verſus iſti; Μὴ θίγῃς ἡνίων παιδίον, ἄπειρος ὤν. Μηδὲ ἀναβῇς τὸν δίφρον, ἐλαύνειν μὴ μαθών, quos citat Clemens Alexandrinus 3. l. παιδαγωγῦ. 2. c. r Verſ. 190. infr. ſ Aſcenſus acclivis, medium caligans, deſcenſus præceps: uti & honorum. t Ex opinione vulgi, cui Sol noctu quieſcere creditur, & res in plano agi videtur. u Infra ad verſ. 179.

Tunc etiam, [x] quæ me ſubjectis excipit undis,
Nè ferar in præceps, Tethys ſolet ipſa vereri.
Adde quòd aſſidua rapitur [y] vertigine cœlum,
Sideráque alta trahit, celerique volumine torquet.
[z] Nitor in adverſum: [a] nec me, qui cætera, vincit
Impetus; & rapido contrarius evehor orbi.
Finge datos currus: quid ages? poteriſne rotatis
Obvius ire polis, [b] nè te citus auferat axis?
Forſitan & lucos illìc, urbéſque Deorum
Concipias animo, delubráque ditia donis
Eſſe: per inſidias itèr eſt formáſque ferarum.
Utque viam teneas, nullóque errore traharis:
Per tamen [c] adverſi gradieris cornua Tauri,
[d] Æmonióſque arcus, violentique ora Leonis,
Sæváque circuitu curvantem brachia [e] longo
Scorpion, atque [f] aliter curvantem brachia Cancrum.
Nec tibi quadrupedes, animoſos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore, & [g] naribus efflant,
In promptu regere eſt: vix me patiuntur, ubi acres
Incaluêre animi, cervixque repugnat habenis.
At tu, funeſti ne ſim tibi muneris autor,
Nate, cave: dum réſque ſinit tua corrige vota.
Scilicet ut noſtro genitum te ſanguine credas,
Pignora certa petis: do pignora certa timendo,
Et patrio pater eſſe metu probor. Aſpice vultus
Ecce meos: utinámque oculos in pectore poſſes
Inſerere, & patrias intùs deprendere curas.
Denique quicquid habet dives, circumſpice, mundus,
Déque tot ac tantis cœli, terræque, mariſque,
Poſce bonis aliquid: nullam patière repulſam.

x Mare, ſecundum ſenſum, & opinionem vulgi, cui litus incolenti videtur Sol Oceano ſe mergere: ut etiam navigantium ut Lucret. 4 l. *In pelago nautis ex undis ortus, in undas Sol fit uti videatur obire & condere lumen,* &c. y Motu violento, quo primum Mobile orbes ſubjectos ab ortu ad occaſum, inde per Antipodum Horizontem ad ortum noſtrum 24. horarum ſpatio incitatiſſima converſione rapit, ſuper polos mũdi. z Motu naturali quo orbes ſinguli, motione ſibi propriâ, ab Occidente in Orientem feruntur, ſuper polos Zodiaci. a Neque me ſub Ecliptica linea manentem moratur iſta primi Mobilis impetuoſa rotatio; ſicut deviant cæteri planetæ retrogradi, citiùs aut tardiùs moventes propter Apſides. *b* Ne te rapiat celerrima cœli rotatio. *c* Orientem quippe ſpectat Taurus. *d* Sagittarium, ex Chirone Theſſalo. Vexat ſe hîc Scal. 7. Hypercrit. quòd annuum Solis laborem poeta ad unius diei penſum exigit. Sed neque imperitus rerum harum Ovidius. Speciosè, non exactè locatum inducit Solem, quò juvenem deterreat. *e* Duorum quippe ſignorum penè ſpatium occupat, in Libram porrectus. *f* Contrà quàm Scorpius: hic ſc. occaſum verſus, ille orientem ſpectat. *g Cùm primùm altoſe gurgite tollunt Solis equi, lucémque elatis naribus efflant.* Virg. 12 Æneid.

Deprecor



Deprecor hoc unum, quod vero nomine pœna,
Non honor eſt: pœnam, Phaëthon, pro munere poſcis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita, dabitur (Stygias juravimus undas)
Quodcunque optâris: ſed tu ſapientiùs opta.
Finierat monitus: dictis tamen ille repugnat,
[h] Propoſitúmque premit, flagrátque cupidine currus.
Ergò, quà licuit genitor cunctatus, ad altos
Deducit juvenem, [i] Vulcania munera, currus.
[k] Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.
Per juga chryſolithi, poſitæque ex ordine gemmæ,
Clara [l] repercuſſo reddebant lumina Phœbo.
Dumque ea magnanimus Phaëthon miratur, opúſque
Perſpicit; ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena [m] roſarum
Atria: [n] diffugiunt ſtellæ; quarum agmina cogit
Lucifer, & cœli [o] ſtatione [p] noviſſimus exit.
Tum pater, ut terras mundúmque rubeſcere vidit,
Cornuáque extremæ velut evaneſcere lunæ;
Iungere equos Titan velocibus imperat [q] Horis.
Iuſſa Deæ celeres peragunt, ignémque vomentes
[r] Ambroſiæ ſucco ſaturos præſepibus altis
Quadrupedes ducunt, adduntque ſonantia fræna.
Tum pater ora ſui ſacro [ſ] medicamine nati
Contigit, & rapidæ fecit patientia flammæ:

h Vide, inquit Seneca lib. de Providentiâ, quam altè aſcendere debeat virtus: ſcies illi non per ſecura vadendum eſſe. Ardua prima via eſt, & qua vix, &c. Hæc cùm audiſſet ille generoſus adoleſcens: Placet, inquit, via. aſcendo. Eſt tanti per iſta ire caſuro. Non deſiit tamen pater acrem animum metu territare. Utque viam teneas, nulloque errore traharis; Per tamen adverſi, &c. Poſt hæc ait, Finge datos currus. His, inquit juvenis, quibus me deterreri putas, incitor: libet illic ſtare, ubi ipſe Sol trepidat: Humilis & inertis eſt, tuta ſectari: per alta virtus it. *i* Ex officinâ Vulcani. *k* Non eſt cur diſertiſſimo poëtæ litem intendat Diomedes Grammaticus affectati decoris & nimii cultus: ſi ad principem poëtarum Virg. attendat, lumen orationi ab hac eadem repetitione ſæpiùs conciliantem, Æneid. libb. 4. 5. 7. 11. & 12. Nec rarò Homerum idem factitantem. Lege Senecæ epiſtolam 115. qua ratione hos inducat verſus. *l* Radiis Solaribus ad léve & ſolidum corpus refractis. *m* Aurora Græcis poëtis eſt, ῥοδοδάκτυλος, ῥοδόπηχυς, ῥοδόπεπλος, ῥοδόχροος. *n* Evaneſcunt ſc. languidæ, a Solis majore luce minores obſcuratæ. *o* Tranſlat. a re militari. *p* Veneris ſtella, quam terræ propiorem ſeriùs luſtrat Sol quàm fixas ſtellas. *q* Supra ad v. 26. *r* Axe ſub Heſperio ſunt paſcua Solis equorum, Ambroſiam pro gramine habent. l. 4. *ſ* Cui inerat virtus ἀλεξίπυρος vel ἀνεξίπυρος.

C 6 Impo-

*Impoſuitque comæ radios, præſagáque luctûs*
*Pectore ſollicito repetens ſuſpiria, dixit:*
*Si potes his ſaltem monitis parêre parentis;*
*Parce, puer,* [t] *ſtimulis, & fortiùs utere* [u] *loris.*
*Sponte ſuâ properant: labor eſt inhibere volantes.*
[x] *Nec tibi directos placeat via quinque per arcus.*
*Sectus in obliquum eſt lato curvamine limes,*
*Zonarúmque trium contentus fine, polúmque*
*Effugit Auſtralem, junctámq; Aquilonibus Arcton.*
[y] *Hâc ſit iter: manifeſta rotæ veſtigia cernes.*
*Vtque ferant æquos & cœlum & terra calores,*
*Nec preme, nec ſummum molire per æthera currū.*
*Altiùs egreſſus cœleſtia tecta cremabis;*
*Inferiùs, terras:* Medio tutiſſimus ibis.
*Neu te dexterior* [z] *tortum declinet ad Anguem;*
*Néve ſiniſterior preſſam rota ducat ad* [a] *Aram;*
Inter utrumque tene: *fortunæ cætera mando,*
*Quæ juvet, & meliùs, quàm tu tibi, conſulat opto.*
*Dum loquor, Heſperio poſitas in litore metas*
*Humida* [b] *nox tetigit: non eſt mora libera nobis.*
*Poſcimur, & fulget tenebris Aurora fugatis.*
*Corripe lora manu: vel, ſi mutabile pectus*
*Eſt tibi; conſiliis, non curribus utere noſtris,*
*Dum potes, &* [c] *ſolidis etiam nunc ſedibus aſtas;*
*Dumque malè optatos nondum premis inſcius axes;*
*Quæ tutus ſpectes, ſine me dare lumina terris.*
[d] *Occupat ille levem juvenili corpore currum;*
*Statque ſuper, manibuſque datas contingere habenas*
*Gaudet, &* [e] *invito grates agit indè parenti.*
*Interea volucres* [f] *Pyroeis, Eous, & Æthon,*

t Flagellis, u Frænis. x Non eundum rectâ per 5. circulos parallelos: ſed per Zodiacum, qui Æquatorē obliquè interſecans Tropicū Cancri a dextra Arcticum verſus, attingit; Tropicum Capricorni a ſiniſtra, ad Antarcticum. y Longinus περὶ ὕψους laudans Phantaſiam Euripidis iſta citat ex Phaëthonte ipſius. Τῷ γοῦν Φαέθοντι παραδιδοὺς τὰς ἡνίας ὁ ἥλιος, ἔλα δὲ &c. Phaëthonti habenas tradens Sol, impelle non in Lybicum æthera incidens, &c. ſed ito ſupra ſeptem Plejadas curſum tenens. z Qui flexu ſinuoſo labitur anguis Circùm, perque duas in morem fluminis Arctos. Vir. 1. Geor. a Sidus Auſtrale conſtans 7. ſtellis, non longè à cauda Scorpii. Latus autem mundi Auſtrinum, depreſſius; Boreale nobis ſublime. b Et ipſa ſpatio confecto, emenſa curſum occidit littore Heſperio. c In regiâ meâ, curru nondum conſcenſo. d Τοσαῦτ' ἀκούσας ἔμαρψεν ἡνίας, κρούσας δὲ πλευρὰ πτεροφόρων ὀχημάτων, μεθῆκεν. Longinus ex Euripide. ſuprà 133. v. e Cui extorſi hoc munus, quod non interpretatur beneficii loco, nedum gratiis digno. f Alia aliis poëtis & mythicis equorū Solis nomina: quos vide.





*Solis equi, quartuſque Phlegon, hinnitibus auras*
*Flammiferis implent, pedibuſque* [g] *repagula pulſant.*
*Quæ poſtquam Tethys fatorum* [h] *ignara nepotis*
*Reppulit, & facta eſt immenſi copia cœli;*
*Corripuêre viam, pedibuſque* [i] *per aëra motis*
*Obſtantes ſcindunt nebulas, penniſque levati*
*Prætereunt ortos iiſdem de partibus Euros.*
*Sed leve pondus erat, nec quod cognoſcere poſſent*
*Solis equi, ſolitâque jugum gravitate carebat.*
*Vtque labant curvæ juſto ſine pondere naves,*
*Perque mare inſtabiles nimiâ levitate feruntur:*
*Sic onere inſueto vacuos dat in aëre ſaltus,*
*Succutiturque altè, ſimiliſque eſt currus inani.*
*Quod ſimul ac ſenſere, ruunt, tritumque relinquunt*
*Quadrijugi ſpatium, nec, quo priùs ordine, currunt.*
*Ipſe pavet, nec quà commiſſas flectat habenas,*
*Nec ſcit, quà ſit iter; nec, ſi ſciat, imperet illis.*
*Tum primùm radiis gelidi caluere* [k] *Triones,*
*Et* [l] *vetito fruſtrà tentârunt æquore tingi.*
[m] *Quæque polo poſita eſt glaciali proxima ſerpens,*
*Frigore pigra priùs, nec formidabilis ulli,*
*Incaluit,* [n] *ſenſitque novas fervoribus iras.*
*Te quoque turbatum memorant fugiſſe, Boote;*
*Quamvis* [o] *tardus eras, & te tua plauſtra tenebant.*
*Vt verò terras deſpexit ab æthere ſummo*
*Infelix Phaëthon penitus penituſque jacentes,*
*Palluit, & ſubito* [p] *genua intremuêre timore;*
*Suntque oculis* [q] *tenebræ per tantum lumen obortæ:*
*Et jam mallet equos nunquam tetigiſſe paternos:*
*Iam cognôſſe genus piget, & valuiſſe rogando:*
*Iam* [r] *Meropis dici cupiens; Ita fertur, ut acta*

g Βαλβίδας, ὕσπληγγα, carceres. h Neſcia, quanta ruina immineret Phaëthonti, quē peperit Clymene filia Tethyos. i Αἱ δ' ἐπτάνθ' ἐπ' αἰθέρος πτύχας. Longinus, ut modò. k Ἅμαξα, ἑλίκη. Vrſa major, conſtans ex 27. ſtellis, quarum ſeptem lucidiores plauſtri formam referunt. l Anachroniſmus Prolepticus; ſi fabulam advertas, qua Iuno pellicem Caliſto cum filio in aſtra relatos indignata, hoc ab Oceano impetrabit, infra v. 530 ſi veritatem, quia polo elevato vicina hæc aſtra, Helice & Cynoſura. m De quo modò, verſ. 138. n Æſtu approximante aſperior & ſævior. o Vtpote polo vicinior, adeoque ambitus illi minor. p Quibus viror ineſt & vegeti roboris indicium; & hæc tamen intremuere. ſic *hinnulus*, Horat. 1. l. 23. Ode, *& cordi & genibus tremit*. Et in SS. literis, Balſhazzar, Dan. 5. q Vertigo caligans offuſa eſt oculis & animo in mediâ luce, imo in tantâ. Ἔμφασις ὀξύμωρος. r Qui maritus Clymenes, mortalis jam filius dici potiùs cupiens quàm Dei. Namq; Homero φῦλα μερόπων ἀνθρώπων.

*Præcipiti pinus Borea, cui * cuncta remiſit*
*[t] Fræna ſuus rector, quam Dîs, votiſque reliquit.*
*Quid faciat? multum cœli poſt terga relictum;*
*Ante oculos plus eſt; animo metitur utrumque:*
*Et modò quos illi [t] fas tum contingere non eſt,*
*Proſpicit occaſus, interdum reſpicit ortus.*
*Quidque agat ignarus, ſtupet: & nec fræna remittit,*
*Nec retinere valet, nec nomina novit equorum.*
*Sparſa quoque in vario paſſim miracula cœlo,*
*Vaſtarumque videt trepidus [u] ſimulacra ferarum.*
*Eſt locus, in geminos ubi brachia concavat arcus*
*[x] Scorpius; & cauda, flexiſque utrinque lacertis*
*Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum.*
*Hunc puer ut nigri [y] madidum ſudore veneni*
*Vulnera curvata minitantem cuſpide vidit;*
*Mentis inops, gelidâ formidine lora remiſit:*
*Quæ poſtquam ſummo ſenſêre jacentia tergo;*
*Expatiantur equi, nulloque inhibente per auras*
*Ignotæ regionis eunt, quaque impetus egit,*
*Hàc ſine lege ruunt, altoque ſub æthere fixis*
*Incurſant ſtellis, rapiuntque per [z] avia currum.*
*Et modò ſumma petunt, modò per [a] decliva, viaſque*
*Præcipites ſpatio terræ propiore feruntur;*
*Inferiuſque ſuis [b] fraternos currere Luna*
*Admiratur equos: ambuſtaque nubila fumant.*
*[c] Corripitur flammis ut quæque altiſſima tellus,*
*Fiſſaque agit rimas, & ſuccis aret ademptis.*
*Pabula caneſcunt; cum frondibus uritur arbor;*
*Materiamque ſuo præbet ſeges arida damno.*
*Parva queror: magnæ pereunt cum mœnibus urbes:*
*Cumque ſuis totas populis incendia [d] terras*
*In cinerem vertunt; ſylva cum montibus ardent.*

* Victa. ſ Clavum. t Alii leg. Fatum contingere non eſt. u Signorum monſtra; præ cæteris Scorpion. x Signum Zodiaci conſtans ſtellis 21. duorum penè ſignorum ſpatia occupans. chelæ ſiquidem Libram conſtituere videntur; ſcorpium verò ipſum cauda recurva deſignat. y A caloris viciniâ ſudantem, æſtuantem, ſævientem. z Avia cum Phaëthonta rapax vis Solis equorum Æthere raptavit toto. Lucret. 5. l. a Declivia loca. proba lectio *declivia*. licet alii obtrudāt *declive*. b Phœbi, cujus ſoror Phœbe, & genere, & officio, & lumine mutuato. c Excuſanda hic ſubit Ovidii ſolennis luxuria: quam tamen interpolant ingenium poëtæ, ſignantia epitheta, feſtivæ alluſiones; quæ modò Phyſicen ſapiunt, modò hiſtoriam reſpiciunt. d Ineptiſſimè *gentes* legi pronunciat Ciofanus, cùm *gentes* & *populi* idem ſint. fidem etiam appellat vett. codicum. Mſſ. tamen MSS. *gentes* habent.

[e] *Ardet*



*[e] Ardet Athos, Tauruſque Cilix, & Tmolus, & Oete,*
*Et tum ſicca, priùs [f] celeberrima fontibus, Ide;*
*[g] Virgineuſq; Helicon, & [h] nondum Oeagrius Æmus:*
*Ardet in immenſum [i] geminatis ignibus Ætna,*
*[k] Parnaſſuſque biceps, & Eryx, & Cynthus, & Othrys,*
*[l] Et tandem nivibus Rhodope caritura, Mimaſque,*
*Dindymaque, & Mycale, [m] natuſq; ad ſacra Cythæron.*
*Nec proſunt [n] Scythiæ ſua frigora: Caucaſus ardet,*
*Oſſaque cum Pindo, majorque ambobus [o] Olympus,*
*Aëriæque Alpes, & [p] nubifer Apenninus.*
*Tum verò Phaëthon cunctis è partibus orbem*
*Aſpicit accenſum, nec tantos ſuſtinet æſtus:*
*Ferventeſque auras, velut è fornace profundâ,*
*Ore trahit, curruſque ſuos candeſcere ſentit.*
*Et neque jam cineres, ejectatamque favillam*
*Ferre poteſt, calidoque involvitur undique fumo;*
*Quoque eat, aut ubi ſit, picea caligine tectus*
*Neſcit; & arbitrio volucrum raptatur equorum.*
*[q] Sanguine tum credunt in corpora ſumma vocato,*
*Æthiopum populos nigrum traxiſſe colorem:*
*Tum facta eſt Libye raptis humoribus æſtu*
*Arida; tum nymphæ paſſis fonteſque, lacuſque,*
** Deſluxêre comis: [r] quærit Bœotia Dircen;*
*Argos Amymonen, [ſ] Ephyre Pirenidas undas.*
*[t] Nec ſortita loco diſtantes flumina ripas*
*Tuta manent: Mediis Tanaïs fumavit in undis,*
*Penëuſque ſenex, [u] Teuthranteuſque Cäycus,*
*Et celer Iſmenos, cum Phocaïco Erymantho,*

e Ardet Athos mons Macedoniæ, Taurus Ciliciæ, Tmolus Phrygiæ, Oeta Theſſaliæ, &c. de quibus videantur Geographi, niſi ubi aliud quid occurrat interprete dignum. f Quã inde πολυπίδακα appellat Homerus. Sunt qui leg. *creberrima fontibus*. g Muſis virginibus ſacer Bœotiæ mons. h Nondum infamis morte Orphei qui filius erat Oeagri. de quo vide l. 11. v. 1. i Nativis ſuis l. 15. v. 340. atque his incendii Phaëthontæi. k Verſ. 316. l. 1. l Non aliàs caritura; ut quæ perpetuis caneſcat nivibus. m Bacchatus jugis. Vbi audito ſtimulant Trieterica Baccho Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron. Virg. 4. Æn. vide & noſtrum ſub exitu lib. 3. n Multa de Scythiæ frigore queſtus eſt noſter poëta, in libb. de Triſtibus & de Ponto. o Nubes cacumine ſuperans. *Nubes ſurpexit Olympus.* Lucanus de Olympo magicis ſuppreſſo. 6. l. 477. v. unde & pro *cœlo* uſurpatur. p Vertice ſe attollens pater Apenninus ad auras. Virg. 12. Æn. q Inter Metamorphoſeis, numerare licet plurimas cauſas naturales ad fabulas detortas transferri. * Al. Deflevere. r Nec invenit, deſiderant ſc. multæ regiones fontes ſuos. ſ Corinthus. t Quin & latiſſima & altiſſima flumina exſiccata ſunt. u Myſiæ fl. aliis Paphlagoniæ, a Teuthrante rege Telephi patre.

[x] *Arſu-*

x Arſuruſque iterum Xanthus, y flavuſq; Lycormas,
Quique recurvatis ludit z Mæander in undis,
Mygdoniuſque Melas, & a Tænareus Eurotas:
Arſit & Euphrates b Babylonius, arſit Orontes,
Thermodoonque citus, Gangeſque, & Phaſis, & Iſter.
Æſtuat Alphëus, ripæ Sperchiades ardent,
Quodq; ſuo Tagus amne vehit, c fluit ignibus aurum:
Et, quæ Mæonias celebrârant carmine ripas,
Fluminea d volucres medio caluêre Caÿſtro.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
e Occuluitque caput, quod adhuc latet: oſtia ſeptem
Pulverulenta vacant, ſeptem ſine flumine valles.
Sors eadem Iſmarios Hebrum cum Strymone ſiccat,
Heſperioſq; amnes Rhenum, Rhodanumque, Padumq;,
Cuique fuit rerum f promiſſa potentia Tibrim.
Diſſilit omne ſolum, penetratque in Tartara rimis
Lumen, & infernum terret cum conjuge regem:
Et mare contrahitur, ſiccæque eſt campus arenæ
Quod modò pontus erat; quoſq; g altum texerat æquor,
Exiſtunt montes, & h ſparſas Cycladas augent.
Ima petunt piſces: nec ſe ſuper æquora curvi
Tollere conſuetas audent delphines in auras.
Corpora phocarum ſummo reſupina profundo
Exanimata jacent: ipſum quoque Nerea fama eſt,
i Doridaque, & natas, tepidis latuiſſe ſub undis.
Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
Exerere auſus erat; ter non tulit aëris ignes.
Alma tamen Tellus, ut erat k circundata ponto
Inter aquas pelagi, contractoſque undique fontes,
Qui ſe condiderant in opacæ viſcera matris,

x Trojano nempe bello, ubi Vulcani vi arſit & exaruit Xanthus. Il. φ. ὁ δ' ἐς ποταμὸν τρέψε φλόγα παμφανόωσαν, &c.
y Flavas volvens arenas Lycormas Ætoliæ fl.
z Mæander fl. Phrygiæ ſinuoſis flexibus prolapſus (600 ut numerant gyris) in fontē ſuum multoties reverti videtur.
a Alii leg. Tænaricus Eurotas. Laconiæ fl.
b Mediam Babylonem interfluens.
c Liquuntur auriflui amnis ramenta, ſi credere fas eſt.

d Cygni. Hîc etiam ortum Nili, qui inter abditiſſima Naturæ arcana latet, ad fabulam transfert, uti dictum ad v. 235. modò. de cujus fl. origine & inundationis cauſſis vide quæ nos ad Lucanum 10. l. 190. f Reſpicit fortè ad Iovis promiſſum 1. Æn. Virg. aut Calchantis vaticinium 13. l. Q. Calabri v. 336. Al. *permiſſa*. g Et cœci modò atque ſub aquis latentes ſcopuli apparent, augentque Cycladum inſſ. numerum. h Vnde & σποράδες dictæ, Virg. 3. Æn. Sparſaſque per æquor Cycladas, & crebris legimus freta conſita terris. Cyclades verò quòd κύκλον i. circulum inter ſe formant. i Oceani & Tethyos filiam, Nerei uxorem, matrem nympharum marinarum. k Cincta Oceano, qui terrarum ſolidum coërcet orbem 1. l. 31. v.

l Suſtulit



l Suſtulit m omniferos collo tenus arida vultus:
Oppoſuitque manum fronti, magnoque tremore
Omnia concutiens paulùm ſubſedit; & infrà
Quàm ſolet eſſe, fuit: n ſacrâque ità voce profatur;
Si placet hoc, meruique, quid ô tua fulmina ceſſant,
Summe Deûm? liceat perituræ viribus ignis,
Igne perire tuo, clademque o autore levare.
Vix equidem fauces hæc ipſa in verba reſolvo:
(Preſſerat ora vapor) toſtos en aſpice crines,
Inque oculis fumum; volitant ſuper ora favillæ.
Hoſne mihi fructus? hunc fertilitatis honorem,
Officiique refers, quòd adunci vulnera aratri
Raſtrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quòd pecori frondes, p alimentaque mitia fruges
Humano generi, vobis quoque thura miniſtro?
Sed tamen exitium fac me meruiſſe: quid undæ?
Quid meruit q frater? cur illi tradita ſorte
Æquora decreſcunt, & ab æthere longiùs abſunt?
Quòd ſi nec fratris, nec te mea gratia tangit;
At cœli miſerere tui: circumſpice, r utrinque
Fumat uterque polus; quos ſi violaverit ignis,
Atria veſtra ruent. s Atlas en ipſe laborat,
Vixque ſuis humeris candentem ſuſtinet axem.
Si freta, ſi terræ pereunt, ſi regia cœli;
In chaos antiquum confundimur. Eripe flammis
Si quid adhuc ſupereſt, & rerum conſule ſummæ.
Dixerat hæc Tellus: neque enim tolerare vaporem
Vlteriùs potuit, nec dicere plura; ſuumque
Rettulit os in ſe, propioraque Manibus antra.
At pater omnipotens ſuperos teſtatus, & t ipſum,

l Videtur poëta reſpexiſſe ad locum Pauſaniæ in Atticis. Ἔστι δὲ καὶ γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαι τὸν Δία. Eſt apud Athenienſes ſimulachrum terræ Iovi ſupplicantis ut è cœlo imbrem demitteret.
m Ipſa quippe terra eſt alma mater, omniparens, Pandora.
n Quia Dea, Veſta, Cybele. non ſicca, ut legunt nonnulli.
o Iove potiùs quàm Phaëthonte.
p Prodiga rerum omnium quæ ad victum mortalium, & ad cultū Deorum pertinent. q Neptunus, cui in diviſione Mundi ſorte obtigit mare, ut Iovi cœlum, Plutoni inferi. r Plato in Timæo, fabulam refert ad montanarum regionum incendia. In Phædone ad affectuum incontinentiam. ita Clemens Alex. Stromat 5. Lucianus in Aſtrologia, ad Solis curſum à Phaëthonte deprehenſum, ſed imperfectè relictum. Tertullianus ad conflagrationem Sodomæ. Ramires ad Heliam in curru igneo raptum. Pentecontarch. 26. Alii ad temeraria Principum juvenum imperia. s Ex rege Mauritaniæ Aſtronomiæ periti ſſimo cœlique motus docente, mons altiſſimus, cujus vertex nubes ſuperans aciem oculorum fugit, à Poëtis fingitur cœlum ſuſtinere, ab accolis appellatur *columna* Cœli. l. 5. v. 657. Virg. 4. Æn. *cælum qui vertice fulcit*. t Phœbum.

Qui

*Qui dederat currus; niſi opem ferat, omnia fato*
*Interitura gravi, ſummam petit arduus* [u] *arcem;*
*Vnde ſolet nubes latis inducere terris;*
*Vnde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.*
*Sed neque, quas poſſet terris inducere nubes,*
*Tunc habuit, nec, quos cœlo demitteret, imbres.*
[x] *Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure*
*Miſit in aurigam: pariterque, animaque rotiſque*
*Exuit, & ſævis* [y] *compeſcuit ignibus ignes.*
*Conſternantur equi: & ſaltu in contraria facto*
*Colla jugo* [z] *excutiunt, abruptaque lora relinquunt.*
*Illic frena jacent, illic temone revulſus*
*Axis, in hac radii fractarum parte rotarum:*
*Sparſaque ſunt latè laceri veſtigia currûs.*
*At Phaëthon, rutilos flamma populante capillos,*
*Volvitur in præceps, longoque per aëra tractu*
*Fertur: ut interdum de cœlo* [a] *ſtella ſereno,*
*Quæ ſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.*
*Quem procul à patria diverſo maximus orbe*
[b] *Excipit Eridanus, fumantiaque abluit ora.*

u Armamẽtariũ cœli. x Vtcunque neget Lucretius l. 6. Fulmina gignier è craſſis altèque putandum eſt Nubibus extructis. Nam cœlo nulla ſereno, Nec leviter denſis mittuntur nubibus unquam. Hîc tamen Emicuit cœlo tacitũ ſine nubibus ullis Fulmen Lucan. 1. & , Dieſpiter per purum tonantes egit equos volucremque currum. Hor. Od. 34. l. 1. y Oxymoron q.d. extinxit ignibus ignes. z Ita Mss. elegantiùs per Hypallagen, quàm quod vulgò legitur *eripiunt*. a Meteoror. exhalatio ſuperius inflammata, vento tranſverſim ad terram dejecta, tractumque ſtellæ cadentis præ ſe ferens. b Longè quippe ab Æthiopia diſtat Eridanus Italiæ fl. max. Ἐνθ᾽ ἄποτ᾽ ἀθαλοέντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ, Ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο. Apollonius 4. l. Arg.

## Sorores Phaëthontis in arbores FAB. 2.3.

[c] N*Ajades Heſperiæ* [d] *trifida fumantia flammâ*
*Corpora dant tumulo, ſignant quoque* [e] *carmine ſaxum:*
Hic ſitus eſt Phaëthon, currûs auriga paterni;
[f] Quem ſi non tenuit, magnis tamẽ excidit auſis.

c Nymphæ Italicæ. d A fulmine quod trifidum, triſulcum, tricuſpe fingunt, propter triplicem poteſtatem, ſubtilem, fuliginoſam, urentem; vel quia lucet, ferit, & ardet. e Epitaphio, eoque ritè concepto, inſcriptoque. Situs n. eſt, qui combuſtus & tumulatus. Cic. 2. l. de legibus. f Huc alludit Seneca, c. 21. de vita beata. Qui hoc facere proponet, volet, tentabit, ad Deos iter faciet. uæ ille, etiamſi non tenuerit, magnis tamen excidet auſis.

*At*



*At pater obductos luctu miſerabilis ægro*
*Condiderat vultus: &, ſi modo credimus, unum*
*Iſſe diem* [g] *ſine ſole ferunt: incendia lumen*
*Præbebant,* aliquiſque malo fuit uſus in illo.
*At Clymene poſtquam dixit, quæcunque fuerunt*
*In tantis dicenda malis; lugubris & amens,*
*Et laniata ſinus, totum percenſuit orbem,*
*Exanimeſque artus primò, mox oſſa requirens:*
*Repperit oſſa tamen peregrinâ condita ripâ,*
*Incubuitque loco, nomenque in marmore lectum*
*Perfudit lacrymis, & aperto pectore fovit.*
*Nec minùs* [h] *Heliades lugent, &* [i] *inania morti*
*Munera dant lacrymas, & cæſæ pectora palmis*
*Non auditurum miſeras Phaëtonta querelas*
*Nocte dieque vocant, aſternunturque ſepulchro.*
*Luna quater junctis implêrat cornibus orbem;*
*Illæ more ſuo (nam morem fecerat uſus)*
*Plangorem dederant,* [k] *è quîs Phaëthuſa ſororum*
*Maxima, cùm vellet terræ procumbere, queſta eſt*
*Diriguiſſe pedes: ad quam conata venire*
*Candida Lampetie, ſubita radice retenta eſt.*
*Tertia, cùm crinem manibus laniare pararet,*
*Avellit frondes: hæc ſtipite crura teneri,*
*Illa dolet fieri longos ſua brachia ramos.*
*Dumque ea mirantur, complectitur inguina cortex,*
*Perque gradus uterum, pectuſque, humeroſq́, manuſq́,*
*Ambit: & extabant tantùm ora vocantia matrẽ.*
*Quid faciat mater, niſi quò trahit impetus illam,*
*Huc eat atque illuc? &, dum licet, oſcula jungat?*
*Non ſatis eſt; truncis avellere corpora tentat,*
*Et teneros manibus ramos abrumpit: at inde*
*Sanguineæ manant, tanquam de vulnere, guttæ.*
[l] *Parce precor, mater, quæcunque eſt ſaucia clamat,*
*Parce precor: noſtrum laceratur in arbore corpus.*
*Iamque vale: cortex in* [m] *verba noviſſima venit.*

g Luminis ſc. ſatis ſuperque ab incendio. h Phaëthontis ſorores. trium hîc mentio. Io. Tzetzes 137. Chil. 4. nominat. 5. Hyginus 154. fab. nominat ſeptem. i Sic Virg. 6. Æneid. Animamq; nepotis His ſaltem accumulem donis, & fungar inani munere. & Æneid. 11. Exanimum mœſti vano comitamur honore. non auditurum ſc. miſeras Phaëthonta querelas Nocte dieque vocãt. k Phaëthontis ſorores alii in αἰγείρους populos nigras, alii in alnos mutatas fuiſſe fabulantur. Virg. 6. Ecloga. Io. Tzetzes 157. Chiliad. 4. l Quid miſerum Ænea laceras? jam parce ſepulto: Parce pias ſcelerare manus, &c. Polydorus apud Virgilium 3. Æneid. m Extremum ſc. vale.

*n Inde*

[n] Inde fluunt lacrymæ, ſtillataque ſole rigeſcunt
De ramis [o] electra novis; quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

n Rem naturalem, ut ſoler, fabulę accommodat. Quam verò arboris eſſe lacrymam volunt, Plin. l. 37. c. 2. & 3. Solin. c. 23. Ambroſ. hexaem. l. 2. c. 15. bituminis eſſe genus aſſerit Dalecampius ad 3. c. 37. l. Plin. in Septentrionalium litorum tractu, è terrâ ſcaturiens, molle quidem ſed maris fluctibus & temporis diuturnitate dureſcere. lege etiam Lucianum περὶ ἠλέκτρου. o Nomen inditum videtur à Sole, qui Homero ἠλέκτωρ. Homer. Il. 3. τεύχεσι παμφαίνων ἠλέκτωρ ἐβεβήκεις.

## Cycnus. FAB. 4.

AFfuit huic [p] monſtro proles [q] Stheneleïa Cycnus:
Qui tibi materno quamvis à ſanguine junctus,
Mente tamen, Phaëthon, propior fuit. Ille relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)
Imperio, ripas virides, amnemque querelis
Eridanum implêrat, ſylvamque ſororibus auctam:
Cùm vox eſt tenuata viro, canæque capillos
[r] Diſſimulant plumæ, collumque à pectore longè
Porrigitur, digitoſque ligat [ſ] junctura rubentes:
Penna latus velat, tenet os ſine acumine roſtrum;
Fit nova [t] Cycnus avis, [u] nec ſe cœloque, Iovique
Credit, ut injuſtè miſſi memor ignis ab illo;
[u] Stagna petit, patuloſque lacus, ignemq́; peroſus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.
Squalidus interea genitor Phaëthontis, & expers
Ipſe ſui decoris: qualis, [x] cùm deficit orbi,
Eſſe ſolet; lucemque odit, ſeque ipſe, diemque;
[y] Datque animum in luctus, & luctibus adjicit iram;
[z] Officiumque negat mundo. Satis, inquit, ab ævi
Sors mea principiis fuit irrequieta, pigetque
Actorum ſine fine mihi, ſine honore laborum.

p Heliadum in arbores electriferas mutatarũ. q Stheneli filius. Sed & alter Cygnus proles Neptunia ab Achille cæſus, in avem cognominem mutatur. inf. l. 12. v. 72. Aliam longè fabulam de Cygno Apollinis filio narrat Anton. Liberalis 12. fab. Metamorphoſ. r Tegunt. Triſt. l. 4. el. 8. Iam mea cygneas imitantur tempora plumas.

ſ Cartilaginoſa, ut in aquatilibus volucribus. t Cygnum Ligurum regem in Muſicis claruiſſe refert Pauſanias in Atticis: ſed in avem mutatum minimè fide dignum videri. uti nec ipſam avem mortis ſuæ præſciam canere. lege Lucianum, περὶ τοῦ ἠλέκτρου ἢ τῶν κύκνων. u Naturalem cauſam transfert ad fab. x Vbi deliquium & Eclipſin patitur, opaci Lunæ corporis interjectu obſcuratus. neque tamen ſimul toti deficit orbi, ſed parti. y Indulget luctibus & indignationi, infenſus Iovi. z Agendi currum, cujus beneficio illuſtratur orbis.





Quilibet alter agat portantes lumina currus:
Si nemo eſt, omneſque dei non poſſe fatentur;
[a] Ipſe agat, ut ſaltem, dum noſtras tentat habenas,
Orbatura [b] patres aliquando fulmina ponat.
Tunc ſciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruiſſe necem, qui non bene rexerat illos.
Talia dicentem circumſtant omnia Solem
Numina, néve velit tenebras inducere [c] terris
Supplice voce rogant: miſſos quoque Iuppiter ignes
Excuſat, [d] precibuſque minas regaliter addit.
Colligit amentes, & adhuc terrore paventes,
Phœbus equos, ſtimuloq́; dolens, & verbere ſævit:
Sævit enim, natumque objectat, & imputat illis.

a Supra verſ. 60. b Per invidiam plurali utitur numero, cùm de uno loquatur. c Al. leg. rebus. d Iuno infra 4. l. 472. verſ. Imperium, promiſſa, preces confundit in unum.

## Caliſto in Vrſam, & Arcas in Arctophylaca. FAB. 5. 6.

AT pater omnipotens ingentia mœnia cœli
Circuit, & nè quid labefactum viribus ignis
Corruat, explorat. quæ poſtquam firma, ſuique
Roboris eſſe videt, terras hominumque labores
[e] Perſpicit (Arcadiæ tamen eſt impenſior illi
Cura [f] ſuæ) fonteſque, & [g] nondum audentia labi
Flumina reſtituit; dat terræ gramina, frondes
Arboribus, læſaſque jubet revireſcere ſylvas.
Dum redit, itque frequens, in virgine Nonacrinâ
Hæſit, & accepti caluere ſub oſſibus ignes.
Non erat hujus opus lanam mollire trahendo,
Nec [i] poſitas variare comas: ſed fibula veſtem,
Vitta [k] coërcebat neglectos alba capillos,
Et modò léve manu jaculũ, modò ſumpſerat arcũ.
Miles erat Phœbes: nec [l] Mænalon attigit ulla

e Al. Deſpicit. ut Virg. 1. Æn. Cùm Iupiter æthere ſummo Deſpiciens mare velivolum, terraſque jacentes, Litoraque & latos populos. f Vbi natus eſt. Namque Cretenſes ortum ſibi Iovis vendicantes, pro mendacibus rejicit Callimachus 1. hymn. Ἐν δέ σε Παῤῥασίῃ Ῥείη τέκεν, &c. tradit idem Pauſanias in Arcadicis. g Necdum, credo, poterant, nupero arefacta incendio. h Arcadicâ. Nonacris enim mons eſt Arcadiæ cum urbe cognomine. ſed & Nonacris uxor erat Lycaonis, cujus nata erat Caliſto. i Al. Poſitu. Sic elegia de medicamine faciei. Vultis adornatos poſitu variare capillos. k Al. coërcuerat. l Montem Arcadiæ.

Gratior hâc [m] Triviæ. Sed nulla potentia longa eſt.
Vlterius medio ſpatium Sol altus habebat,
Cùm ſubit illa nemus, quod nulla ceciderat ætas.
Exuit hîc humero pharetram, lentoſq; [n] retendit
Arcus; inque ſolo, quod texerat herba, jacebat:
Et pictam poſita pharetram cervice premebat.
Iuppiter ut vidit feſſam, & cuſtode [o] vacantem,
Hoc certè furtum conjux mea neſciet, inquit:
Aut ſi reſcierit, ſunt ô, ſunt jurgia tanti!
Protinus induitur faciem, cultumque Dianæ,
Atque ait, O comitum virgo pars una mearum,
In quibus es venata jugis? De [p] ceſpite virgo
Se levat; & ſalve numen, me judice, dixit,
Audiat ipſe licèt, majus Iove: ridet, & audit,
Et ſibi præferri ſe gaudet, & oſcula jungit,
Nec moderata ſatis, nec [q] ſic à virgine danda.
Qua venata foret ſylva narrare parantem
Impedit amplexu, nec [r] ſe ſine crimine prodit.
Illa quidem contrà, quantum modò fœmina poſſet,
(Aſpiceres utinam Saturnia, mitior eſſes)
Illa quidem pugnat: ſed quæ ſuperare puella,
Quiſve Iovem poterat? ſuperûm petit æthera [ſ] victor
Iuppiter; huic odio nemus eſt, & conſcia ſylva.
Indè pedem referens, penè eſt oblita pharetram
Tollere cum telis, & quem ſuſpenderat arcum.
Ecce ſuo comitata choro [t] Dictynna per altum
Mænalon ingrediens, & cæde ſuperba ferarum,
Aſpicit hanc, viſamque vocat: clamata refugit,
Et timuit primò, nè Iuppiter eſſet in illâ.
Sed poſtquam pariter Nymphas incedere vidit,
Senſit abeſſe dolos, numerumque acceſſit ad harum.

*m* Dianæ. quæ tres ſortitur vias ſub Zodiaco, ſecundum longitudinem, latitudinem, altitudinem; motu ſc. proprio nec non violento, ab Ecliptica devio, & Apſidalium, Excentrico, in ἀπογείῳ & περιγείῳ. Sed vide quæ nos ad Hippolytum Senecæ v. 411. quibus adde quæ habet Athenæus l. 7. c. 21.
*n* Remittit, laxat arcū.
*o* Al. Carentem.
*p* Solo quod texerat herba, modò v. 421.
*q* Laſciviora, licentiora quàm quæ à virgine dari par erat.
*r* Et vi virgini illatâ ſe prodit. *ſ* Voti compos. *t* Diana. ἀπὸ τῶν δικτύων, à retibus quibus uſa venatrix Dea. Aliis, quòd nomen hoc ſibi aſſumere dignata eſt Diana in honorem & memoriam Britomartis comitis ſuæ, quæ Minoën præ amore inſequentem cùm fugeret, ſe in mare præcipitavit. Cretes poſtea dirâ graſſante peſte, oraculo moniti virginis cadaver retibus è mari extraxere, atque Dianæ templum ſub Dictynnæ nomine extructum dicavere. Diodor. 6. l. Paulò aliter refert hanc fab. in Corinthiacis. Aliis Dictynna eſt luna, ἀπὸ τοῦ δικεῖν τὰς ἀκτῖνας. Aliter etiam Anton. Liberalis c. 40. Βριτόμαρτις.

Heu



Heu quàm difficile eſt crimē non prodere vultu!
Vix oculos attollit humo: nec ut antè ſolebat,
Iuncta Deæ lateri, nec toto eſt agmine prima:
Sed ſilet, & læſi dat ſigna rubore pudoris.
Et niſi quòd virgo eſt, poterat ſentire Diana
[u] Mille notis culpam: Nymphæ ſenſiſſe feruntur.
Orbe reſurgebant lunaria cornua nono,
Cùm Dea [x] venatu [y] fraternis languida flammis,
Nacta nemus gelidum, de quo cum murmure labens
Ibat, & attritas verſabat rivus arenas.
Vt loca laudavit, ſummas pede contigit undas;
His quoque laudatis, Procul eſt, ait, arbiter omnis:
Nuda ſuperfuſis tingamus corpora lymphis.
[z] Parrhaſis erubuit: cunctæ velamina ponunt:
Vna moras quærit: [a] dubitanti veſtis adempta eſt:
Qua poſita, nudo patuit cum corpore crimen.
Attonitæ, manibuſque uterum celare volenti,
I procul hinc, dixit, nec [b] ſacros pollue fontes,
[c] Cynthia: deque ſuo juſſit ſecedere cœtu.
Senſerat hoc olim magni [d] matrona Tonantis,
Diſtuleratque graves in idonea tempora pœnas:
Cauſa moræ nulla eſt: & jam puer [e] Arcas (idipſum
Indoluit Iuno) fuerat de pellice natus.
Quò ſimul obvertit ſævam cum lumine mentem;
Scilicet hoc etiam reſtabat adultera, dixit,
Vt fœcunda fores, fieretque injuria partu
Nota, Ioviſque mei teſtatum dedecus eſſet.
Haud impunè feres: adimam tibi namque figurā,
Quâ tibi, quâque places noſtro importuna marito.
Dixit, & arreptam prenſis à fronte capillis
Stravit humi pronam. Tendebat brachia ſupplex:
[f] Brachia cœperunt nigris horreſcere villis,
Curvariq; manus, & aduncos creſcere in ungues,

*u* Plurimis ſignis, indiciis.
*x* Ita omnino legendum contēdit Herc. Ciofanus, contra Raphaëlem Regium qui præfert *venatrix*. Ms. noſter ſanior habet, *venatu*. legatur eadem hæc fabula ſub initio 2. lib. Faſtorum.
*y* Solis, Phœbi, Diani, cujus ſoror Luna, Phœbe, Diana.
*z* Caliſto Arcadica. eſt autem Parrhaſia regio Arcadiæ, ubi mons & ſylva cognomines, quam à Parrhaſo Lycaonis filio nomen habere tradit Stephanus.
*a* Al. *cunctanti*.
*b* Fontes, quibus perennis erat ſcaturigo, numen habere credebantur. *c* Diana, à Cyntho Deli monte, tibi nata. *d* Iuno. *e* Videatur Germanicus Cæſar interpres Phænomenωn Arati, & Natalis Comes 9. l. c. 9. *f* Caliſto, ut habet Palæphatus, venatrix erat. illa ingreſſa aliquando urſæ cubile interfecta eſt ab urſa, quæ mox egreſſa, à Caliſtûs comitatu in urſam illam mutata credebatur. Sed vide Pauſaniam 4. l. 8, Higynum, l. 2, c. 1. Commentatorem in Arati Phænomena.

Officioque

*Officioque pedum fungi, laudataque quondam*
*Ora Iovi lato fieri deformia rictu.*
*Néve preces animos, & verba precantia flectant;*
*Poſſe loqui eripitur: vox iracunda, minaxque,*
*Plenaque terroris rauco de gutture fertur.*
*Mens antiqua tamen facta quoque* [g] *manſit in urſâ,*
*Aſſiduoque ſuos gemitu teſtata dolores,*
*Qualeſcunque manus ad cœlum & ſidera tollit;*
*Ingratumque Iovem nequeat cùm dicere, ſentit.*
[h] *Ah! Quoties ſolâ non auſa quieſcere ſylvâ,*
*Ante domum, quondamque ſuis erravit in agris!*
[h] *Ah! Quoties per ſaxa canum latratibus acta eſt,*
[i] *Venatrixque metu venantum territa fugit!*
*Sæpe feris latuit viſis oblita quid eſſet,*
*Vrſaque conſpectos in montibus horruit urſos:*
*Pertimuitque lupos, quamvis* [k] *pater eſſet in illis.*
*Ecce Lycaoniæ proles ignara parentis*
*Arcas adeſt, ter quinque ferens natalibus annos:*
*Dumque feras ſequitur, dum ſaltus eligit aptos,*
*Nexilibuſq; plagis ſylvas* [l] *Erymanthidas ambit,*
*Incidit in matrem, quæ reſtitit Arcade viſo,*
*Et cognoſcenti ſimilis fuit. Ille refugit,*
*Immotoſq; oculos in ſe ſine fine tenentem*
*Neſcius extimuit, propiuſque accedere fugit:*
*Vulnifico fuerat fixurus pectora telo:*
*Arcuit omnipotens, pariterque ipſoſque, nefaſque*
*Suſtulit,* [m] *& celeri raptos per* [n] *inania vento,*
*Impoſuit cœlo,* [o] *vicinaque ſidera fecit.*
[q] *Intumuit Iuno, poſtquam inter* [p] *ſidera pellex*
*Fulſit, & ad* [r] *canam deſcendit in æquora Tethyn,*
*Oceanumque ſenem, quorum reverentia movit*
*Sæpe Deos: cauſamque viæ ſcitantibus, inquit,*
*Quæritis æthereis quare regina Deorum*
*Sedibus hìc adſim? Pro me tenet altera cœlum.*

g Vti in Iô, Actæone, Cadmo, aliis tranſformatis. h Ha! Ianus Gebhardus, Herc. Cioſanus, alii. i Alii tranſponunt. venantumque metu venatrix territa fugit! k Lycaon ſc. in urſum mutatus, ut l. 1. l Arcadicas. Erimanthus quippe Arcadię mons eſt, apro ab Hercule cęſo celebris. Alii leg. *Erymanthides.* m Al. Et pariter raptos per inania vento. n Immenſum vacuum. Lucr. 1. l. per ſpatium aërium, quod inane videtur. o Sibi invicem, ut & polo Arctico. p Cynoſuram & Helicen vel plauſtrum.

q Irâ & indignatione. r Spumis, nec non ætate, ut quæ omnium rerum, imo ipſorum Deorum mater, ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν. unde & iis reverentia. Hom. Il. ξ.

[s] *Mentior:*



[s] *Mentior: obſcurum niſi nox cùm fecerit orbem*
*Nuper honoratas ſummo* [t] *mea vulnera cœlo*
*Videritis ſtellas illìc, ubi* [u] *circulus axem*
*Ultimus extremum, ſpacioq; breviſſimus ambit.*
*Eſt verò, cur quis Iunonem lædere nolit,*
*Offenſamq; tremat, quæ proſum ſola nocendo?*
*O ego quantum egi! quàm vaſta potentia noſtra eſt!*
*Eſſe hominem vetui; facta eſt Dea: ſic ego pœnas*
*Sontibus impono; ſic eſt mea magna poteſtas.*
[x] *Vindicet antiquam faciem, vultuſq; ferinos*
*Detrahat, Argolica quod in antè Phoronide fecit.*
*Cur non expulſa ducit Iunone, meoq;*
*Collocat in thalamo, ſocerumq; Lycaona ſumit?*
*At vos ſi læſæ tangit contemptus* [y] *alumnæ,*
[z] *Gurgite cæruleo ſeptem prohibete triones,*
*Ideraq; in cœlum ſtupri mercede recepta*
*Pellite, nè puro tingatur in æquore pellex.*

s Ita Mss. noſtri, vet. codd. ac meliùs quàm vulg. *mentiar.* t Cordolia mea. u Circulus Arcticus. vide quæ ad 45. verſ. 1. lib. x Reſtituat illi formam priorem, ſicut & reſtituit ſuam Iô nepti Phoronei è vacca in mulierem reſtitutæ. 740. verſ. l. 1.

y Ita Iuno, Iliad. ξ. Οἵ μ' ἐν σφοῖσι δόμοισιν ἐΰτρεφον ἠδ' ἀτίταλλον, δεξάμενοι Ῥείης, ὅτε, &c. ratione Phyſicâ, quòd ex aquâ rarefactâ & attenuatâ gignitur ac nutritur aër, cujus regionem infimam ſtatuunt Iunonem. z Ad fabulam traducit cauſam naturalem, quòd ſidera polo nobis elevato vicina nõ ſubeant horizontem, qui poëtis & vulgo *mare.*

## Corvus, Coronis, & Nyctimene.

### FAB. 7. 8. 9.

D*Ii maris annuerant: habili Saturnia curru*
*Ingreditur liquidum* [a] *pavonibus aëra pictis,*
[b] *Tam nuper pictis cæſo pavonibus Argo,*
*Quàm tu nuper eras, cùm candidus antè fuiſſes,*
*Corve loquax, ſubitò nigrantes verſus in alas.*
*Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis*
*Ales, ut æquaret totas ſine labe columbas:*

a Quorum caudas gemmis ſtellantibus ex Argi oculis ornarat Iuno l. 1. v. 723. Picti verò pavones propriè trahunt currum Iunonis, propter variegatam & multicolorem aëris naturam: qua de cauſâ & Iris eidem nuncia & miniſtra eſt. b Repetitio παρασκευαστικὴ ad connexionem ſeq. fabulæ:

D [c] *Nec*

НБ ОНУ імені Мечникова

c Nec ſervaturis vigili Capitolia voce
Cederet anſeribus, nec amanti flumina Cycno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc eſt contrarius albo.
Pulchrior in tota, quàm d Lariſſæa Coronis,
Non fuit Æmonia. Placuit tibi, Delphice, certè,
Dum vel caſta fuit, vel inobſervata: ſed e ales
Senſit adulterium e Phœbëius; utq; latentem
Detegeret culpam non exorabilis index,
Ad dominum tendebat iter: quem garrula motis
Conſequitur pennis, ſcitetur ut omnia, cornix:
Auditâque viæ cauſa, Non utile carpis,
Inquit, iter; nè ſperne meæ præſagia linguæ.
Quid fuerim, quid ſimque vide; meritumq; require;
Invenies nocuiſſe fidem: Nam tempore quodam
f Pallas Erichthonium prolem ſine matre creatam
Clauſerat Actæo textâ de vimine ciſtâ,
Virginibusq; tribus g gemino de Cecrope natis
Servandam dederat; ſed enim inconfeſſa quid eſſet;
Et legem dederat, ſua nè ſecreta viderent.
Abdita fronde levi denſa ſpeculabar ab ulmo,
Quid facerët. Commiſſa h duæ ſine fraude tuentur
Pandroſos atque Herſe; timidas vocat una ſorores
Aglauros, nodoſq; manu diducit, & intus
Infantemq; vident, i apporrectumq; draconem.
Acta deæ refero; pro quo mihi gratia talis
Redditur, k ut dicar tutelâ pulſa Minervæ,

c Alluſum ad hiſtoriam, quæ habetur apud Livium 5. l. Gallos per noctis ſilentia ad ſummum Capitolii obſeſſi adſcendiſſe, ita ut non cuſtodes ſolum fallerent, ſed & canes: anſeres tamen clangore & ſtrepitu alarum excitaſſe M. Manlium, dein alios, qui Gallos præcipites deturbarunt.

d Ex Lariſsâ Theſſaliæ urbe, Achillis patriâ.

e Corvus, propter auguria, vaticinia & præſagia Apollini ſacer.

f De ortu Erichthonii è ſemine Vulcani, vim Minervæ parantis, in terram effuſo, obſignati, & tribus virginibus Cecropidis commendati, vide Lactantium l. 1. de falſa religione c. 17. Antigonum ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῆ. 16. Pauſaniam in Atticis. Nomen illi fecerunt ἔρις cum Minerva, & χθὼν unde ſatus. Natal. Com. 4. l. 5. c. & 9. l. 11. c.

g Cecrops διφυὴς dictus, vel, quia ex Saï urbe Ægypti advena Athenis primus regnavit, utriuſque linguæ peritus: vel quia primus marem fœminæ matrimonio junxit, ut autor eſt Iuſtin. l. 2. Tzetzes in Lycophronem.

h Antigonus ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῆ refert Agraulon (ſic enim nominat Aglauron) & Pandroſon ciſtam aperuiſſe, & conſpexiſſe circa Erichthonium duos ſerpentes. quod negant alii, voluntq;

i Appoſitum draconem ſibi videre viſas, quod Erichthonius ſerpentinos haberet pedes, lapſum infernè & caudam ſerpentis.

k Cornicem ob garrulitatem averſatur prudentiæ Dea. In Minervæ templis luciſque rarò, Athenis omnino non aſpicitur, Plin. 10. l. 12. c.

Et



Et ponar poſt l noctis avem. Mea pœna volucres
Admonuiſſe poteſt, nè voce pericula quærant:
At puto, non ultro, nec quicquam tale rogantem
Me petiit: licet hoc ex ipſa Pallade quæras:
Qamvis irata eſt, non hoc irata negabit.
Nam me Phocaïca clarus tellure Coroneus
(Nota loquor) genuit, fueramq; ego regia virgo,
Divitibuſq; procis (nè me contemne) petebar.
Forma mihi nocuit; nam cùm per litora lentis
Paſſibus, m ut ſoleo, ſumma ſpatiarer arenâ,
Vidit, & incaluit pelagi Deus, utq; precando
Tempora cum blandis abſumpſit inania verbis,
Vim parat, & ſequitur: fugio, denſumq; relinquo
Litus, & in molli nequicquam laſſor arenâ.
Indè deos, hominesq; voco: nec contigit ullum
Vox mea mortalem: mota eſt pro virgine virgo,
Auxiliumq; tulit. Tendebam brachia cœlo:
Brachia cœperunt levibus nigreſcere pennis.
Rejicere ex humeris veſtem molibar: at illa
Pluma erat; inque cutem radices fixerat imas.
Plangere nuda meis conabar pectora palmis;
Sed neque jam palmas, nec pectora nuda gerebam.
Currebam; nec, ut antè, pedes retinebat arena,
Sed ſumma tollebar humo: mox acta per auras
Evehor, & data ſum comes inculpata Minervæ.
Quid tamen hoc prodeſt, ſi diro facta volucris
Crimine n Nyctimene noſtro ſucceſſit honori?
An, quæ per totam res eſt notiſſima Lesbon,
Non audita tibi eſt, Patrium temeràſſe cubile
Nyctimenen. Avis illa quidem; ſed conſcia culpæ
Conſpectum, lucemq; fugit, tenebriſq; pudorem
Celat, & à cunctis expellitur æthere toto.
Talia dicenti, Tibi, ait, revocamina, corvus,
Sint precor iſta malo: nos vanum ſpernimus omen.
Nec cœptum dimittit iter: dominoq; jacentem

l Noctuam, quæ Minervæ ſacra, quia noctivida in tenebris perſpicit, ales noctis quæ Euphrone dicta, nãque ἐν νυκτὶ βουλή. ut & propter oculos cæſios qui illi cum Minerva communes quæ & ipſa γλαυκῶπις. Quin & frequens eſt Athenis urbi Minervæ.

m Tum cornix plena pluviam vocat improba voce, Et ſola in ſicca ſecum ſpaciatur arenâ. Virg. 1. Georg.

n Nyctei regis Lesbĩ filia, quæ patris amore capta, inceſti pœnas dedit, in noctuam mutata. hinc lucifuga, ab avibus, interdiu ſi prodeat, inceſſitur.



Cùm

*Cùm ᵒ juvene Æmonio vidiſſe Coronida narrat.*
*Laurea delapſa eſt audito crimine ᵖ amantis,*
*Et pariter vultuſque Deo, plectrumque, colorque*
*Excidit. utque animus ᑫ tumida fervebat ab irâ,*
*ʳ Arma aſſueta ˢ capit, flexumq; à cornibus arcũ*
*Tendit, & illa ſuo toties cum pectore juncta*
*Indevitato trajecit pectora telo.*
*Icta dedit gemitum, tractoque à vulnere ferro*
*Candida puniceo perfudit membra cruore:*
*Et dixit, Potui pœnas tibi, Phœbe, dediſſe,*
*Sed peperiſſe priùs: duo nunc moriemur in unâ.*
*ᵗ Hactenus: & pariter vitam cum ſanguine fudit.*
*Corpus inane animæ frigus lethale ſecutum eſt.*
*Pœnitet heu ſerò pœnæ crudelis amantem,*
*Seque quòd audierit, quòd ſic exarſerit odit;*
*Odit avem, per quam crimen, cauſamque dolendi*
*Scire coactus erat: necnon arcûmque manumque*
*Odit, cumque manu temeraria tela ſagittas:*
*Collapſamque fovet: ſeraque ope vincere fata*
*Nititur: & medicas exercet inaniter artes.*
*Quæ poſtquam fruſtra tentata, rogumque parari*
*Vidit, & arſuros ſupremis ignibus artus:*
*Tum verò gemitus ( ᵘ neque enim cœleſtia tingi*
*Ora licet lacrymis ) alto dè corde petitos*
*Edidit: haud aliter quàm cùm ſpectante juvencâ,*
*Lactentis vituli dextra ˣ libratus ab aure*
*Tempora diſcuſſit claro cava ʸ malleus ictu.*
*Ut tamen ᶻ ingratos in pectora fudit odores,*
*Et dedit amplexus, ᵃ injuſtaque juſta peregit:*
*Non tulit in cineres labi ſua Phœbus eoſdem*
*Semina, ſed ᵇ natum flammis, uteroque parentis*

o Coronis filia fuit Phlegyæ, Apollini adamata, ex quo prægnans copiam ſui fecit Iſchyi Elati filio, quod cùm Apollini corvi indicio innotuiſſet, telis eam confodit; utero tamen matris puerum extraxit, quem Æſculapium nominatum Chironi educandum tradidit. Ex Phlegyâ i.e. calore Solis, & Coronide i.e. aëris temperamento natus eſt Æſculapius, qui pater Hygieiæ. vide Natal. Comit. l. 4. c. 11. p Amatæ Coronidis. q Et tumida frendens Mavortius irâ. l. 12.

r Arcum & ſagittas. ſ Al. *rapit.* t Hæc dixit moriens: & cum Polite Virgiliano, Concidit ac multo vitam cum ſanguine fudit. 2. Æn. verſ. 532. u Deos didici ſecurum agere ævum, Nec ſi quid gravius faciat natura, deos id Triſtes ex alto cœli demittere tecto. Hor. 5. ſer. 1. l. Neque enim lacrymare Deorum eſt. x Ad certiorẽ firmioremq; ictum. ut uno vulnere caderet, quod in victimis auſpicatum. y Popæ, victimarii hoſtiam percutientis. z Ipſine Apollini diſplicentes? an mortuæ nihil profuturos? a Quorum ſe ingratum injuſtumque damnabat autorem. Iacobus Bononienſis interpretatur parvas extemporales exequias. Legitque, injuſtaque buſta, minus rectè. eſt enim ὀξύμωρον juſta injuſta. vide Io. Ger. Voſſium 5. l. Inſtitut. Rhetor. b Æſculapium, ſupra ad verſ. 601.

*Eripuit,*



*Eripuit, ᶜ geminique tulit ᶜ Chironis in antrum.*
*Sperantemque ſibi non falſæ præmia linguæ,*
*Inter aves albus vetuit conſiſtere corvum.*

c Ἀνθρώπου μέχρις ὀμφαλοῦ, ἵππου τὰ κάτω μέρη &c. Io. Tzetzes Chil. 94. l. 7. ut qui ſatus fuerit à Saturno in formâ equi ex Philyra. Chirurgia quippe, quam & primi exercebant medici, non ad homines ſolùm, ſed ad jumenta ſe extendebat, erantque iidem medici, chirurgi, veterinarii. Centaurus erat, ſed juſtus, artis medicæ, equeſtris, venatoriæ periti ſſimus, necnon Aſtronomiæ & Muſicæ.

## Ocyroë in equam. FAB. 10.

*SEmifer interea divinæ ſtirpis alumno*
*Lætus erat, miſtoq; oneri gaudebat honore.*
*Ecce venit rutilis humeros projecta capillis*
*Filia ᵈ Centauri, quam quondam Nympha ᵉ Chariclo,*
*Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit*
*ᶠ Ocyroën. Non hæc ᵍ artes contenta ᵍ paternas*
*Edidiciſſe fuit: fatorum arcana canebat.*
*Ergò ubi vaticinos concepit mente furores,*
*Incaluitque ʰ Deo, quem clauſum pectore habebat,*
*Aſpicit infantem, Totique ſalutifer orbi*
*Creſce, puer, dixit: Tibi ſe mortalia ſæpe*
*Corpora ⁱ debebunt; ᵏ animas tibi reddere ademptas*
*Fas erit; idque ſemel ˡ Diis indignantibus auſus,*
*Poſſe dare hoc iterum flamma prohibebere ᵐ avitâ;*
*Eque Deo corpus fies exangue, Deuſque,*
*Qui modò corpus eras, ⁿ & bis tua fata novabis.*
*Tu quoque, chare pater, non jam mortalis, & avis*

d Ipſius Chironis. e Mss. Caſci. ut ſit nomen fl. cujus ad ripas nata fuerit. f Ex ὠκὺς & ῥόη. q. d. curſu velocem. g Medicinam, Aſtronomiam, Muſicam. h Ἐνθουσιασμῷ afflatu divino, quo de vide quæ nos ad 6. l. Æneid. Virg. & ad Lucan. 5. l. verſ. 80. i Letho vindicata. k Moribundos in vita retinere, mortuos in vitam revocare. l Plutone ſc. querente, & Iove indignante Hippolytum ab equis diſcerptum reſtitui ab Æſculapio in vitam poſſe, Ipſe repertorem medicinæ talis & artis Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas. Virg. 7. Æneid. Æſculapius & ipſe non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud divinis honoribus dignum, niſi quod ſanavit Hippolytum? mortem ſanè habuit clariorem, quod à Deo meruit fulminari. Lactant. 1. l. de falſa relig 10. c. m Iovis, cujus filius Apollo, nepos Æſculapius. n Primo è matris morientis utero raptus; ſecundò, ubi à fulminis conflagratione reviviſces divinitatem conſecutus.

 *Omnibus*

Omnibus ut maneas, naſcendi lege creatus,
[o] Poſſe mori cupies tum, cùm cruciabere diræ
Sanguine ſerpentis per ſaucia membra recepto:
Teq́; ex æterno patientem numina mortis
Efficient, tripliceſq́; Deæ tua fila reſolvent.
Reſtabat fatis [p] aliquid; ſuſpirat ab imis
Pectoribus, lacrymæq́; genis labuntur abortæ:
Atque ità; Prævertunt, inquit, me fata, vetorq́;
Plura loqui, vociſq́; meæ præcluditur uſus.
Non fuerant artes tanti, quæ numinis iram
Contraxêre mihi; mallem neſciſſe futura.
Iam mihi ſubduci facies humana videtur:
Iam cibus herba placet; jam latis currere campis
Impetus eſt; in equam, [q] cognataq́; pectora vertor.
Tota tamen quare? Pater eſt mihi nempe biformis.
Talia dicentis pars eſt extrema querelæ
Intellecta parùm: confuſaq́; verba fuerunt.
Mox, nec verba quidem, nec equæ ſonus ille videtur,
Sed ſimulantis equam, parvoq́; in tempore certos
Edidit hinnitus, & brachia movit in herbas.
Tum digiti coëunt, & quinos alligat ungues
Perpetuo cornu levis ungula, creſcit & oris
Et colli ſpacium, longæ pars maxima pallæ
Cauda fit, utq́; vagi crines per colla jacebant;
In dextras abiêre jubas; pariterq́; novata eſt
Et vox, & facies: [r] nomen quoque monſtra dederunt.

o Chironi Herculis ſagittas felle Hydræ tinctas tractanti, una ex iis decidit in pedem, cujus vulneri cū mederi non poſſet, neq; tamen dolorem ferre, precibus à Iove impetravit ut immortali nato mori liceret. mortuus in ſidera relatus Sagittarii ſignum explet.

p Dicendum ab Ocyrhoë fatidicâ.

q Propter patrem, qui parte altera equus. Cur autem ego tota in equū tranſeo?

r Εὐίππη jam dicta, quæ priùs Ocyrhoë. Iulius Pollux l. 4. Εὐίππη ἡ Χείρωνος ὑπαλλαττομένη εἰς ἵππον παρ' Εὐριπίδῃ.

## Battus in indicem. FAB. II.

FLebat, opemq́; tuam fruſtra [s] Philyreïus heros,
[t] Delphice, poſcebat: nam nec reſcindere magni
Iuſſa Iovis poteras, nec, ſi reſcindere poſſes,
Tunc aderas: Elim, Meſſeniaq́; arva colebas.

s Chiron, Philyræ ex Saturno filius.

t Apollo. à Delphis, ubi reſponſa dabat.

u Illud



[u] Illud erat tempus, quo te [x] paſtoria pellis
Texit; onuſq́; fuit baculus ſylveſtris olivæ;
[y] Alterius, diſpar ſeptenis fiſtula cannis.
Dumq́; amor eſt curæ, dum te tua fiſtula mulcet,
Incuſtoditæ [z] Pylios memorantur in agros
Proceſſiſſe boves: videt has Atlantide Maiâ
Natus, & [a] arte ſua ſylvis occultat [b] abactas.
Senſerat hoc furtum nemo, niſi natus in illo
Rure ſenex, Battum vicinia tota vocabat.
Divitis hic ſaltus, herboſaq́; paſcua Nelei,
[c] Nobiliumq́; greges cuſtos ſervabat equarum.
Hunc timuit, blandaq́; manu ſeduxit, & illi,
Quiſquis es, hoſpes ait, ſi fortè armenta requiret
Hæc aliquis, vidiſſe nega: neu gratia facto
Nulla rependatur, nitidum cape præmia vaccam;
Et dedit. Accepta, voces has reddidit hoſpes:
Tutus eas; lapis iſte priùs tua furta loquetur;
Et lapidem oſtendit. Simulat Iove natus abire.
Mox redit: &, verſa pariter cum voce figurâ,
Ruſtice, vidiſti ſi quas hoc [d] limite, dixit,
Ire boves, fer opem, [e] furtoq́; ſilentia deme;
Iuncta ſuo pariter [f] dabitur tibi fœmina tauro.
At ſenior, poſtquam eſt merces geminata, Sub illis
Montibus, inquit, erant; [g] & erant ſub montibus illis.
Riſit Atlantiades: &, Me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait; perjuraq́; pectora vertit

u Apollo divinitate exutus propter Cyclopas, qui fulmina fabricaſſent, quorū ictu periit Phaëthon, ut alii, Æſculapius, pavit armenta Admeti regis Theſſaliæ. Sed quid Theſſaliæ cum Elide & Meſſene. quid ſi liceat legere, Magneſiaq; arva? quæ in Theſſalia. Seneca in Hippolito, v. 295. imputat hoc amori quo deperibat Deus regis filiā, Ant. Liberalis dicit filium nominatque Hymenæū. noſter mox, Dumque amor eſt curæ. x Paſtoritius rheno è pellibus. διφθέρα. y Siniſtræ. unde in verſu præced. ſunt qui legunt; onus dextræ baculus ſylv. ol. z Pylus urbs Meſſeniæ erat Neſtoris patria. a Furto ſc. gratuito, utque canit Horat. 10. ode l. 1. *jocoſo*. quem locum huic conſonum lege. b Buculas 12. boves 100. taurumque armenti virum abegiſſe Mercurium refert Ant. Liberalis Metamorph. 23. c Palmis in certaminibus. Virg. 1. Geor. Eliadum palmas Epeiros equarum. d Pylios à Meſſeniis diſterminante. e Furtum indica. f Ant. Liberalis refert chlænam Batto à Mercurio datam. g Alluſum volunt ad Battum quendam ineptum poëtam, qui in verſibus ſuis eadem identidem iterare ſolebat. Battum eadem verba titubanter repetentem deridet itidem Mercurius. vide Eraſmi adag. βαττολογία & βατταρίζειν.



In

НБ ОНУ імені Мечникова

*In durum ſilicem, qui nunc quoque dicitur* h *index:*
*Inque nihil merito vetus eſt infamia ſaxo.*

h Vtrùm viæ & milliarium? an utrique metallorum? lapis Lydius, Heraclius, index βάσανος. Ant. Liberalis dict. 23. Metamorph. Ερμῆς δὲ χαλεπήνας ὅτι διχόμυθος ἦν, ἐρράπισεν αὐτὸν τῇ ῥάβδῳ καὶ μετέβαλεν εἰς πέτρον, &c. λέγεται δὲ καὶ ὁ τόπος παροδευόντων ἄχρι νῦν σκοπιὰ Βάττου.

## Aglauros in lapidem. FAB. 12.

*Hinc ſe ſuſtulerat paribus* i *Caducifer alis:*
k *Munychioſque volans agros, gratamque Minervæ*
*Deſpiciebat humum, cultique arbuſta* l *Lycei.*
m *Illa forte die caſtæ de more puellæ*
*Vertice ſuppoſito feſtas in Palladis arces*
*Pura* n *coronatis portabant ſacra caniſtris.*
*Indè revertentes Deus aſpicit ales, iterque*
*Non agit in rectum, ſed in orbem curvat eundem.*
*Ut volucris viſis* o *rapidiſſima milvius extis,*
*Dum timet, & denſi circumſtant ſacra miniſtri,*
*Flectitur in gyrum, nec longiùs audet abire,*
*Spemque ſuam motis avidus circumvolat alis:*
*Sic ſuper Actæas agilis Cyllenius arces*
*Inclinat curſus, & eaſdem circinat auras.*
*Quanto ſplendidior, quàm cætera ſidera, fulget*
*Lucifer; & quanto, quàm Lucifer, aurea Phœbe,*
*Tanto virginibus præſtantior omnibus Herſe*
*Ibat, eratque decus pompæ, comitumque ſuarum.*

i Mercurius, eloquentiæ Deus, manu gerens caduceū κηρυκεῖον, virgam geminis anguibus implicitam, qua innuitur vis atq; efficacia eloquentiæ diſcordes hominum animos conciliantis. k Atticos. juxta Athenas inter Piræum & Sunium. λόφος ἐςὶν ἡ Μυνυχία χεῤῥονησίζων, &c. Strabo 9. l. & Pauſan. in Atticis. l Locus amœnus prope Athenas à Lycio Pandionis filio nomen habens, ubi Athenienſes deinde, operis præfecto Pericle, condiderunt gymnaſium, fruſtra ſunt qui vel Lycæum Arcadicum aut Corinthiacum hîc ſomniant. m In celeberrimo Palladis feſto, cui hinc nomen κανηφόρεια Virgines nobiles ac nubiles caniſtra ferebant Deæ, in quibus inerant ea quæ ad Panathenæorum & aliarum pomparum ſacra pertinebant. Suidas. --ut Attica virgo Cum ſacris Cereris. Horat. Serm. 8. l. 2. Necnon Cereris Theſmophoriis aliiſque Orgiis ſuæ κανηφόροι. n Corollis floreis redimita hæc caniſtra crediderim, quàm eſſe ad marginem uſque plena, quod de poculis dicitur. o Quin & rapaciſſima,





*Obſtupuit forma Iove natus: & æthere pendens,*
*Non ſecus exarſit, quàm cùm* p *Balearica plumbum*
*Funda jacit: volat illud, &* q *incandeſcit eundo;*
*Et, quos non habuit, ſub nubibus invenit ignes:*
*Vertit iter,* r *cœloque petit diverſa relicto,*
*Nec ſe diſſimulat: tanta eſt fiducia formæ.*
*Quæ quanquam juſta eſt, cura tamen adjuvat illam,*
*Permulcetq; comas, chlamydemq; ut pendeat aptè,*
*Collocat, ut limbus, totumque appareat aurum:*
*Ut teres in dextra, qua ſomnos ducit, & arcet,*
*Virga ſit: ut terſis niteant talaria plantis.*
*Pars ſecreta domûs, ebore, & teſtudine cultos*
*Tres habuit thalamos: quorum tu, Pandroſe, dextrum,*
ſ *Aglauros lævum, medium poſſederat Herſe.*
*Quæ tenuit lævum, venientem prima notavit*
*Mercurium, nomenque Dei ſcitarier auſa eſt,*
*Et cauſam adventûs. Cui ſic reſpondit* t *Atlantis*
*Pleioneſq; nepos, Ego ſum,* u *qui juſſa per auras*
*Verba patris porto: pater eſt mihi Iuppiter ipſe.*
*Nec fingam cauſas: tu tantùm fida ſorori*
*Eſſe velis, proliſque meæ matertera dici.*
*Herſe cauſa viæ eſt: faveas oramus amanti.*
*Aſpicit hunc oculis iiſdem, quibus abdita nuper*
*Viderat Aglauros flavæ ſecreta Minervæ:*
*Proque miniſterio magni ſibi ponderis aurum*
*Poſtulat: interea tectis excedere cogit.*
*Vertit ad hanc torvi* x *dea bellica luminis orbes,*
*Et tanto penitus traxit ſuſpiria motu,*
*Ut pariter pectus, poſitamque in pectore forti*
y *Ægida concuteret:* z *ſubit, hanc* a *arcana profanâ*
*Detexiſſe manu, tum cùm* a *ſine matre creatam*

p Balearium inſ. ſub Hiſpania, hodie Majorca & Minorca incolæ olim peritiſſimi funditores. q Motu ſc. & attritione aëris incandeſcit & liquefit. r Terras petit, iter ab inſtituto ad cœlum reditu diverſum. ſ Quia Πάνδροσος atque Ἕρση nomen à rore habere videntur; ſunt qui Ἄγραυλον etiam ab agris dici volūt, quaſi agreſtis & immitis. certè Antigonus ἱςορειῶν παραδόξων συναγωγῇ habet Ἄγραυλον, non Ἄγλαυρον. reſpice v. 561. quæ nos ad illum. t Mercurius. Pleione autem uxor erat Atlantis, mater Pleiadum, in his Maiæ, quæ Mercurii ex Iove mater. u Διάκτορος, κήρυξ, internuncius Deorum. Mercurius, inquit Arnobius, quaſi quidam Medicurrius dictus eſt: quòd inter loquentes duos media currat & reciprocetur oratio, &c. 3. l. adverſ. gentes. x Pallas, Diva armipotens, bello metuenda virago. infra verſ. 767. y Scutum ſeu loricam Iovi & Palladi propriam, τῆς αἰγός, capræ vel potiùs ſquammoſo draconis corio contectam, in qua Meduſæ caput, homines in lapides convertens. l. 5. verſ. 180. z Palladi in mentem venit. a Supra verſ. 554.

[b] Lemniacam ſtirpem contra data fœdera vidit;
Ingratamq; Deo fore jam, ingratamq; ſorori,
Et ditem ſumpto, quod avara popoſcerat, auro.
Protinus Invidiæ nigro ſquallentia tabo
Tecta petit. Domus eſt imis in vallibus antri
Abdita, ſole carens, non ulli pervia vento,
Triſtis, & [c] ignavi pleniſſima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.
Huc ubi pervenit bello metuenda virago,
Conſtitit ante domum ([d] neque enim ſuccedere tectis
Fas habet) & poſtes extrema cuſpide pulſat.
Concuſſæ patuêre fores: videt intus edentem
[e] Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorum,
Invidiam; viſaque, oculos avertit: At illa
Surgit humo pigrè, ſemeſarumq; relinquit
Corpora ſerpentum, paſſuq; incedit inerti.
Utque deam vidit formâque armiſq; decoram,
Ingemuit, [f] vultumq; deæ ad ſuſpiria duxit.
[g] Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto;
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes;
Pectora felle virent; lingua eſt ſuffuſa veneno;
Riſus abeſt, [h] niſi quem viſi movêre dolores;
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitq; videndo,
Succeſſus hominum; carpitq; & [i] carpitur unà;
Suppliciumq; ſuum eſt. Quamvis tamen oderat illam,
Talibus affata eſt breviter [k] Tritonia dictis:

*b* Vulcaniam, cui ſacra Lemnos inſ.

c Viles animæ, nulla virture redemptæ à vitiis, homunciones ignavię ſibi ſuæ & inertiæ conſcii, cùm ipſi non valeant boni aliquid de ſe ſperare, non audeāt ad egregiam aliquam artem aut facinus nobile adſpirare; intra pigritiæ ſuæ tenebras latitantes ægris oculis alienæ gloriæ Solem ferunt. Lucret. 3. Macerat invidia ante oculos illum eſſe potentem, Illum aſpectari claro qui incedit honore; Ipſi ſe in tenebris volvi cœnoque queruntur. *d* Virtutem ſequitur invidia & premit, non opprimit, aut obſcurat. neque enim cedit virtus invidiæ quaſi obnoxia; verùm gloria invidiam vincit. *e* Vt viperæ parentis ſuæ ventre eroſo naſcuntur: ita livor oppreſſum exedit animum; dolorem ex alieno bono pro pabulo habens. *f* Anaſtrophe. duxit ſuſpiria ad vultum i. conſpectum Deæ. *g* Aut enim rebus alterius opimis pallet, macreſcit, obliquis oculis & limis intuetur, famæque aliorum maligno dente venenum inſpirat cacoblepas iſte livor, aut ――― *h* ―― Alienis malis tanquam ſuis bonis lætatur, paſcitq; ſe κακόχαρτος, ὅτι χαίρει κακῷ. *i* Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον· ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ· Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην. *k* Pallas τριτογένεια, à palude Tritone Libyæ, juxta quam nata eſt, ubi Stagni quieta Vultus vidit aquâ, poſuitque in margine plantas, Et ſe dilecta Tritonida dixit ab unda. Lucan. 9. l. 352. verſ.

Infice



Infice tabe tua natarum Cecropis unam,
Sic opus eſt, Aglauros ea eſt. Haud plura locuta,
Fugit, & impreſſa tellurem [l] reppulit haſtâ.
Illa deam obliquo fugientem lumine cernens,
Murmura parva dedit, [m] ſucceſſorumq; Minervæ
Indoluit, baculumq; capit, quem ſpinea tortum
Vincula cingebant: adopertaq; nubibus atris,
Quacunque ingreditur, florentia proterit arva,
[n] Exuritque herbas, & [o] ſumma papavera carpit,
Afflatuque ſuo populoſque, urbeſque, domoſq;
Polluit, & tandem [p] Tritonida conſpicit arcem,
Ingeniiſque, opibuſque, & feſta pace virentem,
Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit.
Sed poſtquam thalamos intravit [q] Cecrope natæ,
Iuſſa facit: pectuſque manu [r] ferrugine tinctâ
Tangit, & hamatis præcordia ſentibus implet,
Inſpiratque nocens virus, piceumque per oſſa
Diſſipat, & [ſ] medio ſpargit pulmone venenum.
Néve mali cauſſæ ſpatium per latius errent,
Germanam ante oculos, fortunatumque ſororis
Conjugium, pulchrâque deum ſub imagine ponit,
[t] Cunctaque magna facit: quibus irritata, dolore
Cecropis occulto mordetur, & anxia nocte,
Anxia luce gemit, lentâque miſerrima tabe
Liquitur, ut glacies [u] incerto ſaucia ſole;
Feliciſque bonis aliter non uritur Herſes,
Quam cùm ſpinoſis ignis ſupponitur herbis;
Quæ neque dant flammas, lenique tepore cremantur.
Sæpe mori voluit; nè quicquam tale videret:
Sæpe velut crimen rigido narrare parenti.
Denique in adverſo venientem limine ſedit
Excluſura Deum: cui blandimenta, preceſque,

*l* Pro geſtu ſe attollentium à terrâ. ut l. 4. verſ. 711. atque ita judicante oculorum ſenſu. *m* Succeſſuum. locutione Græcâ. ſubaudito ἕνεκα. cui ut medeantur alii leg. Succeſſibus atque Minervæ Indoluit. *n* Urentibus oculis faſcinat. Utrique videndo. *o* Reſpicit tum naturâ invidiæ, quæ ſumma petit, & peſtilenti afflatu, Ceu fulmine ſumma vaporat. Lucr. 5. l. tum hiſtorias duas: Tarquinii Superbi ſumma papaverum capita baculo decutientis in horto coram nuntio miſſo ſibi à filio Sexto qui ſimplices Gabios fefellerat, Liv. l. 1. Necnon Thraſibuli ſupereminentes ſpicas coram Periandri nuncio demetentis. Laërt. 1. l. quod Periandrum feciſſe coram Thraſybulo nuncio refert Ariſtot. 3. Politicorum. *p* Athenas artibus, ſtudiis, & pace florentes. *q* Aglauri. *r* Invidiâ quæ ut rubigo ferrum animum exedit. *ſ* Ad intimas medullas, & præcordia. *t* Objecti ſpeciem ampliat, quò graviùs irritetur doleatque. *u* Vibrante radios modò remiſſiores, modò validiores.

 Verbaque

Verbaque jactanti mitiſſima, [x] Deſine, dixit,
Hinc ego me non ſum niſi te motura repulſo.
Stemus, ait, pacto, velox Cyllenius, iſto;
Cælataſque fores virga patefecit: At illi
Surgere conanti partes, [y] quaſcunque ſedendo
[z] Flectimus, ignava nequeunt gravitate moveri.
Illa quidem [a] pugnat recto ſe tollere trunco:
Sed genuum junctura riget, friguſq; per ungues
Labitur; & pallent amiſſo ſanguine venæ.
Utque malum latè ſolet immedicabile cancer
Serpere, & illæſas vitiatis addere partes:
Sic lethalis [b] hyems paulatim in pectora venit,
Vitaleſque vias, & reſpiramina clauſit.
Nec conata loqui eſt; nec, ſi conata fuiſſet,
Vocis habebat iter: ſaxum jam colla tenebat,
[c] Oraque duruerant, ſignumq; exangue ſedebat.
Nec lapis albus erat: [d] ſua mens infecerat illam.

x Me precibus & blãdis verbis ſolicitare. y Alii leg. quicunque. Alii quiſcunque. Alii intelligunt in. optimè autem legitur flectimus. Sic Catullus in nuptiis Pelei & Thetidos, Qui poſtquam niveos flexerunt ſedibus artus. Vulgo quidem ---. z Leg. Flectitur.

a Contendit exurgere & ſe erigere. b Frigus. c Pauſanias in Atticis ſcribit, Minervæ interdicto, ne depoſitam ciſtam curioſè inſpicerent, paruiſſe quidem Pandroſon: reliquas ſorores ciſtam reſignâſſe, viſoque Erichthonio, furiis agitatas ex præcipiti arcis loco ſe miſiſſe. Quod de una earum intimâſſe videtur Noſter in Diris in Ibin. Livida ſe ſcopulis ut virgo miſit ab altis, Dixerat invito quæ mala verba Deo. d Tranſiit livor mentis in lapidem.

## Europa à Tauro rapta. FAB. 13.

HAs ubi verborum pœnas mentiſque profanæ
Cepit Atlantiades, [e] dictas à Pallade terras
Linquit, & ingreditur jactatis æthera pennis.
Sevocat hunc genitor, nec cauſam faſſus amoris,
Fide miniſter, ait, juſſorum nate meorum,
Pelle moram, ſubitoq; celer delabere curſu:
Quæque tuam matrem tellus à parte [f] ſiniſtrâ

e Athenas, quibus nomẽ indidit Aϑήνη, nemini non auditũ certamen Neptuni & Palladis de nomine novæ illius urbis. vide Ariſtidis Panathenaicam. f Hæret hic interpretibus aqua, quibus ſummæ dividuæ ortæ, Qui fieri poſſit, ut Phœnices ſuſpiciant Pleiadas ſiniſtras? Quas credo ita componi poſſe. Primùm non hoc diſertim dicit poëta, Phœniciam ſuſpicere Pleiadas à ſiniſtra. Verùm Amphibolia eſt. Namque & tellus Sidonis à ſiniſtra ſita poterat etiam ſuſpicere Pleiadas. Deinde pro imaginariâ & relativâ cœli ſitus ratione, variè à variis gentibus conſideratâ? Græcis quippe antica pars Septentrio, Romanis Meridies, ita tamen ut, licèt anteriori corporis parte ad Auſtrum verſi eſſent, faciem tamẽ verſus Orientem flecterent. Uti demonſtrat Ant. Delrius in curis ſecundis ad Thyeſten Senecæ verſ. 697. Sic poſitis Phœnicia ſiniſtra erit conſtellationi Pleiadum. Contrà converſis, Pleiades ſiniſtræ erunt ratione ſitûs Phœniciæ.

Suſpicit,



Suſpicit, (indigenæ Sidonida nomine dicunt)
Hanc pete; quodque procul montano gramine paſci
Armentum regale vides, ad litora verte.
Dixit: & expulſi jamdudum mònte juvenci
Litora juſſa petunt; ubi magni filia regis
Ludere virginibus Tyriis comitata ſolebat.
Non bene conveniunt, nec in una ſede morãtur
Majeſtas & amor. Sceptri gravitate relictâ,
Ille pater rectorq; deûm, cui dextra triſulcis
Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, miſtuſq; juvencis
Mugit, & in teneris formoſus obambulat herbis:
Quippe color nivis eſt, [g] quam nec veſtigia duri
Calcavêre pedis, nec ſolvit aquaticus Auſter.
Colla toris extant, armis palearia pendent.
Cornua parva quidem; ſed quæ contendere poſſes
Facta manu, purâque magis pellucida gemmâ.
Nullæ in fronte minæ, [h] nec formidabile lumen;
Pacem vultus habet. Miratur [i] Agenore nata,
Quod tam formoſus, quòd prælia nulla minetur.
Sed quamvis mitem, metuit contingere primò,
Mox adit, & flores ad candida porrigit ora.
Gaudet amans; &, dum veniat ſperata voluptas,
Oſcula dat manibus (vix ah! vix cetera defert)
Et nunc alludit, viridique exultat in herbâ;
Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis:
Paulatimque metu dempto, modo pectora præbet
Virginea palpanda manu, modo cornua ſertis
Impedienda novis. Auſa eſt quoque regia virgo,
[k] Neſcia quem premeret, tergo conſidere tauri.
Tum Deus à terra, ſiccoque à littòre ſenſim
[l] Falſa pedum primò veſtigia ponit in undis.
Indè abit ulteriùs, mediique per æquora ponti
Fert prædam. Pavet hæc: littuſque ablata relictum
Reſpicit; & dextra cornu tenet, altera dorſo
Impoſita eſt: [m] tenues ſinuantur flamine veſtes.

g Et non calcatâ candidiora nive. 2. de Ponto. h Nec oculi truces. i Europa. Herodotus ipſo in hiſtoriæ ſuæ limine refert Græcos quoſdam, Cretenſes poſtea nominat, raptam Iö ulturos, navigâſſe in Phœniciã, inde inter alias Europam regis Agenoris filiam rapuiſſe. Navis inſigne Taurus, vel, ut alii ferunt dux prædonum Taurus, anſam dederunt fabulę Europæ à Iove tauro raptæ. ſed vide Clariſſ. Seldeni Syntagma de Diis Syris 2. c. 15. k Virg. 1. Æneid. Gremio fovet inſcia Dido Inſideat quantus miſeræ Deus. l Quæque ſuper pontum ſimulato vecta juvenco, Virgineâ tenuit cornua falſa manu. Eleg. 2. 1. Amorum. lege Moſchi Idyllion 2. Anacreontis Europam, Horat. 3. l. 27. Oden. m Mſſ. Tremulæ ſinuantur flamine veſtes.

LIBER

# LIBER III.

## Homines è dentibus ſerpentinis orti. FAB. I.

a Simulari, cujus ſpeciem indutus Europâ rapuerat. b Cretam inſ. in quâ Dictæ mōs. c Ignorans à quo rapta eſſet, raptā tamen perquirere Cadmo &c. Sunt qui *natam* legant. E Mss. noſtris alter, Cadmo perquirere natam. d Nec ſoli Cadmo, namq; idē mandavit filiis, Phœnici, qui in Africā profectus, ibi manebat, à

*JAmque deus, poſitâ [a] fallacis imagine tauri,*
*Se confeſſus erat, [b] Dictæaq; rura tenebat:*
*Cùm pater [c] ignarus, raptam perquirere [d] Cadmo*
*Imperat, & pœnam, ſi non invenerit, addit*
*Exilium, facto [e] pius, & ſceleratus eodem.*
*Orbe pererrato (quis enim deprendere poſſet*
*Furta Iovis?) profugus patriamque, iramque parentis*
*Vitat Agenorides, Phœbique oracula ſupplex*
*Conſulit: &, quæ ſit tellus habitanda, requirit.*
*Bos tibi, Phœbus, ait, [f] ſolis occurret in arvis,*
*Nullum [g] paſſa jugum, curvique immunis aratri:*
*Hâc duce carpe vias: &, quâ requieverit herbâ*
*Mœnia fac condas, [h] Bœotiaque illa vocato.*
*Vix bene [i] Caſtalio Cadmus deſcenderat antro:*
*Incuſtoditam lentè videt ire juvencam,*
*Nullum [k] ſervitii ſignum cervice gerentem:*
*Subſequitur, preſſoque legit veſtigia greſſu,*
*Autoremque viæ Phœbum taciturnus adorat.*
*Iam vada [l] Cephiſi, [m] Panopeſque evaſerat arva:*
*Bos ſtetit: & tollens [n] ſpecioſam cornibus altis*

quo Afri Pœni; & Cilici, à quo Cilices. Hygin. 178. fab. Thaſum filium ab Agenore miſſum addit Natal. Com. 8. l. 23. c. *e* Ὀξύμωρον, pius ſc. in filiam quam quæri, impius in filium quem non redire, imperat, niſi ſorore inventâ. ſic l. 9. v. 409. de Alcmæone; Natus erit facto pius & ſceleratus eodem. ſed vide l. 7. v. 341. *f* Non habitatis, deſertis. *g* Vaccis non ſecus ac bobus & tauris ad culturam agri utebantur priſci. *h* Ἀπὸ τῆς βοὸς regionem dici volunt, alii à Bœoto Neptuni & Arnes filio. Thebas verò urbem à Θήβη quam Syrâ linguâ bovem & vaccam ſignificare volunt. *i* Caſtalius quidem fons & mons eſt Phocidis inter Delphos & Parnaſſum, è cujus viciniâ Delphicum oraculum hîc intelligi vult. Cadmus, inquit Apollodorus l. 3. Delphos de Europâ Deum ſciſcitaturus contendit. Deus illi de Europâ quærere interdixit: ſed bove viæ duce, &c. Nonnus 4. Δελφὸν ἀσπήτοιο μεσόμφαλον ἄξονα Πειθοῦ. & mox, Κασταλίης πάφλαζε νοήμονος ἔνθεον ὕδωρ. *k* Modò ad verſ. 11. *l* Fl. Bœotiæ. *m* Vrbis Phocidos. *n* Al. *ſpacioſam.*





*Ad cœlum frontem, mugitibus impulit auras.*
*Atque ita reſpiciens comites ſua terga ſequentes*
*Procubuit, teneraque latus ſubmiſit in herbâ.*
*Cadmus [o] agit grates, peregrinæque oſcula terræ*
*Figit, & ignotos monteſque, agroſque ſalutat.*
*Sacra Iovi facturus erat: jubet ire miniſtros,*
*Et petere è vivis libandas fontibus undas.*
*Sylva vetus ſtabat, [p] nullâ violata ſecuri,*
*Et ſpecus in medio virgis ac vimine denſus,*
*Efficiens humilem lapidum compagibus arcum,*
*Vberibus fœcundus aquis: ubi conditus antro*
*[q] Martius anguis erat [r] criſtis præſignis & auro;*
*Igne micant oculi; corpus tumet omne veneno;*
*[ſ] Treſque micant linguæ; triplici ſtant ordine dentes.*
*[t] Quem poſtquam Tyriâ lucum de gente profecti*
*Infauſto tetigêre gradu, demiſſaque in undas*
*Vrna dedit ſonitum: longo caput extulit antro*
*Cæruleus ſerpens, horrendaque ſibila miſit.*
*Effluxêre [u] undæ manibus: [x] ſanguiſque reliquit*
*Corpus, & attonitos ſubitus tremor occupat artus.*
*Ille volubilibus ſquammoſos nexibus orbes*
*Torquet, & immenſo ſaltu ſinuatur in arcus:*
*Ac mediâ plus parte leves erectus in auras*
*Deſpicit omne nemus, tantoque eſt corpore, quanto*
*Si totum ſpectes, [y] geminas qui ſeparat Arctos.*
*Nec mora: Phœnicas, ſive illi tela parabant,*

o Regionē aliquam ingreſſis, aut in patriam poſtliminio reverſis moris erat ſalutare Deos topicos, genioſque loci, religiosè invocare, adorare terrā oſculari. *p* Incidua. *q* Marti ſacer, ὃν Ὠγυγίῃ ἐνὶ Θήβῃ Κάδμος, ὅτ' Εὐρώπην διζήμενος εἰσαφίκανε, Πέφνεν, Ἀρητιάδῃ κρήνῃ ἐπίουρον ἐόντα. Apollon. 3. Argonaut. Fontem hunc Aretiaden Marti fuiſſe ſacrum teſtatur Pauſanias in Bœoticis. Euripidi fons hic Dirce eſt. *r* Criſtis aureis. ἓν διὰ δυοῖν. Quamvis Philoſtratus tradat angues aquatiles criſtâ carere. *ſ* Lingua ſerpentum, celeri vibrata hinc inde motu, triplex videtur. *t* Reſpexiſſe volunt Ovidium ad ſerpentem illum miræ magnitudinis, qui apud Bagradam fl. Africâ Atilii Reguli exercitum uſum amnis prohibuit, multis militibus correptis eliſiſque, de quo Plin. l. 8. c. 14. A. Gellius 6. l. 3. c. Silius 6. l. Oroſius 4. l. c. 8. alii. Mihi potiùs videtur imitatus Euripidem in Phœniſſis, ubi Cadmi ipſius & ſerpentis habetur certamen. Lege Nonnum ſub exitu l. 4. hoc idem referentem. *u* Aqua ex urnis, niſi malis legere, Effluxere urnæ manibus. *x* Sanguine ſc. ab extimis partibus ad arcem cordis ſe recipiente. *y* Poſt tot notas Emphaticas, ſerpentis caput efferentis ex longo antro, torquentis orbes, ſinuati in arcus, erecti in auras, deſpicientis omne nemus, quibus magnitudinem illius conjici voluit, Hyperbolicè tandem comparat illum conſtellationi illius ſerpentis. Qui flexu ſinuoſo elabitur anguis Circum perque duas, in morem fluminis, Arctos, Virg. 1. Georg.

Sive fugam, ſive ipſe timor prohibebat utrumque,
Occupat hos morſu, longis amplexibus illos,
Hos necat afflatu, funeſta hos tabe veneni.
[z] Fecerat exiguas jam Sol altiſſimus umbras:
Quæ mora ſit ſociis, miratur Agenore natus,
Veſtigatque viros. Tegimen direpta leoni
Pellis erat; telum ſplendenti lancea ferro,
Et jaculum: teloque [a] animus præſtantior omni.
Ut nemus intravit, [b] lethataque corpora vidit,
Victoremque ſupra ſpatioſi corporis hoſtem
Triſtia ſanguinea lambentem vulnera lingua:
Aut ultor veſtræ, fidiſſima corpora, mortis,
Aut comes, inquit, ero. Dixit: dextraq; [c] molarem
Suſtulit, & magnum magno conamine miſit.
Illius impulſu cum turribus ardua celſis
Mœnia mota forent: ſerpens ſine vulnere manſit,
Loricæque modò ſquamis defenſus, & atræ
Duritia pellis, validos cute reppulit ictus.
At non duritia jaculum quoque vicit eadem;
Quod medio lentæ ſpinæ curvamine fixum
Conſtitit, & totum deſcendit in ilia ferrum.
Ille dolore ferox caput in ſua terga retorſit,
Vulneraque aſpexit, [d] fixumque haſtile momordit.
Idque ubi vi multa partem labefecit in omnem;
Vix tergo eripuit, ferrum tamen oſſibus hæſit.
Tum verò poſtquam ſolitas acceſſit ad iras
[e] Cauſa recens; plenis tumuerunt guttura venis,
Spumaque peſtiferos circumfluit albida rictus,
Terraque raſa ſonat ſquamis. quique halitus exit
Ore niger Stygio, vitiatas inficit* herbas.
[f] Ipſe modò immenſum ſpiris facientibus orbem
Cingitur; interdum longa trabe rectior extat:

z Notatio meridiei. a Coriolanus quippe externa neglexit arma, niſi adeſſent interna. Plutarchi Coriol. b Letho data. c Saxum quidem ingens, ſed hyperbolicè molarem dixit lap. Μάρμαρον ὀβρυάλεος εὔοχον ξερον ἀρούρης ἵστατο κουφίζων κραναὸν βέλος. Nonn. Dionyſ. 4. d More canum, αἱ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι, τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμενοι. Plato de Republ. 5.

e Vulnus à Cadmo inflictum. * Al. auras. f Quod ad mores attinet, lege mythologiam fab. Cadmi apud Delrium in Senecæ Oedipoden. verſ. 747. Quoad hiſtoriam, Palæphatus l. 1. refert Cadmum interfeciſſe Dracona regem Thebanorum Martis filium. Draconis autem filios cum amicis contra Cadmum inſurrexiſſe; qui tamen omnes viribus inferiores ſuperati ab eo ſunt, poſtquam diſcordiæ diſſenſioniſque ſemina inter illos ſparſiſſet. Sed & legatur Claud. Minos comment. ad Alciati emblem. 18. vide quæ infra ad v. 115.





Impete nunc vaſto, ceu concitus imbribus amnis,
Fertur, & obſtantes perturbat pectore ſylvas.
Cedit Agenorides paulùm, ſpolioque leonis
Suſtinet incurſus, inſtantiaque ora retardat
Cuſpide prætenta. Furit ille, & [g] inania duro
Vulnera dat ferro, figitque in acumine dentes.
Iamque venenifero ſanguis manare palato
Cœperat, & virides aſpergine tinxerat herbas:
Sed leve vulnus erat; quia ſe retrahebat ab ictu,
Læſaque colla dabat retrò, [h] plagamque ſedere
Cedendo arcebat, nec longiùs ire ſinebat.
Donec Agenorides conjectum in guttura ferrum
Vſque ſequens preſſit; dum retrò quercus eunti
Obſtitit; & fixa eſt pariter cum robore cervix.
Pondere ſerpentis curvata eſt arbor, & imæ
Parte flagellari [i] gemuit ſua robora caudæ.
Dum ſpatium [k] victor victi conſiderat hoſtis;
Vox ſubitò audita eſt: neque erat cognoſcere promptum
Vnde: ſed audita eſt, Quid Agenore nate peremptum
Serpentem ſpectas? [l] & tu ſpectabere ſerpens.
Ille diu pavidus pariter cum voce colorem
Perdiderat, gelidoq; comæ terrore rigebant.
Ecce! viri fautrix ſuperas delapſa per auras
Pallas adeſt; [m] motæq; jubet ſupponere terræ
Vipereos dentes, populi [n] incrementa futuri.
Paret; & impreſſo ſulcum patefecit aratro.
[o] Spargit humi juſſos, mortalia ſemina, dentes:
Indè (fide majus) glebæ cœpêre moveri;
[p] Primaque de ſulcis acies apparuit haſtæ;
Tegmina mox capitum picto nutantia cono,

g Supra ad verſ. 9. h Receſſu ſibi cavebat ne plaga altiùs deſcenderet. i Pathos tribuitur arbori ex impatientiâ draconis ſaucii. k Cadmea utique victoria etiã victoribus infelix & damnoſa. Καδμεία νίκη inquit Suidas λέγεται ἐπὶ τῶν κακῶς νικώντων, &c. ὅτι Κάδμος ἀνελὼν τὸν τὴν ἀρείαν κρήνην τηροῦντα δράκοντα ἐθήτευσεν Ἄρει ὀκτὼ ἔτη. l Regno pulſus ab Amphione & Zetho ad Illyrios tranſiit, ubi ipſe cum uxore Hermione in ſerpentes tranſmutati ſunt. lib. 4. verſ. 565. Euripides in Bacchis. m Aratæ, vomere proſciſſæ. n Γένναν ὀδοντοφυῆ Euripid. in Phœniſſis. reſarciendo ſuorum damno. o Ὁ μὲν Ἀονίοισιν ἐνισπείρας πεδίοισι Κάδμος Ἀγηνορίδης γαιηγενῆ εἴσατο λαὸν Ἄρεος ἀμώοντος ὅσσον ὑπὸ δουρὶ λίποντο. Apollon. 3. l. v. 1184. partem tamen dentium miſſam ad Æeten. vide l. 7. verſ. 122. p Spicula, cuſpides haſtarum primùm apparuerunt.

Mòx humeri pectuſque, onerataque brachia telis
Exiſtunt, creſcitque ſeges clypeata virorum.
Sic ubi [q] tolluntur feſtis aulæa theatris,
Surgere ſigna ſolent, primumque oſtendere vultus:
Cætera paulatim, placidoque educta tenore
Tota patent, imoque pedes in margine ponunt.
[r] Territus hoſte novo Cadmus capere arma parabat:
Nè cape, de populo, quem terra creaverat, unus
Exclamat, nec te civilibus inſere bellis.
Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum
Comminus enſe ferit: jaculo cadit eminus ipſe.
Hic quoque, qui dederat letho, non longiùs illo
Vivit, & expirat, modò quas acceperat, auras:
Exemploque pari furit omnis turba; [ſ] ſuoque
Marte cadunt ſubiti per mutua vulnera fratres.
Iamque brevis vitæ ſpatium ſortita juventus
Sanguineam tepido plangebant pectore matrem;
[ſ] Quinque ſuperſtitibus, quorum fuit unus Echion.
Is ſua jecit humi monitu Tritonidis arma,
Fraternæque fidem pacis petiitque, deditque.
[t] Hos operis comites habuit Sidonius hoſpes;
Cùm poſuit juſſam Phœbeis ſortibus urbem.

q Surgunt, ubi evolvuntur aulæa parietibus affigenda. r Cadmus ubi armatos viros è terrâ exoriri conſpexit, lapides inter eos conjecit. Tum ii à ſe invicem feriri ſe exiſtimantes mutuam inter ſe pugnā inierunt. Apollodorus 3. l. ex Pherecyde. Hi, ut tradunt Mythologi, quum proximarum eſſent regionum, adverſus Cadmum ſubitò conſtiterunt, ac propter repentinos quaſi de terra ortos conflictus, ex omni parte confluentes vocabantur Sparti à σπείρω. ſ Cadmus fertur ex Phœnicia advexiſſe primus literas in Græciam, Græcam characteribus expreſſiſſe linguam, ac rebus dediſſe nomina. Herodot. in Terpſichore. Diodor. 4. l. & l. 6. c. de Rhodo. Hygid. 277. c. Polyd. Vir. 1. l. 6. c. alii. Eraſmus ſerpentinos dentes interpretatur literas, quibus digladiantur inter ſe, conficiuntque ſe invicem ſeditioſi è literatis. lege Barpt. Anuli carmen in typographo; Lugdun. & quæ habet Claud. Minos ad Alciati Emblem. 185. interiiſſe ſc. conſonas mutuâ cæde, quinque vocalibus ſuperſtitibus. literas dici Cadmi filias notum eſt. t Quatuor reliqui dicti ſunt, Vdæus, Chronius, Pelor, Hypenor. qui autore Pallade, projectis armis pacem invicem petierunt, impetrarunt, condendis Thebis Cadmo futuri comites.

## Actæon in Cervum. FAB. 2.

IAm ſtabant Thebæ: poteras jam Cadme videri
Exilio fœlix. Soceri tibi [u] Marſque Venuſque
Contigerant: huc adde genus de conjuge tantâ,

u Diodorus tamen l. 6. ſcribit, Cadmum duxiſſe Harmoniam (quam alii vocant Hermionem) uxorem Iaſii, non ut Græci fabulantur, Martis ſororem, aut filiam. Nuptias à diis celebratas & dotatas.

x Tot



[x] Tot natos nataſque, & pignora chara [y] nepotes;
Hos quoq; jam juvenes. Sed ſcilicet [z] Vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt: diciq; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.
Prima nepos inter res tot tibi, Cadme, ſecundas
Cauſa fuit luctûs; [a] alienaque cornua fronti
Addita, voſque canes ſatiati ſanguine herili.
At bene ſi quæras; fortunæ crimen in illo,
Non ſcelus invenias. quod enim ſcelus error habebat?
Mons erat infectus variarum cæde ferarum:
Iamque dies medius rerum contraxerat umbras,
Et Sol ex æquo meta diſtabat [b] utraque;
Cùm juvenis placido per devia luſtra vagantes
Participes operum compellat, [c] Hyantius ore:
[d] Lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum,
Fortunæque dies habuit ſatis: altera lucem
Cùm [e] croceis invecta rotis Aurora reducet,
Propoſitum repetemus opus. nunc Phœbus [b] utraque
Diſtat idem terra, finditque vaporibus arva.
Siſtite opus præſens, nodoſaque tollite [d] lina.
Iuſſa viri faciunt, intermittuntque laborem.
[f] Vallis erat piceis, & acuta denſa cupreſſu,
Nomine Gargaphie, [g] ſuccinctæ cura Dianæ,
Cujus in extremo eſt antrum nemorale receſſu,
Arte laboratum nulla; ſimulaverat artem
Ingenio natura ſuo. nam pumice vivo,
[h] Et levibus tophis nativum duxerat arcum.
Fons ſonat à dextra, tenui perlucidus unda,
[i] Margine gramineo patulos ſuccinctus hiatus.

x Filias quatuor, Ino, Semelen, Agavē, Autonoen; filium unū, Podonum. y Ex Ino, quæ nupſit Athamanti, Melicertam & Learchum; Ex Semele & Iove, Bacchum; ex Agave & Echione, Pentheum. ex Autonoē & Ariſtæo, Actæona. z Sententiam hanc Solonis ad Crœſum, lege in Herodoti Clio copiosè relatam. Χρὴ δ' οὔποτ' εἰδέν' ὄλβιον βροτῶν, Πρὶν ἂν θανόντος τὴν πλευταίαν ἴδῃς Ὅπως ἡμέραν περάσας ἥξει κάτω. Euripid. Andromach. Ita eſt profectò, alius de alio judicat dies; & tamen ſupremus de omnibus; ideoque nulli credendum. Plinius 7. l. c. 40. idem habet Sophocles in Oedipo tyranno. alii complures. a Belluis nonnullis, non homini propria. 1. l. 3. Od. Pennis non homini datis. b Oriente & occidente. c Bœotius. Bœotos Hyantas antiquitus dixere. inquit Plin. l. 2. c. 7. d Retia ex lino. e Ἠὼς κροκόπεπλος. f Fontis Gargaphii in hac valle meminerunt Herodotus in Calliope, & Pauſanias in Bœoticis, obſtructum ſc. fuiſſe à Perſis in bello Perſico, mox à Platæenſibus reſtitutū. g Quo expeditior eſſet venatrix Dea. * Al. ſacra. h Supra, Efficiens humilem lapidum compagibus arcum. ỳ. 30. i Viridi quâ margine clauderet undas Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum, Iuvenal. 3. Sat.

Hic

Hîc dea ſylvarum venatu feſſa ſolebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.
Quò poſtquam ſubiit; Nympharum tradidit uni
Armigeræ jaculum, pharetramque, arcuſq; [k] retentos.
Altera depoſitæ ſubjecit brachia pallæ;
[l] Vincla duæ pedibus demunt. nam doctior illis
[m] Iſmenis Crocale ſparſos per colla capillos
Colligit in nodum; quamvis erat ipſa ſolutis.
Excipiunt laticem [n] Nipheq;, [o] Hyaleque, [p] Rhaniſq;,
Et [q] Pſecas, & [r] Phiale, funduntque capacibus urnis.
Dumque ibi perluitur ſolita [ſ] Titania lympha,
Ecce! Nepos Cadmi, dilata parte laborum,
Per nemus ignotum non certis paſſibus errans
Pervenit in lucum: ſic illum fata ferebant.
Qui ſimul intravit rorantia fontibus antra,
Sicut erant nudæ, viſo ſua pectora Nymphæ
Percuſſere viro, ſubitiſque ululatibus omne
Implevêre nemus, circumfuſæque Dianam
Corporibus texêre ſuis. tamen altior illis
Ipſa dea eſt; colloque tenus ſupereminet omnes.
[t] Qui color infectis adverſi ſolis ab ictu
Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ Auroræ;
Is fuit in vultu viſæ ſine veſte Dianæ.
Quæ quanquam comitum turba eſt ſtipata ſuarum;
In latus obliquum tamen aſtitit, oraque retro
Flexit; & ut vellet promptas habuiſſe ſagittas;
Quas habuit, ſic hauſit aquas, vultumq; virilē
Perfudit, ſpargenſque comas ultricibus undis,
Addidit hæc cladis prænuntia verba futuræ:
Nunc tibi me poſito [u] viſam velamine narres,

k Remiſſum arcum, laxatum. Calliſto. l. 2. verſ. 420. Exuit hîc humero pharetram, lentoſq; retēdit Arcus. l Cothurnos. Venus habitu venatricis aſſumpto. Æneid. 1. Purpureoq; altè ſuras vincire cothurno. m Iſmeni fl. filia. ex re adaptat nomina de Græco. κροκάλη calculus eſt litoralis, vel in imo fontis. n Quaſi lotrix, à νίπτω. o Pellucida, ab ὕαλος, vitrum. p A ῥαίνω. aſpergo. q A ψεκὰς guttula roris.

r Quæ quaſi è φιάλη aut capaci urnâ perfundat Dominam. ſ Diana, Titanis progenies, ut Sol Titan. t Pudicitiæ tenerum florem, & expreſſum; Verecundiæ tincturā, erubeſcentiam comparat Iridis rubori & Auroræ. quæ φόβος τις ἀδοξίας, πάθει μᾶλλον ἔοικεν ἢ ἕξει &c. Ariſtot. Ethic. 4. c. 9. Suffuſus à corde per arterias ſpiritalis ſanguis, ad phantaſiam ſublatus, inde cerebri frigiditate repercuſſus deorſum fertur & per ora diffunditur. Vide Macrob. Sat. l. 7. c. 11. u Actæonis tranſmutati cauſa, inquit Diodorus l. 5. traditur à nonnullis, quod Dianæ concubitum, quum venaretur in montibus, adpetierit. Euripides quòd ſe illi Actæon prætulerit venandi arte. Iuno apud Lucianum illi ſcopticè exprobrat deformitatem. viſam ſc. ab Actæone, veritam ne adoleſcens ipſius turpitudinem, αἶσχος, evulgaret, immiſiſſe illi canes. Dialog. Iunonis & Latonæ.





Si poteris narrare, licet. nec plura minata,
Dat ſparſo capiti [x] vivacis cornua cervi,
[y] Dat ſpatium collo, ſummaſque [z] cacuminat aures;
Cum pedibuſque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus, & velat maculoſo vellere corpus.
Additus & [a] pavor eſt. fugit [b] Autoneïus heros,
Et ſe tam celerem curſu miratur in ipſo.
Ut verò vultus, & cornua vidit in unda,
Me miſerum! dicturus erat: vox nulla ſecuta eſt.
Ingemuit; vox illa fuit; lacrimæque per ora
[c] Non ſua fluxerunt; mens tantum priſtina manſit.
Quid faciat? Repetamne domum, & regalia tecta?
An lateat ſylvis? Timor hoc, pudor impedit illud.
Dum dubitat; vidêre canes, primuſq; [d] Melampus,
Ichnobateſque ſagax latratu ſigna dedêre;
[e] Gnoſius Ichnobates, Spartana gente Melampus,
Indè ruunt alii rapida velociùs aura,
Pamphagus, & Dorceus, & Oribaſus, Arcades omnes;
Nebrophonoſque valens, & trux cum Lælape Theron,
Et pedibus Pterelas, & naribus utilis Agre,
Hylæuſque ferox nuper percuſſus ab apro,
Deque lupo concepta Nape, pecudeſque ſecuta
Pœmenis, & natis comitata Harpya duobus,
Et ſubſtricta gerens Sicyonius ilia Lagon,
Et Dromas, & Canache, Sticteque, & Tigris, & Alce,
Et niveis Leucon, & villis Aſbolus atris,
Prævaliduſque Lacon, & curſu fortis Aëllo,
Et Thous, & Cyprio velox cum fratre Lyciſca,
Et nigram medio frontem diſtinctus ab albo
Harpalos & Melaneus, hirſutaque corpore Lachne,
Et patre Dictæo ſed matre Laconide nati
Labros & Aglaodos, & acutæ vocis Hylactor,

x Τετρακορώνου. Et quater egreditur cornicis ſecula cervus. Auſon. de æt. y Producit, attollit in longum. z Acutas arrigit. a Cervo naturalis. ut cui cor magnum. Hinc nonnullis placet mythologia quam acceptam ferunt Anaximeni, Actæona ætate jam affectâ timidiorem factum, peculio omni in canibus alendis abſumpto, extremâ egeſtate preſſū elanguiſſe. b Actæon, Autones filius. c Mutata. lacrymas tamen nonnulli cervis tribuunt. d Canum aliis nomina Græca indidit noſter, à formâ, aliis à naturâ, aut colore; aliis à ſexu & genere; laudat etiam à patriâ. peccavit tamen aliquantulum contra præcepta θηρευτικά. Neque enim longis nominibus appellandi ſunt, inquit Columella 12. c. 1, 8. de re ruſtica, quo celeriùs quiſq; vocatus audiat. quod à Xenophonte habuit lib. de venatione. τὰ δ' ὀνόματ' αὐταῖς τίθεσθαι βραχέα, ἵνα εὐανάκλητα ᾖ. &c. e Cretenſis. ſed de laudatis generibus & patria canum videantur, κυνηγετικοὶ & θηρευτικοί.

*Quoſque referre mora eſt. Ea turba cupidine prædæ*
*Per rupes, ſcopuloſque, adituque carentia ſaxa,*
*Quaque eſt difficilis, quaque eſt via nulla, ſequuntur.*
*Ille fugit, per quæ fuerat loca ſæpe ſecutus.*
*Heu! famulos fugit ille ſuos: clamare libebat,*
*Actæon ego ſum, dominum cognoſcite veſtrum:*
*Verba animo deſunt; reſonat latratibus æther.*
*Prima Melanchætes in tergo vulnera fecit,*
*Proxima Theridamas, Oreſitrophus hæſit in armo.*
*Tardiùs exierant, ſed per compendia montis*
*Præcipitata via eſt. dominum retinentibus illis*
*Cætera turba coït, confertque in corpore dentes.*
*Iam loca vulneribus deſunt. Gemit ille, ſonumque*
*Et ſi non hominis, quem non tamen edere poſſit*
*Cervus, habet; mæſtiſque replet juga nota querelis,*
*Et genibus pronis ſupplex, ſimiliſque roganti*
*Circumfert tacitos, tanquam ſua brachia, vultus.*
*At comites rapidum ſolitis hortatibus agmen*
*Ignari inſtigant, oculiſque Actæona quærunt,*
*Et velut abſentem certatim Actæona clamant.*
*Ad nomen caput ille refert: & abeſſe queruntur,*
*Nec capere oblatæ ſegnem ſpectacula prædæ.*
*Vellet abeſſe quidem, ſed adeſt; velletque videre,*
*Non etiam ſentire, canum fera facta ſuorum.*
* *Undique circumſtant, merſiſque in corpore roſtris,*
*Dilacerant falſi dominum ſub imagine cervi.*

* Actæonem à veris canibus laceratum apud Corinthios, hujuſque fuiſſe facinoris authores Bacchides refert Max. Tyrius. * Steſichorus prodit, eum à Diana pelle cervinâ circundatum incitatoſq; ab eâ in herilem necem canes, ne Actæon Semelen in uxorem duceret. vide Pauſan. in Bœot. Pier. Hierogl. 7.l. quod & ſuo tempore multis venatoribus Corſis accidiſſe, ut à canibus ſuis furore quodam actis dilaniarentur, refert Iul. Scaliger, comment. in Ariſtotelem l.1. de plantis. rabie ſc. in canibus per dies Caniculares graſſante. Natal. Com. 6.l.24. * Sunt qui Actæonem, neglecta rei domeſticæ curâ propter venationis ſtudium, decoxiſſe tradunt, dum nimium canum vim & numerum aleret. * Alii ad prodigos referunt, qui promi magis quàm condi impuros paraſitos, prædatorios, ganeones & ollares amicos alunt; à quibus exhauſti pereunt à re & ſpe bonâ. Barpt. Anulus, & Alciatus. * Alii ad aleatores perditos alluſum volunt, quibus Damnoſi ſemper ſubſiluere Canes. jactus ſc. aleæ infauſti damnoſique. * Ad principes ſpectare epimythion volunt nonnulli, apud quos gratioſorum purpuratorum gratia valet ad odium & ruinam principum. * Curioſos alienorum conſiliorum rimatores ſignificari hinc videtur Arnobius 3.l. Et ſpolietur Apollo germana, quam quondam puris in fontibus abluentem membrorum ſordes corniger ille venator inſpexit & pœnam curioſitatis invenit. Certè curioſus ille uxoris ſuæ, per amicum, pudicitiæ explorator, in fictâ Hiſpani Doxippotæ hiſtoriâ, meritas dedit veri Actæonis pœnas.

Nec,



*Nec, niſi finita per plurima vulnera vita,*
*Ira pharetratæ fertur ſatiata Dianæ.*†

† Fabulam hanc denique ad ſecreta Principum accommodat Cl. Fr. Baconus c. 10. de ſapientia veterum. Qui, inquit, Principibus non admiſſi, & præter eorum voluntatem ſecretorum conſcii ſunt, odium certiſſimum apud eos conſequuntur. Itaque gnari ſe peti, & occaſiones captari, vitam degunt cervorum more, timidam & ſuſpicionibus plenam. Quin & illud accidit, ut à ſervis & domeſticis, in gratiam principum accuſentur & evertantur. Vbi enim principis offenſio manifeſta eſt, quot ſervi, tot ferè proditores eſſe ſolent. Infeliciter ſanè ceſſit poëtæ noſtro, quòd aliquid vidit, quòd noxia lumina fecit, &c. Triſt. 2. lib.

## Bacchus femori Iovis inſutus. FAB. 3.

*RVmor in ambiguo eſt: aliis violentior æquo*
*Viſa dea eſt; alii laudant, dignamque ſevera*
*Virginitate vocant: pars invenit utraque* [f] *cauſas.*
*Sola Iovis conjux non tam culpétne probétne*
*Eloquitur, quam clade domûs ab Agenore ductæ*
*Gaudet: & à* [g] *Tyria collectum pellice transfert*
*In* [h] *generis ſocios odium. Subit (ecce!) priori*
*Cauſa recens: gravidamque dolet de ſemine magni*
*Eſſe Iovis Semelen. tum linguam ad* [i] *jurgia ſolvit:*
*Profeci quid enim toties per jurgia? dixit:*
*Ipſa petenda mihi eſt; ipſam,* [k] *ſi maxima Iuno*
*Ritè vocor, perdam: ſi me gemmantia dextra*
*Sceptra tenere decet; ſi ſum regina,Ioviſque*
*Et ſoror, & conjux;* [l] *certe ſoror. At puto furto eſt*
*Contenta, & thalami brevis eſt injuria noſtri.*
[m] *Concipit; id deerat: manifeſtaque crimina pleno*
*Fert utero: & mater, quod vix mihi contigit* [n] *uni,*
*De Iove vult fieri. tanta eſt fiducia formæ.*
*Fallat eam faxo:* [o] *nec ſim Saturnia, ſi non*
*Ab Iove merſa ſuo Stygias penetrabit ad undas.*
*Surgit ab his ſolio, fulvaque recondita nube*
*Limen adit Semeles: nec nubes antè removit.*

f Rationes ſuæ cauſæ & argumenta. g Europâ, Phœniſsâ. h Cognatos. i Minas, convitia, vel indignationes quibus ſecum ſtomachatur injurias. k Adjurandi. l Soror Tonantis, hoc enim ſolum mihi Nomen relictum eſt. Sen. Herc. fur. 1. m Eadem Iuno 2.l. 472. ℣. Scilicet hoc etiam reſtabat, adultera, dixit, ut fœcunda fores, &c. n Quia tamen multis contigit, ut matres de Iove fierent, quibuſdam videtur legendum *uno*, ut de Marte intelligatur, quem ſolum peperit Iovi. Addit tamen Heſiodus Vulcanum, Ilithyan, Heben. o A patre degener ſiem, niſi plumbeas iras geram. vide quæ ad 12.l. Æneid. ſub fine, Es Germana Iovis, Saturnique altera proles.

Quàm

*Quàm ſimulavit anum, poſuitq; ad tempora canos,*
*Sulcavitque cutem rugis, & curva trementi*
*Membra tulit greſſu; vocem quoque fecit anilem,*
*Ipſaque erat Beroë Semeles* [p] *Epidauria nutrix.*
*Ergò ubi captato ſermone, diuque loquendo*
*Ad nomen venêre Iovis, ſuſpirat; & opto*
*Iupiter ut ſit, ait; metuo tamen omnia, multi*
*Nomine divorum thalamos iniêre pudicos.*
*Nec tamen eſſe Iovem ſatis eſt: det pignus amoris,*
[q] *Si modò verus is eſt; quantuſque, & qualis ab altâ*
*Iunone excipitur; tantus, taliſque rogato*
*Det tibi complexus, ſuaque ante* [r] *inſignia ſumat.*
*Talibus ignaram Iuno Cadmeïda dictis*
*Formârat. Rogat illa Iovem ſine nomine munus:*
*Cui Deus, Elige, ait, nullam patiere repulſam.*
*Quoque magis credas,* [ſ] *Stygii quoque conſcia ſunto*
*Numina torrẽtis.* [t] *timor, & Deus ille Deorum eſt.*
*Læta malo, nimiumque petens, perituraque amantis*
*Obſequio Semele, Qualem Saturnia, dixit,*
*Te ſolet amplecti, Veneris cùm fœdus initis,*
*Da mihi te talem. Voluit Deus ora loquentis*
*Opprimere. exierat jam vox properata ſub auras.*
*Ingemuit: neque enim non hæc optâſſe, neque ille*
*Non jurâſſe poteſt. Ergò mæſtiſſimus altum*
*Æthera conſcendit; vultumq; ſequentia traxit*
*Nubila, quîs nimbos, immiſtaque fulgura ventis*
*Addidit, & tonitrus; & inevitabile fulmen*
*Quà tamen uſque poteſt, vires ſibi demere tentat.*
*Nec, quo centimanum dejecerat igne* [u] *Typhoca,*
*Nunc armatur eo: nimium feritatis in illo eſt.*
[x] *Eſt aliud levius fulmen; Cui dextra Cyclopum*
*Sævitiæ flammæque minus, minus addidit iræ;*
*Tela ſecunda vocant ſuperi. capit illa, domumque*
*Intrat Agenoream, corpus mortale tumultus*
*Non tulit ætheros,* [y] *doniſque jugalibus arſit.*

p Ex Epidauro Peloponneſi urbe. Alterâ cognominem habet Dalmatia. q Εἰ δὲ καὶ, ὡς ἐνέπεις, σέο νύμφιος ἐςὶ Κρονίων, Ἐλθέτω εἰς σέο λέκτρα σὺν ἱμερόεντι κεραυνῷ, &c. Nonn. Dionyſ.8. r Fulmen. ſ Vide quæ ad verſ. 46. l.2. t Pejerantibus enim interdicuntur nectar & ambroſia per novennium. vel quia Iovi auxilium in bello contra Titanas tulerunt filiæ illius, Vis, Robur, Victoria: vel quia ipſa Deorum conjurationem Iovi detexit. u Vaſtæ magnitudinis Gigantem, belli quod Iovi Titanes intulerunt authorem. vide l.5.v 321. Adi Cl. Fr. Baconi Sapientiam veterum de Typhone ſeu rebelli. x De fulminum generibus v. Plin.2, l.51, c. y Sibi dotis nomine à Iove, invito tamen, indultis.





*Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo*
*Eripitur,* [a] *patrióque tener (ſi credere dignum eſt)*
*Inſuitur femori, maternáque tempora complet.*
*Furtim illum primis Ino matertera cunis*
*Educat. inde datum Nymphæ* [b] *Nyſeides antris*
*Occuluêre ſuis, lactiſque alimenta dedêre.*

z Βρέφος ἡμιτέλεστον, & βρέφος ἠλιτόμηνον ἀδηλήτου τοκετοῖο vocat Bacchum Nonnus. l.8. a Εὖγε ὁ γενναῖος, ὡς ὅλος ἡμῖν κυοφορεῖ, καὶ πανταχόθι τοῦ σώματος! ait Neptunus apud Lucianum, ſed quid ſibi vult ἐπιμύθιον? An quia ut vulgò exponunt Semele eſt terra (namque eadem cum Maiâ, Bonâ, Deâ; Faunâ, Ope eſt Macrobio, Saturnal.1. l. c.12.) Bacchus vitis, utrique à Iovis i. aëris moderato calore fœtus? An verò quòd fructus terræ & vitis femore & pedibus calcantium perficitur? An utique jocari licet, & (ridentem dicere verum Quid vetat?) dicere; Bacchum. i. fœtum, Semeles. i. Vitis per ſex menſes creſcere in utero matris, per tres alios menſes cruditatem ſuam decoquere in amphoris conditum; expleto denique materno tempore h. e. novem menſibus, ſalubre fieri potuique aptum? diſpiciat lector. An fortè laboramus in merâ fabulâ, cui nec mica, nec gutta medullæ ſanæ? quia Curtius l.8. refert, Nyſan ſitam eſſe ſub radicibus montis quem *Meron* incolæ appellant. Inde Græcos mentiendi traxiſſe licentiam, Iovis femine Liberum patrem eſſe celatum. μηρὸς n. ſonat femur. b Infantem inquit Diodorus l.5. Iupiter Mercurio dedit ad antrum Nyſæ, quod inter Phœniciam Nilumque eſt, deferendum: à nymphiſque omni ſtudio curáque educandum. unde ab Iove Nyſáque Dionyſium dixerunt. quod Homerus in hymnis teſtatur. innuit fabula, quod Plato monet, flagrantem & temulentum Deum ſobriis nymphis reſtinguendum eſſe. i. e. merum temperandum, & aquâ diluendum. quod eleganti carmine expreſſit Meleager, Anthologiæ lib.1. c.19. Αἱ νύμφαι τὸν βάκχον ὅτ' ἐκ πυρὸς, &c.

## Tireſias in augurem. FAB. 4.

*Dumque ea per terras fatali lege geruntur,*
*Tutáque* [c] *bis geniti ſunt incunabula Bacchi:*
*Fortè Iovem memorant diffuſum nectare curas*
*Sepoſuiſſe graves,* [d] *vacuâque agitaſſe remiſſos*
*Cum Iunone jocos; &, Major veſtra profectò eſt,*
*Quàm quæ contingit maribus, dixiſſe, voluptas.*
*Illa negat. Placuit, quæ ſit ſententia* [e] *docti*

c Ex utero matris abortæ, deinde ex Iovis femore. unde διμήτωρ, & διθύραμβος dictus modò ad verſ. 311. d Ab irâ, rixâ, zelotypiâ; jamque ocioſa utpote Iovi conciliatâ. e Quem Ἀνδρῶν γυναικῶν τ' εἰδότα ξυνουσίας vocat Lycophron.

*Quærere [f] Tireſiæ. Venus huic erat utraque nota.*
*Nam duo magnorum viridi coëuntia ſylvâ*
*Corpora ſerpentum baculi violaverat ictu:*
*Deque viro factus (mirabile) fœmina, ſeptem*
*Egerat autumnos: octavo rurſus eoſdem*
*Vidit, &, eſt veſtræ ſi tanta potentia plagæ,*
*Dixit, ut autoris ſortem in contraria mutet,*
*Nunc quoq; vos feriam. Percuſſis anguibus iiſdē,*
*Forma prior rediit, [g] genitiváque venit imago.*
*Arbiter hic igitur ſumptus de lite jocosâ,*
*Dicta Iovis [h] firmat. [i] Graviùs Saturnia juſto,*
*Nec pro materiâ fertur doluiſſe: ſuíque*
*Iudicis æternâ damnavit lumina nocte.*
*At pater omnipotens (neque n. licet irrita cuiquam*
*Facta dei feciſſe deo) pro lumine adempto*
*[k] Scire futura dedit, pœnamque levavit honore.*

f Tireſiam mythologi annum interpretantur, propter alternas anni vices, modò marem, modò fœminam, vere, quo generantur omnia, marem; æſtate, quâ pariunt, fœminam, redire autem ad generationem autumno. Lucianus in Aſtrologia ait, Græcos fabulatos Tireſiam ancipitis fuiſſe ſexus, ὅτι τῶν πλανωμένων ἀστέρων τοὺς μὲν θηλείας, τοὺς δὲ ἄρρενας διέκρινε. g Nativa, quam natus ſortitus eſt, i. maſcula. h Pronunciavit ſc. tres fuiſſe amoris uncias in viro, novem in fœmina, diuturniorem ſcil. voluptatem in fœminâ quia frigidiore; ardentiorē in viro, quia calidiore. Cœl. Rhodig. 14. l. 14. c. Apollodorus autem lib. 3. pronunciaſſe eum ait, de novem ac decem voluptatis partibus, mares novem, mulieres ſentire decem. ubi & aliam refert ejuſdem ſententiam. i Sic Heſiodus, Tzetzes, Liberalis, alii tum poetæ, tum interpretes. Callimachus verò in lavacro Palladis, & Nonnus Dionyſ. 5. Tireſiam oculis privatum fuiſſe eadem de cauſâ, qua Actæona tradunt; à Pallade ſc. quam nudam viderat, viſus incuſtoditi pœnam dediſſe. & Propert. l. 4. 9. Magnam Tireſias aſpexit Pallada vates, Fortia dum, poſita Gorgone, membra lavat. k Vaticinii munere donavit & longævitate.

## Echo in vocem, & Narciſſus in florem.
## FAB. 5 & 6.

*ILle per Aonias famâ celeberrimus urbes*
*Irreprehenſa dabat populo reſponſa petenti.*
*[l] Prima fide vociſque ratæ tentamina ſumpſit*

l Ex fide Mss. meorum, quorum uterque habet *Prima fide, vociſque*: alter ſubſcriptum præfert i *fidei*. Nec minus ex autoritate Ciofani quam Levini Torrentii ad 7. oden 3. l. Horatii *Conſtantis juvenem fidei*, qui ibidem citat ex 6. Metamorph. *Vtque fide pignora* dextras, ex 7. l. 733. v. *Tentamenta fide*. inclino potiùs in hanc lectionem quàm vulg. *fidem*. vide A. Gel. 9. l. 14. c.

*Cærula*



*Cærula [m] Liriope: quam quondam flumine curvo*
*Implicuit clauſæque ſuis [n] Cephiſus in undis*
*Vim tulit. Enixa eſt utero pulcherrima pleno*
*Infantem Nymphe, jam tunc qui poſſet amari,*
*[o] Narciſſúmque vocat. de quo conſultus, an eſſet*
*Tempora matura viſurus longa ſenectæ,*
*Fatidicus vates, Si ſe non noverit, inquit.*
*Vana diu viſa eſt vox auguris: exitus illam,*
*Réſq; probat, lethiq; genus, novitáſque furoris.*
*[p] Nam quater ad quinos unum Cephiſius annos*
*Addiderat, poteratque puer, juveniſque videri:*
*Multi illum juvenes; multæ [q] petiêre puellæ:*
*Sed fuit in tenerâ tam dura ſuperbia formâ;*
*Nulli illum juvenes, nullæ tetigere puellæ.*
*Aſpicit hunc trepidos agitantem in retia cervos*
*[r] Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti,*
*Nec prior ipſa loqui didicit, reſonabilis Echo.*
*Corpus adhuc Echo, non vox erat; & tamen uſum*
*Garrula non alium, quā nunc habet, oris habebat;*
*Reddere de multis ut [ſ] verba noviſſima poſſet.*
*Fecerat hoc Iuno, quia, cùm deprendere poſſet*
*Sub Iove ſæpe ſuo Nymphas in monte jacentes;*
*Illa deam longo [t] prudens ſermone tenebat,*
*Dum fugerent Nymphæ. Poſtquam hæc Saturnia ſenſit,*
*Hujus, ait, linguæ, quâ ſum deluſa, poteſtas*
*Parva tibi dabitur, vociſque breviſſimus uſus:*
*Réque minas firmat. Tamen hæc [u] in fine loquendi*
*Ingemuit voces, auditáque verba reportat.*

m Congruū ſanè Narciſſi ſuo nomen ἀπὸ τοῦ λειρίου à filio. n Fl. Bœotiæ, unde & Narciſſus Cephiſius. o Ἀπὸ τοῦ ναρκᾶν, quòd marceſcat citò, ſi florem reſpicias; ſi puerum, quòd ſuo deſiderio marcidus torpuerit. p Herc. Ciofanus è codd. Vrſini Vatican. vetuſtioris ſui, Aldini, & uno Cœleſtino, legendū contendit, Namq; ter ad quinos, quam lect. confirmare videntur verſus 454. Quid me puer unice fallis? & v. 470. primóque extinguor in ævo. cùm prima pars ævi ad ætatis annum 14. plus minus extendatur. nihil muto. q Præfert idem Ciof. *cupiere puellæ*, tum libb. autoritate tum exemplo Catulli, quem magiſtrum cùm multis in locis agnoſcit noſter, tum hic planè. Catullus in carmine nuptiali 63. Multi illum pueri, multæ optavere puellæ, Idem cùm tenui captus defloruit ungui, Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ. r Ἀθυρόστομος vocatur Sophocli in Philoctete, loquax, garrula. ſ Ἀφὴ φωνῆς τῆς νεάτης ληγούσης. repercuſſæ vocis aut ſoni repræſentatio. Euodus 4. l. Anthologia. Ἠχὼ μιμολόγον, φωνῆς τρύγα, ῥῆμα λοῖσθον οὐρήν. t Deditâ operâ, ut Deam moraretur adeoque falleret. u Modò ad v. 361. quibus adde Epigr. 11. Auſonii. Aeris & linguæ ſum filia, &c. Extremos pereunte modos à fine reducens, Ludificata ſequor verba aliena meis.



*Ergo*

Ergo ubi Narciſſum per [x] devia rura vagantem
Vidit, & incaluit; ſequitur veſtigia furtim.
Quóque magis ſequitur, flammâ propiore caleſcit;
Non aliter, quàm cùm ſummis circumlita tedis
Admotas rapiunt vivacia ſulphura flammas.
O quoties voluit blandis accedere dictis,
Et molles adhibere preces! natura repugnat,
Nec ſinit incipiat: ſed, quid ſinit, illa parata eſt
Expectare ſonos, ad quos ſua verba remittat.
Fortè puer [y] comitum ſeductus ab agmine fido
Dixerat, Hic quis adeſt? Et, [z] Adeſt, reſponderat Echo.
Hic ſtupet, utque aciem partes dimiſit in omnes,
Voce, [z] Veni, magnâ clamat: Vocat illa vocantem.
Reſpicit, & rurſus nullo veniente, Quid, inquit,
Me fugis? Et totidem, quot dixit verba, recepit.
Perſtat, & alternæ deceptus imagine vocis,
Huc coëamus, ait; Nullique libentiùs unquam
Reſponſura ſono, [z] Coëamus, rettulit Echo:
Et verbis favet ipſa ſuis, egreſſáque ſylvâ
Ibat, ut injiceret ſperato brachia collo.
Ille fugit, fugienſq; manus complexibus aufert,
Antè, ait, emoriar, quàm ſit tibi copia noſtrî:
Rettulit illa nihil, niſi, [z] Sit tibi copia noſtrî.
Spreta latet ſylvis, pudibundáque frondibus ora
Protegit, & ſolis ex illo vivit in [a] antris:
Sed tamen hæret amor, creſcitq; dolore repulſæ,
Et tenuant vigiles [b] corpus miſerabile curæ,
Abducitq; cutem macies, & in aëra ſuccus
Corporis omnis abit; vox tantùm, atq; oſſa ſuperſunt.
Vox manet: oſſa ferunt lapidis traxiſſe figuram.
Indè latet ſilvis, nullóque in monte videtur;

x Qui ſe eſſusè amant, atque immodicā de ſe conceperunt opinionem, non multum in publico aut in rebus civilibus verſantur: hîc enim neglectus multi & vilipendia occurrent, quæ ſe ſibi oſtendant animos ipſorum dejectura: Itaque vitam plerunque degunt ſolitariam, privatam & umbratilē vilium hominum comitatu cincti, qui illos colere atq; admirari ſibi in animum inducant, ac velut Echo in omnibus dictis factiſq; aſſentur, iis & verborum præſtent obſequia. Cl. Baconus, in Narciſſo ſuo. y Eleganter Poëta priùs amovet à juvene fidorum comitum agmen, quàm admittat reſonas Echûs voces, & falſas aſſentatorum acclamationes. Qui & ipſi quò tutiùs fallant perdántque, abducunt juvenes à parentibus, ab amicis, à monitorum miniſterio, à conſiliis ſanis & virtutibus ipſis. z Mirum poetæ artificium! ut ipſæ voces fabulæ quaſi aliud narrantis repetant ollarium amicorum & paraſitorum verba; Adeſt, Veni, Coëamus, Sit tibi copia noſtri. a Ad ſpeluncas enim, ſaxa, rupes ſolidas & concavas, voces per aëris partes clariùs repercuſſæ reſiliunt. b Vocis metamorphoſin fecerat Iunonis ira; corporis, Narciſſi repulſa.





Omnibus auditur: [c] ſonus eſt, qui vivit in illâ.
Sic hanc, ſic alias [d] undis aut montibus ortas
Luſerat hic Nymphas; ſic cœtus antè viriles.
Inde manus aliquis deſpectus ad æthera tollens,
Sic amet ipſe licet, ſic non potiatur amato.
Dixerat: Aſſenſit precibus [e] Rhamnuſia juſtis.
Fons erat illimis nitidis [f] argenteus undis,
Quem néque paſtores, néque paſtæ monte capellæ
Contigerant, aliúdve pecus; quem nulla volucris
Nec fera turbârat, nec lapſus ab arbore ramus:
Gramen erat circà, quod proximus humor alebat,
Sylváque, ſole locum paſſura tepeſcere nullo.
Hîc [g] puer & ſtudio venandi laſſus, & æſtu,
Procubuit, [h] faciémque loci, fontémque ſecutus:
Dúmq; ſitim ſedare cupit, ſitis altera crevit.
Dúmque bibit, viſæ correptus imagine formæ,
[i] Spem ſine corpore amat: corpus putat eſſe quod umbra (eſt,
Ac ſtupet ipſe ſibi, vultúque immotus eodem
Hæret, ut è Pario formatum marmore ſignum.
Spectat humi poſitus [k] geminum ceu lumina ſidus,
[l] Et dignos Baccho digitos, & Apolline crines,
Impubéſque genas, & eburnea colla, decúſque
Oris, & in niveo miſtum candore ruborem:
Cunctáque miratur, quibus eſt mirabilis ipſe.
Se cupit imprudens; &, qui probat, ipſe probatur:
Dúmque petit, petitur; paritérque accendit, & ardet.
Irrita fallaci quoties dedit oſcula fonti!
In mediis quoties viſum captantia collum
Brachia merſit aquis, nec ſe deprendit in illis!
Quid videat neſcit; ſed, quod videt, uritur illo:
Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.

c Qui Græcis ἠχὼ. d Naiadas & Oreadas. e Nemeſis Dea, quæ rerum cùm proſperatas nimis, aut adverſarum vices rependit, ſceleſtorum ſuperbiam & inſolentiam ulciſcitur, innocentiam moderatorum aſſerit. cujus effigiē Rhamnunte Atticæ pago cultam deſcribit Pauſanias in Atticis, Marcellinus ſub exitu 14. lib. Strabo 9. l. alii. Erat coronata & alata; dextra geſtabat haſtam fraxineam, ſiniſtrâ phialam in quâ incluſi erant Æthiopes; cervo inſidebat. epimythium dabunt Am. Marcel. dicto l. 14. Petr. Crinitus 19. l. de honeſt. diſcipl. 6. c. Eraſmus in adagio, Adraſtia Nemeſi. Poſt omnes egregiè Cl. Baconus, in Nemeſi ſeu vicibus rerum. f Quâ mollis unda argenteo errabat pede. Druræus in Aluredo. g Vide Narciſſi icona apud Philoſtratum l. 1. Iconum. & ſtatuam Narc. in Calliſtrati ſtatuis. h Amœnitatem & umbram quâ capiebatur æſtuans: fontem, quem adpetebat ſitiens. i Speciem & imaginem corporis, cujus potiundæ ſpe lactabatur. k Oculos ſuos inſtar gemini ſideris lucentes. l Herc. Ciofanus ex codd. Mss. contendit legendum, Et dignos Baccho, dignos & Apolline crines. cujus lectionis veſtigia præter citatos ab illo, & mei Mss. habent, Et digitos Baccho dignos & Apolline crines. quam lect. ex ipſo Ovidio videtur non levi tibicine ſtatuminare.

[m] Credule, quid fruſtra ſimulacra fugacia captas?
Quod petis, eſt nuſquam: quod amas, [n] avertere, perdes.
Iſta [o] repercuſſæ, quam cernis, imaginis umbra eſt,
Nil habet iſta ſui; tecum venitque, manetque,
Tecum diſcedet, ſi tu diſcedere poſſis.
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abſtrahere inde poteſt: ſed opacâ fuſus in herbâ
Spectat inexpleto mendacem lumine formam,
Pérq; [p] oculos perit ipſe ſuos, paulúmq; levatus,
Ad circumſtantes tendens ſua brachia ſylvas,
Ecquis, Io ſylvæ, crudeliùs, inquit, amavit?
[q] (Scitis enim, & multis latebra opportuna fuiſtis)
Ecquem, cùm [r] veſtræ tot agantur ſecula vitæ,
Qui ſic tabuerit, longo meminiſtis in ævo?
Et placet, & video; ſed, quod videóque, placétque,
Non tamen invenio; tantus tenet error amantem.
Quóque magis doleam, non nos mare ſeparat ingens,
Nec via, nec montes, nec clauſis mœnia portis:
Exiguâ prohibemur aquâ. Cupit ipſe teneri:
Nam quoties liquidis porreximus oſcula lymphis,
Hic toties ad me reſupino nititur ore.
Poſſe putes tangi, minimum eſt, quod amantibus obſtat.
Quiſquis es, huc exi: quid me puer unice fallis?
Quóve petitus abis? Certe nec forma, nec ætas
Eſt mea, quã fugias: & amârunt me quoq; [t] Nymphæ.
[u] Spem mihi neſcio quam vultu promittis amico,
Cúmque ego porrexi tibi brachia, porrigis ultro;
Cùm riſi, arrides: lacrymas quoque ſæpe notavi,
Me lacrymante tuas nutu quoque ſigna remittis;
Et quantum motu formoſi ſuſpicor oris,
Verba refers aures non pervenientia noſtras.

*m* Apoſtrophe pathetica ad Narciſſum. *n* Tu modò te averte, nulla erit umbra, nihil quod ames. *o* Ab aquâ, tanquam à ſpeculo. *p* Per quos, veluti per feneſtras admittuntur ſpecies & imagines lerbales. Vide verſ. 373. l. 14. *q* Sic Homerus Il. β (Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστέ τε πάντα, &c.) *r* Corvum multiplicat novies Phœnix reparabilis ales, Quem vos perpetuo decies prævertitis ævo Nymphæ Hamadryades, quarũ longiſſima vita eſt. *ſ* Scripſit Euanthes in fabuloſis, ſororem Narciſſo gemellam fuiſſe cùm oris formâ, tùm comâ & omni corporis parte ſimilem, quam unicè amavit. Hac mortuâ ille deſiderii impatiens dicitur ad fontem venire ſolitus, ut ejus imaginem ibi intueretur. Verùm ubi id ſolatium leve videretur, dolore denique periit, vel, ut aliis placet, ſe in fontem dejecit. Sed hæc ad Narciſſi gratiam ficta eſſe ait Pauſanias in Bœot. *t* Echo, Naiades, Orcades, ſupra v. 402. *u* Quas ſibi delicias faciunt blanditiáſque maleſani φίλαυτοι, undecunque ſibi ſpem & gratiam captantes, undique placentiam!





[x] Ille ego ſum: ſenſi; nec me mea fallit imago.
Uror amore mei: flammas moveóque, feróque.
Quid faciam? Roger, anne rogem? quid deinde rogabo?
Quod cupio, mecum eſt: [y] Inopem me copia fecit.
O utinam à noſtro ſecedere corpore poſſem!
Votum in amante novum eſt, vellem quod amamus ab-
Iámque dolor vires adimit; nec tempora vitæ (eſſet.
Longa meæ ſuperant, primóq; extinguor in ævo:
Nec mihi mors gravis eſt poſituro morte dolores
Hic, qui diligitur, vellem diuturnior eſſet:
Nunc duo concordes animâ moriemur in unâ.
Dixit, & ad faciem rediit malè ſanus eandem,
Et lacrymis turbavit aquas, obſcuráque moto
Reddita forma lacu eſt: quam cùm vidiſſet [z] abire,
Quo refugis? Remane; nec me, crudelis, amantem
Deſere, clamavit; [a] liceat quod tangere non eſt,
Aſpicere, & miſero præbere alimenta furori:
Dúmque dolet, [b] ſummo veſtem diduxit ab ore
Nudáque marmoreis percuſſit pectora palmis.
Pectora traxerunt tenuem percuſſa ruborem,
Non aliter, quàm poma ſolent, quæ candida parte,
Parte rubent; aut ut variis ſolet uva racemis
Ducere purpureum nondum matura colorem.
Quæ ſimul aſpexit [c] liquefactâ rurſus in undâ,
Non tulit ulteriùs: Sed, ut intabeſcere flava
Igne levi ceræ, matutinæque pruinæ
Sole tepente ſolent; ſic attenuatus amore
Liquitur, & tecto paulatim carpitur igni.

*x* Agnoſcit tandem errorem ſuum ac vanitatem; nec tamen animum mutat. Sic amator ille apud comicum; Et illam ſceleſtam, & me miſerum eſſe ſentio; Et tædet, & amore ardeo; & prudens, ſciens, Vivus, vidensque pereo; nec quid agam ſcio. Ter. Eunuch. 1. ſc. 1. act. *y* Non hoc de Narciſſis ſolis pronunciatum puta, quadrabit idem in Euclionés, Gryllos, Verres, alios, quos pecuniæ, vini, libidinis copia fecit inopes. Auſonius de Narciſſo: Si cuperes alium, poſſes Narciſſe potiri. Nunc tibi amoris adeſt copia: fructus abeſt, epigram. 95. Itidem 96. *z* Lacrymas planam fontis faciem criſpantibus obliterari. *a* Quod tangere non licet, aſpicere liceat. *b* A ſummo pectore, vel collo, unde veſtis incipit, vult Ciofanus. Aliis placet, ſummâ veſtem diduxit ab orâ, vide lib. 5. v. 398. *c* Liquidâ rurſus factâ & limpidâ.

d Ad Φιλαύτων, νεοσόφων & δοκησόφων ingenia exprimenda eleganter ſumitur flos vernus, idemque φίλομβρος pluviæ ſitor, cùm ejuſmodi ingenia ſpem ſui ſub initia prodigam præbeant, quam tamẽ mox fallunt & frugis bonæ expectationem deſtituunt.

*[d] Et néque jam color eſt miſto candore rubori,*
*Nec vigor, & vires, & quæ modò viſa placebant,*
*Nec corpus remanet, quondam quod amaverat Echo.*
*[e] Quæ tamen ut vidit, quamvis irata, memórque,*
*Indoluit; quotiéſq; puer miſerabilis, Eheu!*
*Dixerat; hæc reſonis iterabat vocibus, Eheu!*
*Cúmque ſuos manibus percuſſerat ille lacertos,*
*Hæc quoque reddebat ſonitum plangoris eundem.*
*Ultima vox ſolidam fuit hæc ſpectantis in undam,*
*Heu [f] fruſtra dilecte puer! Totidémque remiſit*
*Verba locus; dictóque vale, vale inquit & Eccho.*
*Ille caput viridi feſſum ſubmiſit in herbâ:*
*Lumina mors clauſit domini mirantia formam.*
*[g] Tum quoque ſe, poſtquam eſt infernâ ſede receptus,*
*In Stygiâ ſpectabat aquâ. planxêre ſorores.*
*Naiades, & ſectos fratri impoſuêre capillos.*
*Planxerunt Dryades: plangentibus aſſonat Echo.*
*Iámque rogum, quaſſáſq; faces, feretrúmq; parabant:*
*Nuſquam corpus erat. Croceum pro corpore [h] florem*
*Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.*

e Commoritur, Narciſſe, tibi reſonabilis Echo, Vocis ad extremos exanimata modos. Et pereuntis adhuc gemitum reſecuta querelis Ultima nunc etiam verba loquentis amat. Auſonius 97 epigr. f Vano certè amore dilecte & perverſo. ſiquidem ſtulta res eſt & iniqua, adoleſcentem in terreni corporis fluxu umbram uſque inſpectare propriam i. e. corpoream vitam quæ animæ veræ idolum eſt poſtremum. quam cum arctiùs quam par eſt, amplexatur, vitam veram i. e. animalem, per inſcitiam amittit. g Quaſcunque curas aut ſtudia quis in animam contraxerit in hâc vita, vel à naturâ, vel affectibus, aut vitæ ratione, ea manent etiam cùm corpus exuerit. Plato in Gorgia. Curæ non ipſa in morte relinquunt. Virg. 6. Æn. quæ gratia currûm Armorumque fuit vivis; quæ cura nitentes Paſcere equos; eadem ſequitur tellure repoſtos. h Flos hic Diis inferis ſacer fingitur, ut qui floreat tantùm & tranſeat, neque ullum ex ſe fructum edat. ita & ingenia præcocia haud facilè perveniunt ad frugem.

## Pentheus. FAB. 7.

i Echionis & Agaves filius. ipſe reſp. Baccho apud Euripidem in Bacchis,

*COgnita res vati meritam per Achaïdas urbes*
*Contulerat famam: noménque erat auguris ingens.*
*Spernit [i] Echionides tamen hunc ex omnibus unus,*

Contemptor



*Contemptor ſuperûm [i] Pentheus, præſagáque ridet*
*Verba ſenis; [k] tenebras, & [k] cladem lucis ademptæ*
*Objicit: ille movens albentia tempora canis,*
*Quàm fœlix eſſes, ſi tu quoque luminis hujus*
*Orbus, ait, fieres, nec [l] Bacchica ſacra videres!*
*Namq; dies aderit, (quàm non procul auguror eſſe!)*
*Quâ novus huc veniet proles [m] Semeleïa Liber:*
*Quem niſi templorum fueris dignatus honore,*
*Mille lacer ſpargêre locis, & ſanguine ſylvas*
*Fœdabis, [n] matrémque tuam, matríſque ſorores.*
*Et veniet: neq; enim dignabere numen honore:*
*Méque ſub [o] his tenebris nimium vidiſſe querêris.*
*Talia dicentem [p] perturbat Echione natus.*
*Dicta fides ſequitur: reſponsáque vatis [q] aguntur.*
*[r] Liber adeſt, feſtíſque fremunt ululatibus agri:*
*Turba ruit, miſtæque viris matréſq;, nurúſque,*
*Et vulgus, proceréſq; ignota ad ſacra feruntur.*
*Quis furor [s] Anguigenæ proles [t] Mavortia veſtras*
*[u] Attollit mentes? Pentheus ait: [x] Æráne tantum*
*Æra repulſa valent, & adunco tibia cornu?*
*Et magicæ fraudes? ut quos non bellicus enſis,*
*Non tuba terruerit, non ſtrictis agmina telis,*
*Fœmineæ voces, & mota inſania vino,*

i Πενθεὺς Ἀγαυῆς παῖς, πατρὸς δ' Ἐχίονος. cui Bacchus: Ἐν δυστυχῆσαι τοὔνομ' ἐπιτήδειος εἶ. Necnon Luciano in concilio Deorum κακοδαιμονέστατος. nempe ἀπὸ τοῦ πένθους. k Cæcitatem. l De his infra ad verſ. 528 m Diodorus l. 4. tres numerat Bacchos 1. Indum, Inventorem vitis ferendæ. 2. Iovis & Proſerpinæ filium, agriculturæ inventorem. 3. Iovis ex Semele filium, cui inventa & victorias priorum tribuunt Græci. Iul. Firmicus de errore profanæ relig. Duos fuiſſe Bacchos tradit, Cretenſem, & Thebanum apud quem plura legere eſt de utroque non vulgo nota. Cicero 3. l. de Nat. Deorum enumerat quinque. De nullo verò horum mentio à poetis fit, niſi de Iovis hoc & Semeles filio. n Agaven matrem, materteras Ino & Autonoën. o Vel ſic, cæcum. p Interpellat, impedit ne plura loquatur. Alii leg. *proturbat*. i. e. impulſu & impetu à ſe amovet. q Exitum perinde ſortiuntur. r De Bacchanalibus, ſacro Græco, ſcelerum omnium ſeminario, videatur Livius 94. l. ubi in concione Porcius Cato Conſul inter cætera. Primum, inquit, mulierum magna pars eſt. deinde ſimillimi fœminis mares ſtuprati, & conſtupratores, fanatici, vigiles, vino, ſtrepitibus, clamoribuſque nocturnis attoniti, &c. In his ſacris Bacchantes thyrſos gerentes pampinis hederâque coronati geſtabant vites, hircos, cophinos, phallos; per ſylvas, montes, nemora furibundæ ſaltabant; diſſono clamore, ululatu, tibiarum cantu & cymbalorum tinnitu omnia replebant. hîc ſtupra promiſcua, cædes infandæ. Sed plura lege apud Patres 55. Arnob. 5. l. Aug. de Civ. Dei 6. l. c. 9. & 18. lib. cap. 13. Clem. Alexand. in Protrep. Euſeb. 2. l. Præpar. Euang. c. 5. Tertullian. de ſpectaculis. Firmicum de err. prof. relig. ſ Thebani, progenies eorum qui ex dentibus Anguis orti ſunt. ſupra verſ. 105. t Anguis autem illi Marti ſacer cuſtos erat fontis Martii, ad verſ. 32. u Alii *Attonitis*. x Cymbala.

*Obſcœniquegreges, & inania tympana vincant?*
*Vóſne ſenes mirer? qui longa per æquora vecti*
[y] *A Tyro, hâc profugos poſuiſtis ſede penates,*
*Nunc ſinitis ſine Marte capi? Vóſne, acrior ætas,*
*O juvenes, propiórque meæ? quos arma tenere*
*Non thyrſos; galeâque tegi, non fronde decebat.*
*Eſte, precor, memores, quâ ſitis ſtirpe creati,*
*Illiúſque animos, qui multos perdidit unus,*
*Sumite ſerpentis: Pro fontibus ille, lacúque*
*Interiit: At vos pro famâ vincite veſtrâ.*
*Ille dedit letho fortes: Vos vincite molles,*
*Et patrium retinete decus. Si fata vetabunt*
*Stare diu Thebas; utinam tormenta, virique*
*Mœnia diruerent, ferrúmque, igniſque ſonaret!*
*Eſſemus miſeri ſine crimine, ſorſque querenda,*
*Non celanda foret, lacrymæque pudore carerent.*
*At nunc à puero Thebæ capientur inermi;*
*Quem neque bella juvant, nec tela, nec uſus equorum;*
*Sed madidi myrrhâ crines, molléſque coronæ,*
*Purpuráque, & pictis intextum veſtibus aurum.*
*Quem quidem ego actutum (modo vos abſiſtite) cogam*
*Aſſumptúmque* [z] *patrem, commentáque ſacra fateri.*
[a] *An ſatis Acriſio eſt animi contemnere vanum*
*Numen, & Argolicas venienti claudere portas,*
*Penthea terrebit cum totis* [b] *advena Thebis?*
*Ite citi, (famulis hoc imperat) ite, ducémque*
*Attrahite huc vinctum: juſſis mora ſegnis abeſto.*
[c] *Hunc avus, hunc Athamas, hunc cætera turba ſuorum*
*Corripiunt dictis fruſtráque inhibere laborant.*
*Acrior admonitu eſt;* irritatúrque retenta
Et creſcit rabies, moderamináq; ipſa nocebant.
*Sic ego torrentem, qua nil obſtabat eunti,*
*Leniùs, & modico ſtrepitu decurrere vidi:*
*At, quacunque trabes, obſtructáq; ſaxa jacebant,*
*Spumeus, & fervens, & ab obice ſævior ibat.*

y Ne fraus fiat Pediæ legi, Græcorum more conſter ſibi ultima ſyllaba in *Tyro*, cujus prior brevis eſt. Et tamen alter è Mss. noſtris habet Hac Tyron, hâc profugos poſſede penates. ut Virg. 1. Æneid. Ilium in Italiam portans, victoſque penates.

z Iovem, quē ementitus eſt patrem. Οὐ δέχομαι βεβροτὸν ἄνδρα νόθον θεόν. Bacchus apud Nonnum 44. l. Dionyſ. ἀλλὰ ἐτύψω ἐξ ἐϊχαλκείῳ τεθορημένον εἰς πτύχα μηρῷ, Ὅττι Διὸς μεγάλοιο γονῆς ἐψεύσαο μηρῷ.

a Acriſius Argivorum rex, occluſis portis, neque Deum hunc neque ſacra ipſius admiſit. b Bacchus quem nec civem agnoſcit Pentheus; nedum Deum. c Apud Euripidem in Bacchis, non audit Cadmum, non Tireſiam.





*Ecce* [d] *cruentati redeunt; & Bacchus ubi eſſet,*
*Quærenti domino,* [e] *Bacchum vidiſſe negârunt.*
*Hunc, dixêre, tamen comitem, famulumq; ſacrorum,*
*Cepimus: & tradunt manibus poſt terga* [f] *ligatis,*
*Sacra dei quondam* [g] *Tyrrhena gente ſecutum.*

d Vulnerati à comitibus Bacchi, dum Bacchum & Bacchas prehendere tentarent.

e Famuli tamen in Bacchis Euripid. Πενθεῦ, πάρεσμεν, τήνδ' ἄγραν ἠγρευκότες Ἐφ' ἣν ἔπεμψας, &c. ipſum adducentes Bacchum, quem noſter Acætæ ſub imagine inducit latentem. f Penthei fab. alii referunt ad ultionem divinam pœnas ab Atheis & Divinorum contemptoribus exigentem. Alii ad ignarum Politiæ principem, cui haud tutum eſt conari uno ictu frangere populi concitati impetus, quos mora meliùs labefacit, quam vis repente tollit. Clariſſ. Baconus ad curioſitatem detorquet, quem adi. g Qui hic eſt Tyrrhena de gente, quomodo verſu 583. illi patria Mœonia eſt? Tyrrheni, iidem Thuſci & Hetruſci, à Lydis & Mœoniis oriundi, qui ſub Tyrrheno Lydi fratre duce eam Italiæ partem appulſi occupârunt quæ Hetruria appellatur ad mare Tyrrhenum, Thuſcum, ſeu inferum. Vbi Lydia quondam Gens bello præclara jugis inſedit Hetruſcis. Virg. 8. Æn. Adi Dionyſ. Halicarnaſſ. 1. l.

## Nautæ in Delphinos converſi, & Pentheus à Bacchis diſcerptus. FAB. 8. 9.

*ASpicit hunc Pentheus oculis, quos ira tremendos*
*Fecerat, & quanquam pœnæ vix tempora differt,*
*O periture, tuâque aliis documenta dature*
*Morte, ait, ede tuum nomen, nomenque parentum,*
*Et patriam, moríſque novi cur ſacra frequentes.*
*Ille metu vacuus. Nomen mihi, dixit, Acœtes:*
[g] *Patria Mæonia eſt, humili de plebe parentes*
*Non mihi, quæ duri colerent pater arva juvenci,*
*Lanigeróſque greges, non ulla armenta reliquit.*
*Pauper & ipſe fuit:* [h] *linóque ſolebat & hamis*
*Decipere, & calamo ſalientes ducere piſces.*
Ars illi ſua cenſus erat: *cùm traderet artem,*
*Accipe quas habeo, ſtudii ſucceſſor, & hæres,*
*Dixit, opes: moriénſque mihi nihil ille reliquit*
*Præter* [i] *aquas; unum hoc poſſum appellare paternum.*
*Mox ego, nè ſcopulis hærerem ſemper in iiſdem,*
*Addidici* [k] *regimen dextrâ moderante carinæ*

h Reti, inquiunt, ex lino. Quid ſi ipſam ſignet lineam vel ſetam? Namque Glaucus de ſe l. 13. v. 923. Nam modò ducebam ducentia retia piſces: Nunc in mole ſedens moderabar arundine linum.

i In quibus exercerem artem piſcatoriam. k Artem nauticam, navis autem gubernatori neceſſaria eſt cognitio ſiderum & portuum.

Flectere; & [l] Oleniæ ſydus pluviale capellæ,
[m] Taygetémq; [n] Hyadáſq; oculis, [o] Arctónq; notavi,
Ventorúmq; domos, & portus puppibus aptos.
Fortè petens [p] Delon. [q] Chiæ telluris ad oras
Applicor, & dextris adducor litora remis:
Dóque leves [r] ſaltus, udæque immittor arenæ.
Nox ubi conſumpta eſt, aurora rubeſcere primò
Cœperat: exurgo [s] laticéſq; inferre recentes
Admoneo, monſtroque viam quæ ducit ad undas.
Ipſe, quid aura mihi tumulo promittat ab alto,
Proſpicio: comitéſq; voco, repetóque carinam.
Adſumus en inquit [t] ſociorum primus Opheltes:
Utque putat, prædam deſerto nactus in agro
* Virgineâ puerum ducit per litora formâ.
Ille mero, ſomnoq; gravis titubare videtur,
Vixq; ſequi; ſpecto cultum, faciémque, gradumque:
Nil ibi quod credi poſſet mortale videbam.
Et ſenſi, & dixi ſociis: [u] quod numen in iſto
Corpore ſit dubito; ſed corpore numen in iſto eſt.
Quiſquis es, ô faveas, noſtriſque laboribus adſis:
His quoq; des veniam. Pro nobis mitte precari,
Dictys ait, quo non alius conſcendere ſummas
Ocyor antennas, prenſóq; rudente relabi.
Hoc Libys, hoc flavus [x] proræ tutela Melanthus,
Hoc probat Alcimedon, & [y] qui requiémq; modúmque
Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus;
Hoc omnes alii: prædæ tam cæca cupido eſt.
[z] Non tamen hanc ſacro violari pondere pinum

[l] Amalthee, inter ſidera relatæ, quòd Iovi infanti lac præbuiſſet prope Olenum, opp. Achaiæ. [m] Pleiadas, quarum una eſt Taygete. [n] Stellas 5. in capite Tauri. ἀπὸ τοῦ ὕειν quia etiam pluviæ, uti Vergiliæ. [o] Urſam Borealem, Cynoſuram, vel Helicen. [p] Inſ. maris Ægæi. [q] Chios inſ. eſt maris Icarii. Scio. [r] E navi in litus. [s] Aquam. [t] Duodecim. quos nominat Hyginus, 134. fab. noſter infra 20. * Ἱμερόεις ἅτε κοῦρος ἔχων ἀχάρακτον ὑπήνην. Nonn. lib. 45. ubi tota hæc fabula. [u] Ἢ γὰρ Ζεύς ὅδε γ' ἐστὶν, ἢ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων, Ἠὲ Ποσειδάων, &c. gubernator ad ſocios in Homeri hymno Διόνυσος ἢ λῃσταί. [x] Qui proræ aſſiduus cuſtos navi proſpicit. Proreta, πρωρεύς. [y] Portiſculus κελευστής. Hortator & moderator remigum. [z] Non ſinam hanc navem violari prædaturâ tam ſacri ponderis, i. numinis, vel per Hypallagen. Non patiar numen violari hâc navi,





Perpetiar, dixi: [a] pars hîc mihi maxima juris;
Inque aditu obſiſto. Furit audaciſſimus omni
De numero Lycabas; qui Thuſcâ pulſus ab urbe,
Exilium, dirâ pœnam pro cæde luebat.
Is mihi, [b] dum reſto, juvenili guttura pugno
Rupit: & excuſſum miſiſſet in æquora, ſi non
Hæſiſſem, quamvis amens, in fune retentus.
Impia turba probat factum, tum denique Bacchus
(Bacchus enim fuerat) veluti clamore ſolutus
Sit ſopor, [c] áque mero redeant in pectora ſenſus;
[d] Quid facitis? quis clamor? ait: quâ dicite nautæ,
Huc ope perveni? quò me deferre paratis?
Pone metum, [e] Proreus, & quos contingere portus,
Ede, velis, dixit: terrâ ſiſtêre petitâ.
Naxon, ait [f] Liber, curſus advertite veſtros:
Illa mihi domus eſt, vobis erit hoſpita tellus.
Per mare fallaces, pérque omnia numina jurant,
Sic fore, méque jubent pictæ dare vela carinæ.
Dextera [g] Naxos erat, dextrâ mihi lintea danti,
Quid facis, ô demens? quis te furor? inquit Opheltes.
Pro ſe quiſq; timet: [h] lævam pete, maxima [i] nutu
Pars mihi ſignificat; pars, quid velit, aure ſuſurrat.
Obſtupui; capiátque alius moderamina, dixi:
Méque miniſterio ſceleriſque, artíſque removi.
Increpor à cunctis: totúmq; immurmurat agmen.
E quibus Ethalion, [k] Te ſcilicet omnis in uno
Noſtra ſalus poſita eſt, ait: & ſubit ipſe, meúmque
Explet opus, Naxóque petit diverſa relictâ.
Tum deus illudens, tanquam modò deniq; fraudem
Senſerit è puppi pontum proſpectat aduncâ,
Et flenti ſimilis, Non hæc mihi litora nautæ,
Promiſiſtis, ait; non hæc mihi terra rogata eſt.
Quo merui pœnam facto? quæ gloria veſtra eſt?
Si puerum juvenes, ſi multi fallitis unum?

[a] Gubernator erat, ut habet Homerus modò dicto Hymno. [b] Dum reſiſto. [c] Quaſi verò jam concocto & deſpumato, ad ſobriam mentem reverſus. [d] Homerus in Hymno de Baccho & latronibus, & Nonnus l. 45. ferunt Bacchum à prædonibus vinculis ligatum fuiſſe, vincula autem ultro exciliſſe manibus & pedibus. [e] Supra verſ. 617. [f] Bacchus, ut Græcis Λυαῖος. Quòd curis ſolvit corda, Liæus erit. [g] Inſ. maris Ægei, Cycladum celeberrima, quæ & Dionyſia vocatur à fertilitate vitium & vini copiâ.

[h] Ne Naxon devehatur puer. [i] Τυρσηνοὶ τὸν δ' ἦγε κακὸς μόρος· οἱ δ' ἰδόντες Νεῦσαν ἐς ἀλλήλους. Nonnus 45. Dionyſ. [k] Ironicè vel Interrogatoriè.

*l Iamdudum flebam; lacrymas m manus impia noſtras*
*Ridet, & impellit properantibus æquora remis.*
*n Per tibi nunc ipſum (neque enim præſentior illo*
*Eſt deus) adjuro, tam me tibi vera referre,*
*Quàm veri majora fide. Stetit æquore puppis*
*Haud aliter, quàm ſi ſiccum navale teneret.*
*Illi admirantes remorum in verbere perſtant,*
*Veláq; o deducunt, p gemináq; ope currere tentant.*
*q Impediunt hederæ remos, nexúque recurvo*
*Serpunt, in gravidis diſtinguunt vela corymbis.*
*Ipſe racemiferis frontem circumdatus r uvis,*
*ſ Pampineis agitat velatam frondibus haſtam.*
*Quem circa tigres, ſimulacráque inania t lyncum*
*Pictarúmque jacent fera corpora t pantherarum.*
*u Exiliêre viri, (x ſive hoc inſania fecit,*
*Sive timor) primúſque Medon nigreſcere pinnis,*
*Corpore depreſſo & ſpinæ curvamine flecti*

l Hæc ſub Acætæ perſonâ. m Nautæ, prædones. n Μὰ ὀφθαλμοφάνη καὶ παρέοντα θεόν. atque ipſe jam Bacchus ſibi præſentiſſimus; quãvis ſub perſonâ Acætæ diſſimulatus. ſic Mercurius per ſe jurat apud Plautum in Amphit. So. Per Iovem juro, me eſſe Soſiam, neque falſum dicere. Mer. At ego per Mercurium juro, tibi Iovem non credere. o Vela priùs collecta & antennis adſtricta jam dimittunt ſoluta, h.e. pandunt, explicant vela. p Remis veliſq; q Αὐτίκα δ᾽ ἀκρότατον παρὰ ἱστὸν ἐξετανύσθη Ἄμπελος ἔνθα, ἢ ἔνθα, κατεκρημνῶντο δὲ πολλοὶ Βότρυες· ἀμφ᾽ ἱστὸν δὲ μέλας εἱλίσσετο κισσὸς Ἄνθεσι τηλεθάων, &c. Hymn. Hom. ſupradicto. r Viribus. neq; enim uvæ ferunt racemos, ſed contrà. ſ Thyrſi deſcriptio. t Feræ iſtæ ſignificant terrificas ſpecies, imagines & phantaſmata, quæ ebriorum oculis & animis obverſantur. u Nautæ nimio graves Baccho, ut qui Deum invitum moverant, ſe præcipitarunt in manifeſti periculi mare, gubernatore ſolo qui non tranſilierat modici munera Liberi, incolumi. Atque hic memorare lubet lepidiſſ. hiſtoriam, quam refert Timæus apud Athenæum l.2. c.2. Νεάνισκοί τινὲς ἐν Ἀκράγαντι, &c. Iuvenes quidam in domo quadam Agrigenti potantes, uſque adeo per ebrietatem dementati ſunt, ut ſe crederent in triremi navigare, ſævâ tempeſtate jactatos. vaſa itaque & ſtragula domus ejecerunt per feneſtras in viam, tanquam in mare. neque concurſu populi ſpectantis & ſupellectilem projectam diripientis ad ſaniorem mentem redierunt. Quin & magiſtratibus poſtridie advenientibus cauſamque tantæ veſaniæ ſciſcitantibus reſponderunt, tempeſtate ſe vexatos, navem ut allevarent ſarcinas ſe ſupervacuas in mare abjeciſſe. Mirantibus prætoribus atque eos incuſantibus, juvenum quidam, Ego, inquit, viri Tritones, metu conſternatus ſub imo navis tabulato delitui. Ignoſcentibus eorum dementiæ magiſtratibus, atq; ne in poſterum ſe vino ingurgitarent monentibus, egerunt gratias, voveruntque ſe iis quamprimùm ab hac tempeſtate incolumes portum tangerent, ſtatuas tanquam Diis marinis poſituros. x Neque ineptè finguntur ebrii mutari in piſces, eoſq; ducentes choreas, & laticē naribus efflantes, ructu credo ac vomitu; in illum denique piſcium genus qui δελφῖνες dicuntur, verè δέλφακες. h.e. maris ſues cuj Cardani ſubtilitati de delphinis non reclamitat Iul. Scal. exerc. 223.5.





*Incipit. Huic Lycabas, in qua miracula, dixit,*
*Verteris? & lati rictus, & panda loquenti*
*Naris erat, ſquammámque cutis durata trahebat.*
*At Libys, obſtantes dum vult obvertere remos,*
*In ſpatium reſilire manus breve vidit; & illas*
*Iam non eſſe manus, jam pinnas poſſe vocari.*
*Alter ad intortos cupiens dare brachia funes,*
*Brachia non habuit, truncóq; repandus in undas*
*Corpore deſiluit; Falcata noviſſima cauda eſt,*
*Qualia dimidiæ ſinuantur cornua Lunæ.*
*Undique dant ſaltus, multáque aſpergine rorant;*
*Emergúntque iterum, redeúntq; ſub æquora rurſus:*
*Inque chori ludunt ſpeciem, laſciváque jactant*
*Corpora, & acceptum patulis mare naribus efflant.*
*De modò viginti (tot enim ratis illa ferebat)*
*y Reſtabam ſolus, z pavidum, gelidúmque trementi*
*Corpore vixque animum firmat deus, Excute, dicens,*
*Corde metum. a Diamque tene. Delatus in illam*
*Acceſſi ſacris, Baccheáque ſacra frequento.*
*Præbuimus longis, Pentheus, ambagibus aures,*
*Inquit, ut ira mora vires abſumere poſſet.*
*b Præcipitem famuli rapite hunc, cruciatáque duris*
*Corpora tormentis Stygiæ demittite morti.*
*Protinus abſtractus ſolidis Tyrrhenus Acœtes*
*Clauditur in tectis: &, dum crudelia juſſa*
*Inſtrumenta necis, ferrúmque, ignéſque parantur,*
*c Sponte ſuâ patuiſſe fores, lapſaſque lacertis*
*c Sponte ſua, fama eſt, nullo ſolvente, catenas.*
*Perſtat Echionides, nec jam jubet ire, ſed ipſe*
*Vadit, ubi feſtus facienda ad ſacra d Cythæron*
*Cantibus, & clarâ bacchantum voce ſonabat.*
*Vt fremit acer equus, cùm bellicus ære canoro*
*Signa dedit tubicen, pugnæque aſſumit amorem:*
*Penthea ſic ictus longis ululatibus æther*
*Movit, & audito clamore recanduit ira.*
*Monte ferè medio eſt cingentibus ultima ſylvis*
*Purus ab arboribus ſpectabilis undique campus:*

y Sobrius è viginti ſolus. z Θάρσει δῖε κρέτωρ, &c. Bacchus gubernatori, in hymno dict. Hom. a Naxon, quam Strongylē, dein Dian, mox Dionyſida &c. appellarunt. Plin. 4. lib. 12. c. b Καθειρξάτε αὐτὸν, ὡς ἂν σκότιον εἰσορᾷ κνέφας, &c. Pentheus in Eurip. Bacchis. c Διαπέφευγε ὁ ξένος Ὃς ἀφ᾽ ὧν δεσμοῖς ἦν καλωαγκασμένος, ibid. d Mons Bœotiæ nocturnis Bacchi Orgiis reſonans. Thyas ubi audito ſtimulant Trieterica Baccho Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithæron. 4. Æn.

e Hîc oculis illum cernentem ſacra f profanis
Prima videt, prima eſt inſano concita curſu,
Prima ſuum miſſo violavit Penthea thyrſo
Mater: & ô geminæ, clamavit, adeſte ſorores:
Ille g aper, in noſtris errat qui maximus agris,
Ille mihi feriendus aper. Ruit omnis in unum
Turba furens: cunctæ coëunt, trepidumq́; ſequuntur,
Iam trepidum, jam verba minùs violenta loquentem,
h Iam ſe damnantem, jam ſe peccaſſe fatentem.
Saucius ille tamen, Fer opem, matertera, dixit,
Autonoë: moveant animos i Actæonis umbræ.
k Illa quis Actæon neſcit: dextrámq́; precantis
Abſtulit; Inoo lacerata eſt altera raptu.
Non habet infœlix quæ matri brachia tendat;
Trunca ſed oſtendens dejectis vulnera membris,
Aſpice mater, ait. Viſis ululavit Agave,
Colláque jactavit, crinémq́; per aëra movit:
Avulſumque caput digitis complexa cruentis,
Clamat, Iô comites! Opus hoc victoria noſtra eſt.
Non citiùs frondes autumni frigore tactas,
Iámq́; male hærentes, altâ rapit arbore ventus;
Quàm ſunt membra viri manibus direpta nefandis.
l Talibus exemplis monitæ nova ſacra frequentant,
Thuráq́; dant, ſanctáſque colunt m Iſmenides aras.

e Arborem conſcenderat Pentheus ſpectaturus Orgia, ut habet Euripides in Bacchis, Nonnus l. 46. Dionyſ. Theocritus Idyll. 26. Ληνᾶις. f Nec tantum non initiatis, ſed & ſacrilegis & ſacrorum contemptoribus. g Θῆρα, ἕλικα, νέον λῖν vocat Pentheum Euripides, Flaccus taurum, vitulum Perſius. h Ἐγώ τοι μῆτερ εἰμι παῖς σέθεν Πενθεὺς, ὃν ἔτεκες ἐν δόμοις Ἐχίονος. Οἴκτειρε δ᾽ ὦ μῆτέρ με, μηδὲ ταῖς ἐμαῖς Ἁμαρτίαισι παῖδα σὸν κατακτάνῃς. Ἡ δ᾽ ἀφρὸν ἐξιεῖσα, &c. Nuncius in Bacchis Euripidis. i Per manes filii tui rogata, miſerere nepotis itidem diſcerpendi, niſi tu opem tuleris. k Ἡ δ᾽ ἀφρὸν ἐξιεῖσα, καὶ διαστρόφους Κόρας ἑλίσσουσ᾽ οὐ φρονοῦσ᾽ ἃ χρὴ φρονεῖν, &c. Euripid. Bacch. legend. & Theocriti Ληναὶ, & Nonnum 46. Dionyſ. ubi & luctus Agaves ad ſanam mentem reverſæ. Senec. Oedip. 443. l Τὸ σωφρονεῖν δὲ καὶ σέβειν τὰ τῶν θεῶν, Κάλλιστον οἶμαι γ᾽ αὐτὸ, καὶ σοφώτατον Θνητοῖσιν εἶναι χρῆμα, τοῖσι χρωμένοις. ita nuncius narrationem cædis Penthei in Euripidis Bacchis. m Thebanæ, ab Iſmeno fl. Bœotiæ, in quâ Thebæ.





# LIBER IV.

## Dercetis in piſcem, Semiramis in columbam, & Naïs in piſcem, FAB. 1. 2. 3.

AT non Alcithoë a Mineïas Orgia cenſet
Accipienda dei: ſed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat eſſe Iovis; ſociáſque ſorores
Impietatis habet. Feſtum celebrare ſacerdos,
Immuneſque operum famulas dominaſque ſuorum,
Pectora b pelle tegi, c crinales ſolvere vittas,
d Serta comis, manibus frondentes ſumere thyrſos
Iuſſerat: & ſævam læſi fore numinis iram,
Vaticinatus erat. Parent matréſque, nurúſque,
Telas, & calathos, e infectáq́; penſa reponunt, (umq́;
Thuráq́; dant, f Bacchúmq́; vocant, g Bromiúmq́;, Lyæ-
h Ignigenámq́;, i ſatúmq́; iterum, ſolúmq́; k bimatrem:
Additur his l Niſeúſque, indetonſúſq́; m Thyoneus,
Et cum n Lenæo genialis conſitor uvæ,
o Nyctileúſq́;, p Eleleúſq́; parens, & p Iacchus, & p E-
q Et quæ præterea per Graias plurima gentes (van:
Nomina, Liber, habes. r Tibi enim inconſumpta juven-
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto (ta eſt,
Conſpiceris cœlo: tibi, cùm ſine ſ cornibus aſtas,
Virgineum caput eſt. t Oriens tibi victus, adúſque

a Minei filia. b Νεβρῶν, hinnulorum, & βασσάρων vulpium. c Quod in omnibus ſacris fieri ſolet. d Pampinea Vite caput tegitur; lateri cervina ſiniſtro Vellera dependent, &c. 6. l. v. 59. e Imperfecta, opere per feſta intermiſſo. f Lux huic erit ab hymno in Bacchū. Horat. Ode 19. 2. l. & 25. Ode 3. l. Senec. Oedip. v. 403. Sannazar. 2. l. 5. eleg. Mureti Galliambo ad Catulli epithalamium 63. Iac. Gaddii l. 1. 2 hymn. Antholog. Græc. epigr. 38. c. Videndus & Ioach. Camerarius problem. 6. l. 8. g A fremitu Bromius, quòd vociferatur Iacchus, Quòd curis ſolvit corda Lyæus erit. h Fulminis ictu editum, ut l. ſuperiore. i Ex utero Semeles & Iovis femore. cur πυριγενής [?] vocetur, aliam rationem vide apud Strabonem l. 13. Geogr. k A Nyſâ Indiæ urbe. l Idem n. eſt cum Sole uſque juvene & radiis comato. Macrob. 1. Saturn. 18. c. & Mythologi alii, quos ſuper his conſule. m A matre Semele, quæ culta nomine Thyones à θύω. n A torculari ſeu lacu, qui ληνὸς. o A nocturnis Orgiis. p A clamore in Orgiis & exhortatione in bello Gigant. q Solenne quippe erat atque è religione omnia nomina hymnis infarcire, ne quod omitterent; ut &--r Attributa & geſta. vide quæ nos ad Senecæ Oepidum, choro 2. ſ Bacchus cur ſit cornutus, dixi ad Senec. Hippolyt. v. 753. t Ad Senec. Oedip. 114.

Decolor extremo quà cingitur India Gange.
[u] Penthea, tu venerande, bipenniferúmque [x] Lycurgum
Sacrilegos mactas. [y] Tyrrhenáque mittis in æquor
Corpora. Tu bijugum pictis inſignia frænis
Colla premis [z] lyncum: Bacchæ, Satyrique ſequuntur,
[a] Quique ſenex ferulâ titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.
Quacúnque ingrederis, clamor juvenilis, & unà
Fœmineæ vocis, impulſáque tympana palmis,
Concaváque æra ſonant, longóque foramine buxus.
Placatus mitiſque, rogant Iſmenides, adſis:
Juſſáque ſacra colunt. Solæ Mineïdes intus
[b] Intempeſtivâ turbantes feſta [b] Minervâ
Aut ducunt lanas, aut ſtamina pollice verſant,
Aut hærent telæ, famuláſque laboribus urgent.
E quibus una levi deducens pollice filum,
Dum ceſſant aliæ, [c] commentáque ſacra frequentant:
Nos quoque, quas Pallas melior dea [d] detinet, inquit,
Vtile opus manuum vario ſermone levemus,
Pérque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non ſinat in medium vacuas referamus ad aures.
Dicta probant, primámque jubent narrare ſorores.
Illa, quid è multis referat (nam plurima nôrat)
Cogitat: & dubia eſt, de te Babylonia narret
[e] Derceti, quam verſa ſquamis velantibus artus
Stagna Palæſtini credunt coluiſſe figurâ;
[f] An magis ut ſumptis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egerit annos;

*u* Libro præced. *x* Regem Thraciæ, cui cum vites omnes in odium Bacchi excinderet, immiſſâ à Baccho inſania, falcem cruribus ſuis alliſit, interiitque, ſed vide Humerum 6. Iliad. *y* Redi ad libr. præced. v. 670. *z* Verſ. 669. l. ſuperioris. & Nat. Com. l. 5. c. 13. *a* Silenus Bacchi alumnus, Lucian. concil. Deorum. Diodor. l. 4. *b* Lanificio Minervæ invento Bacchi feſtis parum convenienti. *c* Noviter inventa, & ab his pro falſis habita. *d* Quā Bacchus Deus eſt. *e* Veneris filia. vel ipſa Venus cujus in Phœnicia Imaginē ſe vidiſſe teſtatur Lucianus, in lib. de Syria Dea. θέημα inquit ξένον· ἡμισέη μὲν γυνή, τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας, ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται. vel quia in aquas lapſa ſervata fuiſſet à piſcibus; vel quod Typhonem fugiens In piſcem ſeſe Cytherea novavit, &c. ut habet Manilius l. 4. Aſtr. Ad quem vide Ioſ. Scalig & quæ abjecit Io. Seldenus 2. Syntagm. de Diis Syris c. 3. Deam hanc Syriam Palæſtinam & Hierapolitanam vocant, Dirceto, Atargatin, Dagon, Diodorus Sic. 3. l. Hyginus. Athenæus l. 8. c. 8. Strab. 16. l. Macrob. 1. Saturn. 23. c. Ramireſ. Penticont. 21. c. Lil. Cyrald. 1. Syntagm.-- --*f* Cujus filia Semiramis in columbam verſa eſt, ἐς περιστερὴν ἀπίκετο. Lucian. de Dea Syriade expoſitione infantis Semiramidis, utque ab avibus nutrita ſit, accreveritque, &c. Diodorus, l. 3.

g Nais



[g] Nais an ut cantu, nimiumque potentibus herbis
Verterit in [h] tacitos juvenilia corpora piſces,
Donec idem paſſa eſt: an quæ poma alba ferebat,
Vt nunc nigra ferat contactu ſanguinis [i] arbor.
Hæc placet, hæc quoniam vulgaris fabula non eſt,
Talibus orſa modis, lanâ ſua fila ſequente.

*g* Nympha Noſolæ inſ Erythræi maris, quæ juvenes advenas, quibus conſueviſſet, in piſces veneficiis mutavit. quæ & ipſa tandem à Sole, cui inſ. illa ſacra, vindice, in piſcem verſa eſt. *h* Mutos, ἔλλοπας, ut qui pulmonibus, arteriâ & gutture careant. *i* Morus.

## Pyramus & Thisbe. FAB. 4.

Pyramus & Thiſbe, juvenum pulcherrimus alter,
Altera, quas oriens habuit, prælata puellis,
Contiguas habuêre domos: [k] ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.
Notitiam, primóſque gradus vicinia fecit;
Tempore crevit amor: [l] tedæ quoque jure coïſſent,
Sed [m] vetuêre patres, quod non potuêre vetare.
Ex æquo captis ardebant mentibus ambo.
Conſcius omnis abeſt; nutu, ſigniſque loquuntur:
Quòque magis tegitur, [n] tanto magis æſtuat ignis.
Fiſſus erat tenui rimâ, quam duxerat olim,
Cùm fieret, paries domui communis utrique.
Id vitium nulli per ſecula longa notatum;

*k* Babylonis arcem a Belo conditam, regiam & urbem, Semiramis, vitâ functo conjuge ſuo Nino, cinxit muro ex latere coctili bitumine interlito, cujus ambitus 365. ſtadia complectitur cùm annuo ſpatio ſingula ſtadia ſingulis diebus eſſent perfecta. Altitudo muri inter turres, quæ erant 250. erat cubitorum 50. ipſarum turrium altitudo, cubitorum 60. latitudo 32. pedū. ut quadrigæ occurrentes facilè commeare inter ſe poſſent. Qui plura volet, adeat Diodor. 3. l. Strabonem 16. Curtium l. 5. Herodotum 2. Hygin. 233. cap. mediam urbem interfluente Euphrate; per quem quo ſtratagemate capta fuerit à Cyro Babylon lege Xenoph. 7. l de inſt. Cyri. vide Io. Tzetzen l. 9. Chil. 275. *l* Nuptiæ, in quibus cum aquæ & ignis ſacramenta adhiberentur, faces quinque è tedâ arbore à totidem pueris patrimis & matrimis præferebantur. vide quæ nos ad Senec. Thebaid. verſ. 263. & 507. *m* Vetuerunt nuptiarum jure ne coirent; ne animis & affectu jungerentur, vetare non poterant. In conjugiis verò, ſupra alia omnia, nectendis vel ſolvendis malè reſpondent coacta ingenia. *n* Vett. libb. Tectus magis æſtuat ignis. & unus Mss. meus.

o Quid

( [o]Quid non ſentit amor?) primi vidiſtis amantes,
Et vocis feciſtis iter, tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo tranſire ſolebant.
Sæpe ubi conſtiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc,
Inque vices fuerat captatus anhelitus oris,
Invide, dicebant, paries, quid amantibus obſtas?
Quantum erat, ut ſineres toto nos corpore jungi?
Aut, hoc ſi nimium eſt, vel ad oſcula danda pateres?
Nec ſumus ingrati: tibi nos debere fatemur,
Quòd datus eſt verbis ad amicas tranſitus aures.
Talia diverſa nequicquam ſede locuti
Sub noctem dixêre Vale: partique dedêre
Oſcula quiſq; ſuæ non pervenientia contrá.
Poſtera [p] nocturnos aurora removerat [p] ignes,
Sólque pruinoſas radiis ſiccaverat herbas:
[q] Ad ſolitum coïere locum. Tum murmure parvo
Multa priùs [r] queſti, ſtatuunt, [ſ] in nocte ſilenti
Fallere cuſtodes, foribúſque excedere tentent,
Cúmq; domo exierint, urbis quoq; tecta relinquant:
Néve ſit errandum lato ſpatiantibus arvo,
Conveniant ad [t] buſta Nini, lateántq; ſub umbrâ
Arboris. Arbor ibi niveis uberrima [u] pomis
Ardua morus erat, gelido contermina fonti.
Pacta placent: & lux [x] tardè diſcedere viſa
[y] Præcipitatur aquis, & aquis mox [z] exit ab iiſdem.
Callida per tenebras verſato cardine Thisbe
Egreditur, fallitq; ſuos, adopertáq; vultum
Pervenit ad tumulum, [a] dictáq; ſub arbore ſedit.
Audacem faciebat amor. Venit ecce recenti
Cæde leæna boum ſpumantes oblita rictus,
Depoſitura ſitim vicini fontis in undâ:
Quam procul ad Lunæ radios Babylonia Thisbe
Vidit, & obſcurum timido pede fugit in antrum,
Dumque fugit, tergo velamina lapſa relinquit.

o Quis fallere poſſet amantem? Virg. de Didone 4. Æn. p Cœli faces ſtellæ ut l. 7. v. 103. Poſtera depulerat ſtellas Aurora micantes. q Alii. Ad ſolitum rediere locum. Alii, ad ſol. venêre locum r De parentibus ſuis. ſ Concubiâ intempeſtâ. Al. Vt nocte ſequenti Fallere. t Sepulchri Nini moles, inquit Diodorus, altitudinis 9. ſtadiorum, latitudinis 10. conſpicitur velut arx quædam, licet multis ſtadiis diſtans ab urbe. l. 3. u Baccis. Poma inquiunt, ſunt, quæ foris habent quod eſt uſui & durum intus includunt: Nuces, quæ foris corio duriore teguntur, intus habent nuclei medullam. Pomi tamen nomen generale ferè eſt omni fructuum generi. x Vt nox longa quibus mentitur amica videtur. Hor. 1. epiſt. 1. l. Omniſque nimiùm longa properanti mora eſt. Seneca. y Ex opinione vulgi, cui res in plano agi videtur, & Sol occidere Heſperio mari. z Al. Surgit ab iiſdem. a Conſtitutâ, ut, Dies colloquio vel nuptiis dictus. Al. Pactaque.





Vt lea ſæva ſitim multâ [b] compeſcuit undâ,
Dum redit in ſylvas, inventos fortè ſine ipsâ
Ore cruentato tenues laniavit amictus.
Seriùs egreſſus veſtigia vidit in alto
Pulvere certa feræ, totóque expalluit ore
Pyramus: ut verò veſtem quóq; ſanguine tinctam
Repperit, una duos, inquit, nox perdet amantes;
E quibus illa fuit longâ digniſſima vitâ:
Noſtra nocens anima eſt: ego te miſeranda peremi;
In loca plena metûs qui juſſi nocte venires,
Nec prior huc veni. Noſtrum [c] divellite corpus,
Et ſcelerata fero conſumite viſcera morſu,
O quicunque ſub hâc habitatis rupe leones.
Sed [d] Timidi eſt optare necem: velamina Thisbes
Tollit, [e] & ad pactæ ſecum fert arboris umbram.
Vtque dedit notæ lacrymas, dedit oſcula veſti,
Accipe nunc, inquit, noſtri quoq; ſanguinis hauſtus:
Quóque erat accinctus, demiſit in ilia ferrum.
Nec mora: ferventi moriens è vulnere traxit,
Et jacuit reſupinus humo: cruor emicat altè,
Non aliter, quàm cùm [f] vitiato fiſtula plumbo,
Scinditur, &, tenui ſtridente foramine, [g] longas
Ejaculatur aquas, atque ictibus aëra rumpit.
[h] Arbore [i] fœtus aſpergine cædis in atram
Vertuntur faciem: madefactáque ſanguine radix
Purpureo tingit pendentia mora colore.
Ecce, metu nondum poſito, ni fallat amantem,
Illa redit, juvenémq; oculis animóque requirit,
Quantáque vitârit narrare pericula geſtit.
Vtq; locum, & [i] viſam cognoſcit in arbore formam,
(Sic facit incertam [k] pomi color) hæret an hæc ſit.
Dum dubitat, tremebunda videt pulſare cruentum
Membra ſolum, retróque pedem tulit: oráque buxo
Pallidiora gerens, exhorruit æquoris inſtar;
Quod fremit, [l] exiguâ cûm ſummum ſtringitur aurâ.

b Sedavit, placavit. c Diſcerpite, dilaniate. d Ex Stoa, cui mors ad manum præſtat portum & libertatem à malis. Nunquam eſt ille miſer, cui facile eſt mori. Senec. in Herc. Oetæo. Si piget luctus, habes Mortem paratam. pectus in tela indue. Idem in Herc. Furen. 1026. e Al. Et ad pactæ ſe confert arboris umbram. f Corrupto, ruptóque. g Longè emiſſas. Sed nonnullis placet lectio, Longè Ejaculatur aquas. h Redi ad v. 52. i Hercul. Ciofano probatur magis. Et verſam cognoſcit in arbore formam. Arbor enim contraxerat colorem rubrum, ut ſequens indicat verſus: unde dubitat an eadem ſit. k Baccæ, mori fructus, ſupra ad verſ. 89. l Vbi ſuperficies à levi vento criſpatur.

*Sed poſtquam remorata ſuos cognovit* [m] *amores,*
*Percutit indignos claro plangore lacertos:*
*Et laniata comas, amplexáque corpus amantis,*
*Vulnera ſupplevit lacrymis, fletúmque cruori*
*Miſcuit, & gelidis in vultibus oſcula figens,*
*Pyrame, clamavit, quis te mihi caſus ademit?*
*Pyrame reſponde: tua te chariſſima Thisbe*
*Nominat, exaudi; vultuſque attolle jacentes.*
*Ad nomen Thysbes oculos* [n] *jam morte* [o] *gravatos*
*Pyramus* [o] *erexit, viſâque recondidit illâ.*
*Quæ poſtquam veſtémque ſuam cognovit & enſe*
*Vidit* [p] *ebur vacuum, tua te manus, inquit, amórque*
*Perdidit infelix: Eſt & mihi fortis* [q] *in uſum*
*Hæc manus, eſt & amor; dabit hic in vulnera vires.*
[r] *Perſequar extinctum, lethique miſerrima dicar*
*Cauſa, coméſque tui:* [ſ] *quique à me morte revelli*
*Heu ſola poteras, poteris nec morte revelli.*
*His tamen amborum verbis eſtote rogati*
*O multum* [t] *miſerique mei, illiuſque Parentes,*
*Vt quos certus amor, quos hora noviſſima junxit,*
*Componi tumulo non invideatis eodem.*
*At tu, quæ ramis arbor miſerabile corpus*
*Nunc tegis unius, mox es tectura duorum,*
*Signa tene cædis; pullósque & luctibus aptos*
*Semper habe fœtus, gemini monumenta cruoris.*
*Dixit, & aptato pectus mucrone ſub imum*
*Incubuit ferro, quod adhuc à* [u] *cæde tepebat.*
*Vota tamen tetigêre deos, tetigêre parentes:*
*Nam color in pomo eſt, ubi permaturuit, ater;*
[x] *Quódque rogis ſupereſt, unâ requieſcit in urnâ.*

m Amatum Pyramum. n Aliis. In morte gravatos. o Illa Dido Virgiliana 4. Æn. Graves Oculos conata attollere, rurſus Deficit: infixum ſtridet ſub pectore vulnus. Ter ſeſe attollens, cubitoque innixa evavit: ter revoluta toro eſt, oculiſque errantibus alto Quæſivit cælo lucem, ingemuitq; reperta. p Eburneam vaginam. q In hoc idem, ut mihi quoque mortem conſciſcam. r Alii. Te ſequar extinctum. ſ Inverſio acutiſ.ua. t Orbi jam liberis, quorum affectus cogere & coercere voluiſtis. Nec miſeri minùs ſunt liberi qui dum illicitos amores ſuos parentum reverentiæ & charitati anteferunt triſtem non rarò & infelicem ſortiuntur exitum. u Pyrami. x Cineris & oſſa.

Venus



## Venus & Mars deprenſi, & Leucothoë in virgam thuream. FAB. 5.

*DEſierat; mediúmque fuit breve tempus, & orſa eſt*
*Dicere* [y] *Leucothoë: vocem tenuêre ſorores.*
*Hunc quoque, ſidereâ qui temperat omnia luce,*
*Cepit amor Solem: Solis referamus amores.*
[z] *Primus adulterium: Veneris cum Marte putatur*
*Hic vidiſſe deus: videt hic deus omnia primus.*
*Indoluit facto,* [a] *Iunonigenæque marito*
*Furta tori, furtique locum monſtravit: at illi*
*Et mens, & quod opus fabrilis dextra tenebat,*
*Excidit. Extemplo graciles ex ære catenas,*
*Retiáque, & laqueos, quæ lumina fallere poſſent,*
*Elimat: non illud opus tenuiſſima vincant*
*Stamina,* [b] *nec ſummo quæ pendet aranea tigno.*
*Vtq; leves tactus, momentáque parva ſequantur,*
*Efficit, & lecto circundata collocat apté*
*Vt venêre torum conjux & adulter in unum*
*Arte viri, vincliſque nova ratione paratis,*
*In mediis ambo deprenſi amplexibus hærent.*
[c] *Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas,*
*Admiſitque deos: illi jacuêre ligati*
*Turpiter, atque* [d] *aliquis de diis non triſtibus, optat*
*Sic fieri turpis. Superi riſêre: diúque*
*Hæc fuit in toto notiſſima* [e] *fabula cœlo.*

y Soror Alcithoes, filia Minei. z Fabulam hanc canit Demodocus in Homeri Odyſſeâ 8. Narrat & Nonnus 5 Dionyſ. & 25. a Vulcano. b Ἠΰτ' ἀράχνια λεπτὰ, τά κ' οὔ κέ τις οὐδὲ ἴδοιτο, &c. Odyſſ. 8. c Vulcanus, qui dum matris auxilio occurreret adverſùs Iovem, ῥιφθεὶς ποδὸς, ut ipſe narrat Iliad. α. præcipitatus a Iove de cælo, in Lemnum decidit, ubi eum Sinties exceperunt. d Mercurius, qui interroganti Apollini reſpondit, non gravia ſibi futura ejuſmodi vincula, nec ingratum tale opprobrium Odiſſ. 8. e Ἡ γὰρ Ἀφροδίτης καὶ τοῦ Ἄρεος ὁμοδρομίη τὴν Ὁμήρου ἀοιδὴν ἀπεργάζεται. inquit Lucianus libel. de Aſtrologiâ. Ignea Martis ſtella ſignificat calorem, Veneris autem ſtella humorem temperatum; ex horũ conjunctione conſtat generatio, quos Sol aſpectu ſuo elicit deregiq; Vulcani immodicus calor impedit, Neptunus, ut habet Homerus 8. Odyſſ. ligatos ſolvit: aqua ſc. extinguit calorẽ. ſymmetria hinc Phyſica. Arnob. verò l. 5. ad mores refert. Quod in adulterio dicitis Martem & Venerem Vulcani eſſe circumretitos arte; cupiditatem dicitis atque iram vi preſſas conſilióque rationis. vide Cæl. Rhodig. l. 18. 6.

Exigit

*Exigit indicii f memorem Cythereïa pœnam,*
*Inque vices illum, tectos qui læſit amores,*
*Lædit amore pari. Quid nunc, Hyperione nate,*
*Forma, colórq; tibi, radiatáq; lumina proſunt?*
*Nempe tuis omnes qui terras ignibus uris,*
*Ureris igne novo: quiq; omnia cernere debes,*
*Leucothoën ſpectas; & virgine figis in unâ,*
*Quos mundo debes, oculos. Modò ſurgis Eöo*
*g Temporius cœlo, modò h ſerius incidis undis,*
*Spectandíque morâ brumales porrigis horas.*
*Deficis interdum, i vitiúmq; in lumina mentis*
*Tranſit, & obſcurus mortalia pectora terres.*
*k Nec, tibi quòd Lunæ terris propioris imago*
*Obſtiterit, palles: facit hunc amor ipſe colorem.*
*Diligis hanc unam: nec te l Clymenéq; m Rhodóſque,*
*Nec tenet n Ææa genitrix pulcherrima Circes,*
*Quæque tuos o Clytie, quamvis deſpecta, petebat*
*Concubitus; ipsóque illo grave p vulnus habebat*
*Tempore. q Leucothoë multarum oblivia fecit;*
*r Gentis odoriferæ quam formoſiſſima partu*
*Edidit Eurynome. ſed poſtquam filia crevit,*
*Quàm mater cunctas, tam matrem filia vicit.*
*Rexit Achæmenias urbes pater ſ Orchamus, iſque*
*ſ Septimus à priſco numeratur origine Belo.*
*t Axe ſub Heſperio ſunt paſcua Solis equorum;*
*Ambroſiam pro gramine habent: ea feſſa diurnis*
*Membra miniſteriis nutrit, reparátque labori.*
*Dúmque ibi quadrupedes cœleſtia pabula carpunt,*
*Nóxque vicem peragit; thalamos deus intrat amatos;*
*Verſus in Eurynomes faciem genetricis; & inter*

f Sævæ memorem Iunonis ob iram. g Tempeſtiviùs, maturiùs ſolito, & quàm par fuit. h Tardiùs. i Et mentis ægritudo tranſit in faciem. hinc tinctus violâ pallor obſcurat lumen tuum terretque mortales. k Nec Lunæ corpus tibi ac terræ interpoſitum Eclipſin luciſq; tuæ defectum inducit, ſed pallor ex amore. l Mater Phaethontis. de qua l.1. & 2. m Neptuni & Veneris filia fingitur, Phœbo intimè adamata, è qua ſeptem genuit filios, quæ nomen dedit inſulæ Carpathii pelagi, quæ & Phœbo dilecta dicitur, quia nulla eſt dies tam nubila in quâ Sol aliquâ horâ non cernitur. quod illi cum Alexandriâ & Syracuſis commune. vel quod hæc inſ. paludibus quondam humida ſolis calore arida facta ſit & fertilis. ut habet Diodorus Sic. l. 6. de Rhodo inſ. Horatio dicitur clara. i. Solis radiis, urbibus, portubus, templo & Coloſſo Solis. vide Comment. in oden 7. Pindari. n Perſa mater Circes, Æææ dictæ ab Ææâ opp. Colchorum. o Nympha quæ Phœbum amavit. p Dolorem ob prælatam ſibi Leucothoën. q Filia Orchami regis Achæmeniæ, & Eurynomes. r Arabicæ, Achæmeniæ. ſ A Belo, Abas, Acriſius, Danae, Perſeus, Bachæmon, Achæmenes, Orchamus. t Sub Cœlo occidentali,





*Bis ſex Leucothoën famulas u ad lumina cernit*
*Levia verſato ducentem ſtamina fuſo.*
*Ergò ubi, ceu mater, caræ dedit oſcula natæ*
*Res, ait, arcana eſt: famulæ diſcedite, nêve*
*Eripite x arbitrium matri ſecreta loquendi.*
*Paruerant: thalamoque deus ſine teſte relictus,*
*Ille ego ſum, dixit, qui longum y metior annum,*
*z Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,*
*Mundi oculus: mihi, crede, places. pavet illa: metuq;*
*Et colus, & fuſus digitis cecidêre remiſſis.*
*Ipſe timor decuit: nec longiùs ille moratus*
*In veram rediit ſpeciem, ſolitumq; nitorem.*
*At virgo quamvis inopino territa viſu,*
*Victa nitore dei, poſitâ vim paſſa querelâ eſt.*
*Invidit Clytie: (neque enim moderatus in illam*
*Solis amor fuerat) ſtimulataque pellicis ira*
*Vulgat adulterium, diffamatumque parenti*
*Indicat. ille ferox immanſuetuſque a precantem*
*Tendentemque manus ad lumina ſolis, &, Ille*
*Vim tulit invitæ, dicentem, defodit alta*
*b Crudus humo: tumulúq; ſuper gravis addit arenæ.*
*Diſſipat hunc radiis Hyperione natus, itérque*
*Dat tibi, quo poſſis defoſſos promere vultus;*
*Nec tu jam poteras c enectum pondere terræ*
*Tollere nympha caput; corpuſque exangue jacebas.*
*Nil illo fertur volucrum moderator equorum*
*d Poſt Phaethonteos vidiſſe dolentius ignes.*
*Ille quidem gelidos radiorum viribus artus,*
*Si queat, e in vivum tentat revocare calorem.*
*Sed quoniam tantis fatum conatibus obſtat;*
*Nectare odorato ſparſit corpuſque locumque,*

u Caligant qui obtrudunt lect. ad limina. Neque vidēt lumina nētibus ancillis convenire. quod noſtro ſolenne eſt. 2. Faſtor. Lumē ad exiguum famulæ i. (Lucretiæ) data penſa trahebant. Quod de Famulis ad lumina monet Dauſquejus ad Sil. Ital. 1. l. non huc facit. x Copiam ſermonis ferendi remotis arbitris. y Curſu ſub Zodiaco naturali. z Πανόπτης. πανδερκὲς ἔχων αἰώνιον ὄμμα. Orpheus. a Leucotheam. b Crudelis, immitis. Alluſum fortè ad ſupplicium Veſtalium corruptarum. c Al. ejectum. d Poſt Phaethontem filium fulmine extinctum à Iove, qui Sævis compeſcuit ignibus ignes, 2. l. verſ. 313. e Phœbus quidem tentat revocare calorem vitalem in artus Leucothoës gelidos. Hypallage.

*Multaque præqueſtus,*[ſ] *Tanges tamen æthera, dixit.*
*Protinus imbutum cœleſti nectare corpus*
*Delicuit, terramque ſuo madefecit odore:*
*Virgaque per glebas ſenſim radicibus actis*
*Thurea ſurrexit, tumulumque cacumine rupit.*

ſ Prodibis è terra arbor thurifera, cujus gummi incenſi in ſacris odor aſcendit ad nares Deorum. Achæmenia autem, Arabia, & Saba thure & aromatibus paſſim à Poetis celebrantur.

## Clytie in Heliotropium. FAB. 6.

*AT Clytien, quamvis amor excuſare dolorem*
*Indiciumque dolor poterat; non amplius* [g] *autor*
*Lucis adit,* [h] *Venerisque modum ſibi fecit in illa.*
*Tabuit ex illo dementer amoribus uſa*
[i] *Nympharum impatiens; & ſub Iove nocte dieque*
*Sedit humo nuda madidis incompta capillis,*
*Perque novem luces expers undæque cibique,*
*Rore mero, lacrymiſque ſuis jejunia pavit:*
*Nec ſe movit humo; tantùm ſpectabat euntis*
*Ora Dei, vultuſque ſuos flectebat ad illum.*
*Membra ferunt hæſiſſe ſolo; partemque coloris*
[k] *Luridus exangues pallor convertit in herbas.*
*Eſt in parte rubor, violæque ſimillimus ora*
[l] *Flos tegit. Illa ſuum, quamvis radice tenetur,*
*Vertitur ad ſolem, mutataque ſervat amorem.*

g Sol fons luminis, cœli oculus, mundi mens. h Phœbo modus hic finiſque amoris ſui in Clytie, quæ deſerta cōtabuit cibo per dies novē abſtinens, atque in florem Heliotropium trāsformata eſt, priſtini amoris memor, ad Solem converſa. i Commercium aliarum Nympharum fugiens. k Nocte cœruleos contrahit flores ſideris deſiderio. Cœl. Rhod. 29. l. 4. l Heliotropium, inquit Plinius, ſe cum Sole circumagit, abeuntem ſequitur, tantus amor eſt ſideris. l. 2. 41. c. & l. 22. 9. c.

## Daphnis, Scython, Celmus, Smilace. FAB. 7. 8. 9. 10.

*DIxerat: & factum mirabile ceperat aures.*
*Pars fieri potuiſſe negant; pars* [m] *omnia veros*
*Poſſe deos memorant: ſed non eſt Bacchus in illis.*
*Poſcitur Alcithoë, poſtquam ſiluêre ſorores:*
*Quæ radio ſtantis percurrens ſtamina telæ,*

m Γένοιτο μὲν τ' ἂν πᾶν θεοῦ τεχνωμένου. Sophocles in Ajace. θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται. Hom. Iliad. 8.





*Vulgatos taceo, dixit, paſtoris amores*
*Daphnidis* [n] *Idæi, quem Nympha pellicis ira*
[o] *Contulit in ſaxum. Tantus dolor urit amantes.*
*Nec loquar, ut quondam* [p] *naturæ jure novato*
*Ambiguus fuerit modò vir, modò fœmina, Scython.*
*Te quoque, nunc* [q] *adamas, quondam fidiſſime parvo*
*Celme Iovi, largoque* [r] *ſatos Curetas ab* [ſ] *imbri:*
*Et* [t] *Crocon in parvos verſum cum Smilace flores,*
*Prætereo, dulcique animos novitate tenebo.*

n Phrygii, vel Cretenſis. Ida enim mons eſt & Phrygiæ & Cretæ. o Tranſtulit alii, & meliùs. dolore ſcilicet repulſæ attonitum ac ſtupefactum reddidit. vide Iacobum Bononienſ. qui hūc eundem cum Theocr. Daphnide facit. p Vide infra de Harmaphrodito verſ. 378. & de Cœni. l. 12. verſ. 190. q Quod Iovis mortalitatem vulgaverat, olim nutritius Iovis nempe unus ex Idæis Dactylis. r D. Curetum origine & officio vide Strabonem 10. l. & quæ nos ad Senec. Herc. Oet. verſ. 1977. ſ Fungorum aut aſparagorum more, tanquam novos homines. t Crocon adoleſcentem amavit Smilax, quo cùm frui non poſſet, ambo in flores converſi ſunt. Plin. 16. l. 35. c.

## Salmacis. FAB. 11.

[u] *VNde ſit infamis, quare* [x] *malè fortibus undis*
*Salmacis enervet, tactoſque remolliat artus,*
*Diſcite: cauſa latet; vis eſt notiſſima fontis.*
*Mercurio puerum diva Cythereide natum*
*Najades Idæis enutrivêre ſub antris.*
*Cujus erat facies, in qua materque paterque*
*Cognoſci poſſent,* [y] *nomen quoque traxit ab illis.*
*Is tria cùm primùm fecit quinquennia, montes*
*Deſeruit patrios: Idaque altrice relicta,*
*Ignotis errare locis, ignota videre*
*Flumina gaudebat,* studio minuente labores.
*Ille etiam Lycias urbes, Lyciæque propinquos*
*Caras adit; videt hic ſtagnum lucentis ad imum*

u -- Καὶ ἡ Σαλμακὶς κρήνη, διαβεβλημένη οὐκ οἶδ' ὁπόθεν, ὡς μαλακίζουσα τοὺς πίνοντας, &c. Et Salmacis fons, neſcio qua de cauſa infamis, quaſi ex eo bibentes effœminet molliatque. Enimverò luxuria hominum videtur in aëris & aquæ temperiem culpam referre. Atqui non hæc cauſam luxuriæ præbent, ſed divitiæ & victus intemperans, Strabo 14. l. Geogr. videatur & Turnebus l. 28. c. 39. exponens Salmacida ſpolia ſine ſudore & ſanguine. x Parum virilibus, effœminantibus. Vt malè ſanus, malè gratus: malè numen amicum, ſtatio malè fida. y Ἑρμοῦ & Ἀφροδίτης.

*Vſque ſolum lymphæ: non illic canna paluſtris,*
*Nec ſteriles ulvæ, nec acuta cuſpide junci.*
*Perſpicuus liquor eſt, ſtagni tamen ultima vivo*
*Ceſpite cinguntur, ſemperq; virentibus herbis.*
[z] *Nympha colit.* [a] *ſed nec venatibus apta, nec arcus*
*Flectere quæ ſoleat, nec quæ contendere curſu;*
*Solaq; Naïadum celeri non nota Dianæ.*
*Sæpe ſuas illi fama eſt dixiſſe ſorores:*
*Salmaci, vel jaculum, vel pictas ſume pharetras,*
*Et tua cum duris venatibus otia miſce.*
*Nec jaculum ſumit, nec pictas ille pharetras,*
*Nec ſua cum duris venatibus otia miſcet.*
*Sed modò fonte ſuo formoſos perluit artus,*
*Sæpe* [b] *Cytoriaco deducit pectine crines:*
*Et, quid ſe deceat,* [c] *ſpectatas conſulit undas.*
*Nunc perlucenti circumdata corpus amictu,*
*Mollibus aut foliis, aut mollibus incubat herbis.*
*Sæpe legit flores, & tunc quoque forte legebat,*
*Cùm puerum vidit, viſumque optavit habere.*
*Nec tamen antè adiit,* [d] *etſi properabat adire,*
[e] *Quàm ſe compoſuit, quàm circumſpexit amictus,*
*Et finxit vultum, & meruit formoſa videri.*
*Tunc ſic orſa loqui: Puer ô digniſſime credi*
*Eſſe deus! Seu tu deus es, potes eſſe Cupido:*
*Sive es mortalis; qui te genuêre beati;*
*Et mater felix, & fortunata profectò*
*Si qua tibi ſoror eſt, & quæ dedit ubera nutrix.*
*Sed longè cunctis longeq; beatior illa eſt,*
*Si qua tibi Sponſa eſt, ſi quam dignabere* [g] *tedâ.*
*Nunc tibi ſive aliqua eſt; mea ſit furtiva voluptas:*
*Seu nulla eſt; ego ſim: thalamumq; ineamus eundem.*
*Naïs ab his tacuit: Pueri* [h] *rubor ora notavit;*

z Nullus non fons ſacer habitus, cui & numẽ ſuũ, Nympha cognominis. a Ex ocio, rerum affluentia, luxu in cibis & veſtitu, faſtidio, & immodico ſui cultu naſcitur amor & libido. Noſter 1. l. de Remedio amoris. & Seneca in Hippolyto v. 203. b Buxeo. Cytorum autẽ mons Galatiæ buxo abundat. Virg. 2. Georg. Vndantem buxo ſpectare Cytorum. & noſter l. 6. Inde Cytoriaco radiũ de monte tenebat. c Aquas, vice ſpeculi uſa. Nuper me in litore vidi. Corydon. Virg. 2. Eclog. d Al. Quamvis properabat adire. e Sic Mercurius lib. 2. verſu 734. cura adjuvat formam, Permulcetque comas, &c. g Nuptiis, in quibus præferebantur faces è tedâ, ſupra verſ. 60. h Vide verſ. 183. lib. 3.

Neſc



*Neſcit, quid ſit amor: ſed & erubuiſſe decebat:*
*Hic color aprica pendentibus arbore pomis;*
*Aut* [i] *ebori tincto eſt; aut ſub candore rubenti,*
*Cùm fruſtra reſonant* [k] *æra auxiliaria, Lunæ.*
*Poſcenti Nymphæ ſine fine* [l] *ſororia ſaltem*
*Oſcula, jamq; manus ad eburnea colla ferenti,*
*Deſinis? Aut fugio, tecumq;, ait, iſta relinquo.*
*Salmacis extimuit, locaq; hæc tibi libera trado*
*Hoſpes, ait, ſimulatq; gradu diſcedere verſo.*
*Tum quoque reſpiciens, fruticumq; recondita ſylva*
*Delituit, flexumque genu ſummiſit. at ille,*
*Ut puer, & vacuus, & inobſervatus, in herbis*
*Huc it, & hinc illuc, & in alludentibus undis*
*Summa pedum, taloq; tenus veſtigia tingit.*
*Nec mora; temperie blandarum captus aquarum,*
*Mollia de tenero velamina corpore ponit.*
*Tum verò obſtupuit, nudæque cupidine formæ*
*Salmacis exarſit. flagrant quoque lumina Nymphæ.*
[m] *Non aliter, quàm cùm puro nitidiſſimus orbe*
*Oppoſita ſpeculi referitur imagine Phœbus.*
*Vixq; moram patitur; vix jam ſua gaudia differt:*
*Iam cupit amplecti; jam ſe* [n] *malè continet amens.*
*Ille cavis velox applauſo corpore palmis*
*Deſilit in latices;* [o] *alternaq; brachia jactans*
*In liquidis tranſlucet aquis. ut eburnea ſi quis*
[p] *Signa tegat claro, vel candida lilia, vitro.*
*Vicimus; &, meus eſt, exclamat Naïs: & omni*
*Veſte procul jacta, mediis immittitur undis,*
*Pugnantemq; tenet, luctantiaq; oſcula carpit;*
*Subjectatq; manus, invitaq; pectora tangit:*

i Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ. quod Oſtro Mæonis Aſſyrio femina tinxit ebur. Ovid. 2. Amorum el. 5. Quale roſæ fulgent inter ſua lilia mixtæ; Aut ubi cãtatis luna laborat equis. k Mulieres Aſtrologiæ peritæ, ut Aglaonica, Plutarcho autore l. de defectu oraculorum, eclipſeos Lunæ præſciæ, quò ſibi fidem apud vulgus facerent, ſimulabant ſe carmine magico, veneficiis & rhombo poſſe Lunam rubore ſuffuſam deducere. quod cum vulgo eſſet perſuaſum, laboranti Lunæ auxiliari ſe credebat, ſi pelvium tinnitu & tubarum ſtrepitu obſtreperent carminibus veneficarum, ne exaudirentur à Lunâ. Cantus & è curru Lunam deducere tentat: Et faceret, ſi non æra repulſa ſonent. Tibullus 1. el. 8. Senec. Hip. 787. ſed præter poetas, Liv. l. 26. Plutarch. in Pericle. Tacit. 1. Annal. l Verecunda, cujuſmodi vel ſorori poſſent dari, vel à ſorore. m Vti refracti ad ſpeculum Solis radii. n Vix ſe continet. ægrè ſe reprimit. ſupra ad verſ. 285. o Tanquam nataturus. l. 4. v. 595. p Quibus major ab ambientis cryſtalli aut vitri διαφανεία nitor. Et latet & lucet Phaethontide condita gutta apis. Martial. 4. l. 32. Epigr.



Et

*Et nunc hac juveni, nunc circumfunditur illac.*
*Denique nitentem contrà, elabiq; volentem*
*Implicat* [q] *ut ſerpens, quem regia ſuſtinet ales,*
*Sublimemq; rapit. pendens caput illa, pedeſq;*
*Alligat & cauda ſpatiantes implicat alas.*
*Utque ſolent hederæ longos intexere truncos,*
*Utve ſub æquoribus deprenſum Polypus* [r] *hoſtem*
*Continet, ex omni dimiſſis parte* [ſ] *flagellis;*
*Perſtat* [t] *Atlantiades, ſperataq; gaudia Nymphæ*
*Denegat: illa premit, demiſſaq; corpore toto*
*Sicut inhærebat, Pugnes licet improbe, dixit,*
*Non tamen effugies. Ita dii jubeatis, & iſtum*
*Nulla dies à me, nec me diducat ab iſto!*
*Vota ſuos habuêre deos: nam* [u] *miſta duorum*
*Corpora junguntur, facieſq; inducitur illis*
*Una: velut ſi quis conducat cortice ramos,*
*Créſcendo jungi, pariterq; adoleſcere cernat.*
*Sic ubi complexu coïerunt membra tenaci,*
[x] *Nec duo ſunt, ſed forma duplex; nec fœmina dici,*
*Nec puer ut poſſit: neutrumq; & utrumq; videtur.*
*Ergò ubi ſe liquidas, quò vir deſcenderat undas*
*Semimarem feciſſe videt, mollitaq; in illis*
*Membra, manus tendens, ſed jam non voce virili*
*Hermaphroditus ait, Nato date munera veſtro,*
*Et pater & genitrix, amborum nomen habenti:*

q Αἰετὸς ὑψιπέτης φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον, &c. Hom. Il. 12. vide quæ nos ad eandem ſimilitud. Æneid. 11. Virg. r Congiū, conchile, locuſtā aut alium piſcem; vel ipſum etiam piſcatorem vid. Plin. l. 9. cap. 29. ἐν περὶ σπείρῃσι τε βάλωνται Ἄνδρας δ᾽ ἀγρευτῆρας ὁμῶς καὶ κρέσσονας ἰχθῦς, &c. Oppianus lib. 2. Alieuticon. Ælia. 7. l. animal. 11. c. Pierius l. 27. Hieroglyph. ſ Acetabulis, cirris, σπείραις. ut Oppianus, ſuperiore nota. t Hermaphroditus filius Mercurii qui nepos Atlantis. u Coaleſcunt in unum velut arbor quæ inſeritur ſurculo. ſunt autem genera inſerendi hæc: ſub cortice, aut in trunco, aut emplaſtro. Palladii Febr. Columell. 5. l. 11. c. x Ὁμοῦ γίνεται κερή τε κορός τε De Hermaphroditis, qui & androgyni & Arſenothelyes dicuntur vide Diodor 5. l. cap de Priapo & Hermaphrodito. & è Diodoro excerpta Photii 244. Plin. l. 7. c. 3. & 4. & quæ ibi Dalecampius. Lucian. Somnium. Cœl. Rhodig. l. 15. c. 10. ἀνδρόγυνον γὰρ ἓν τότε μὲν ἦν καὶ εἶδος καὶ ὄνομα, ἐξ ἀμφοτέρων κοινόν, τοῦ τε ἄρρενος καὶ θήλεος, Plato in Sympoſio.

y *Quiſqu-*



y *Quiſquis in hos fontes vir venerit, exeat inde*
*Semivir, & tactis ſubitò molleſcat in undis.*
*Motus uterque parens nati rata verba biformis*
*Fecit, & y incerto fontem medicamine tinxit.*

y Salmacis, inquit Vitruvius lib. 2. c. 8. falſa opinione putatur Venerea mollitie implicare eos qui ex eo fonte biberint. Neque enim molles & impudici fiunt ex ea aqua: eſt enim ejus fontis aqua perlucida ſaporque egregius. Sed quia Cares & Leleges barbari à colonia ab Argis deducta pulſi, ubi ſe recepiſſent in montes & latrocinia ibi exercerent, deſcendebant aquatum ad notum ſibi fontem, atque ibi in Græcorum conſuetudinem & ſuavitatem ſua voluntate reducebantur. Hinc aqua illa, non impudico morbi vitio ſed humanitatis dulcedine mollitis animis barbarorum eam famam eſt adepta.

## Mineïdes in Veſpertiliones. FAB. 12.

*FInis erat dictis. Et adhuc* [a] *Mineia proles*
*Urget* [b] *opus, ſpernitq; Deū, feſtumq; profanat:*
*Tympana cùm ſubitò* [c] *non apparentia raucis*
*Obſtrepuêre ſonis, & adunco tibia cornu,*
*Tinnulaq; æra ſonant, & olent myrrhæque crocique:*
*Réſque fide major, cœpère vireſcere telæ,*
*Inque hederæ faciem pendens frondeſcere* [d] *veſtis.*
*Pars abit in vites; &, quæ modò fila fuerunt,*
*Palmite mutantur, de ſtamine pampinus exit:*
*Purpura fulgorem pictis accommodat uvis.*
*Iámque dies exactus erat, tempúſque ſubibat,*
[e] *Quod tu nec tenebras, nec poſſes dicere lucem,*
*Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.*
*Tecta repentè quati, pinguéſque ardere videntur*
*Lampades, & rutilis collucere ignibus ædes,*
[f] *Falſáque ſævarum ſimulacra ululare ferarum.*
*Fumida jamdudum latitant per tecta ſorores,*
*Diverſæque locis ignes & lumina vitant.*

a Alcithoë, Arſione, & Leucothea. ut Ant. Liberalis, Leucippe, Arſippa, & Alcathoe. b Laniſicium. c Quæ Meneidēs mānte captæ ſibi viſæ ſunt audire. d Lana in fuſis & telis. quod innuunt verſus ſequentes. Simile huic vide l. 3. v. 664. de Tyrrhenis nautis. e Crepuſculum, lux crepera & dubia. f Καλεστήνας ἔν ὁ Διόνυσος ἐγένετο ταῦρος, καὶ λέων, καὶ πάρδαλις, καὶ ἐκ τῶν κελεόντων ἐρρύη νέκταρ αὐτῷ καὶ γάλα. Ant. Liberalis fab. 10. additque πρὸς δὲ τὰ σημεῖα, &c. His prodigiis territæ, ſortes mox in urnam conjectas concuſſerunt: exit ſors Leucippæ. Ea vovit Deo ſacrificium, filiumque ſuum Hippaſum adjuvantibus ſororibus dilaniavit.

 *Dúm-*

*Dúmq; petunt tenebras, g parvos membrana per ar[tus]*
*Porrigitur, tenuéſque includunt brachia pennæ.*
*Nec, quâ perdiderint veterem ratione figuram,*
*Scire ſinunt tenebræ. Non illas pluma levavit,*
*Suſtinuêre tamen ſe perlucentibus alis,*
*Conatæque loqui, h minimam pro corpore vocem*
*Emittunt, peragúntque leves ſtridore querelas,*
*Tectáque, non ſylvas i celebrant; lucémque peroſæ*
*Nocte volant, ſeróque tenent à veſpere k nomen.*

g In veſpertiliones, animal biforme, volucre, implume tamen, mutantur. Aliter Liberalis. αὐτὰς Ἑρμῆς ἀφάμενος τῇ ῥάβδῳ μετέβαλεν εἰς ὄρνιθας· καὶ αὐτῶν ἡ μὲν ἐγένετο νυκτερὶς, ἡ δὲ γλαῦξ, ἡ δὲ βύζα· ἔφυγον δὲ αἱ τρεῖς τὴν ἀκτῖνα τοῦ ἡλίου. h Μινυρίζουσι τετριγυῖαι. i Frequentant. k Νυκτερίδες dictæ.

## Ino & Melicerta in deos marinos. FAB. 13.

*TVm verò totis Bacchi memorabile Thebis*
*Numen erat; magnáſque novi l matertera vires*
*Narrat ubique Dei: m de totque ſororibus expers*
*Una doloris erat, niſi quem fecêre ſorores.*
*Aſpicit hanc, n natis thalamóque Athamantis haben-*
*tem*
*o Sublimes animos, & alumni numine, Iuno.*
*Nec tulit: & ſecum, Potuit p de pellice natus*
*q Vertere Mæonios pelagóque immergere nautas,*
*Et laceranda ſuæ r nati dare viſcera matri,*
*Et ſ triplices operire t novis Minyeïdas alis?*
*Nil poterit Iuno, niſi inultos flere dolores?*
*Idque mihi ſatis eſt? Hæc una potentia noſtra eſt?*
*Ipſe docet u quid agam.* Fas eſt & ab hoſte doceri.
*Quidque furor valeat, Pentheâ cæde ſatiſque*
*Ac ſuper oſtendit. Cur non ſtimuletur, eátque*
*Per cognata ſuis exempla ſororibus Ino?*

l Ino ſoror Semeles, Bacchi matertera & nutrix, nupta Athamanti Thebanorum regi. m Semele fulmine interierat; Autonoes filius Actæon in cervū verſus erat; Penthea Agave mater & ſorores diſcerpſerūt, ut ſupra. n Athamanti ex Ino liberi fuere Clearchus & Melicerta: ex Nephele priore conjuge Schœneus, Erythræus, Leucon, Ptous, Phryxus & Helle. o Inflatos ſpiritus, ſuperbiam. p Bacchus. q Lib. 3. v. 670. r Pentheos. l. 3. v. 726. ſ Tres Minyæ filias. ſupra 407. v. t Non ante viſis, ex cartilagine & membranâ, non plumis. u Ut furore actos eos in ſuum exitium impellam.

Eſt



*Eſt via declivis funeſta nubila taxo,*
*Ducit ad infernas per muta ſilentia ſedes:*
*Styx nebulas exhalat iners, umbræque recentes*
*Deſcendunt illac, ſimulacráque functa ſepulchris.*
*Pallor, hyémſque tenent latè loca ſenta: x novíque,*
*Quà ſit iter, manes, Stygiam quod ducat ad urbem,*
*Ignorant; ubi ſit nigri fera regia Ditis.*
*y Mille capax aditus, & apertas undique portas*
*Urbs habet. útque fretum de totâ flumina terrâ,*
*z Sic omnes animas locus accipit ille; nec ulli*
*Exiguus populo eſt, turbámve accedere ſentit.*
*Errant exangues ſine corpore & oſſibus umbræ:*
*Párſque forum a celebrant, pars imi tecta tyranni;*
*b Pars aliquas artes antiquæ imitamina vitæ*
*Exercent; aliam partem ſua pœna coërcet.*
*Suſtinet ire illuc, cœleſti ſede relictâ,*
*(Tantum odiis iræque dabat) Saturnia Iuno.*
*Quò ſimul intravit, ſacróque à corpore preſſum*
*Intremuit limen; c tria Cerberus extulit ora,*
*Et tres latratus ſimul edidit. illa ſorores*
*d Nocte vocat genitas, grave & implacabile numen.*
*Carceris ante fores clauſas adamante ſedebant;*
*Déque ſuis atros pectebant crinibus angues.*
*Quam ſimul agnôrunt inter caliginis umbras,*
*Surrexêre deæ. Sedes e ſcelerata vocatur.*
*f Viſcera præbebat Tityus lanianda, novémque*

x Neque enim inops inhumataque turba tranſvehitur Styga, niſi poſt 100 annos. vide quæ nos ad 6. Æneid. Virg. y Ubique mors eſt; mille ad hanc aditus patent Senec. Theb. 153. Plato de Tartaro hoc in Phædone. Εἰς γὰρ τοῦτο τὸ χάσμα συῤῥέουσί τε πάντες οἱ ποταμοὶ, καὶ ἐκ τούτου πάλιν πάντες ἐκρέουσι. ἡ δὲ αἰτία ἐστὶ τοῦ ἐκρεῖν τ' ἐντεῦθεν καὶ εἰσρεῖν πάντα τὰ ῥεύματα ὅτι πυθμένα οὐκ ἔχει, &c. z Locus ille capax eſt omnium quem non ſtipant figuræ, umbræ, leviſque turba. vide quæ ad verſ. 670. lib. 11. a Frequentant. ut modò verſ. 414. b Virg. 6. Æneid. Pars in gramineis exercent, &c. de pœnis eodem l. c Cerberus, quem Plutonis canem vel ſerpentem, Inferorum cuſtodem nuncupant, triceps fingitur, ut terram denotet, quæ κρεασβόρος omnium mortalium per tres orbis, tum cognitas, partes; omnis ætatis, infantum, juvenum, ſenum, mortis genere naturali, violento, fortuito abſumptorum corpora vorat. Porphyr. interpretatur eſſe dæmonem pernicioſiſſimum, qui in aquâ, terrâ & aëre verſatur. capita volunt eſſe leonis, canis, lupi. Horatio eſt, Bellua centiceps. vide Pauſaniam in Laconicis. d Furias Acherontis & Noctis h. e. illætabilis erroris filias; ſcelerum vindices; iræ, cupiditatis, libidinis, ultrices. e Ubi ſupplicia expendunt ſcelera: i. Virg. 6. Æn. ſceleratum limen. f Vide quæ nos ad 6. Æneid. Virg. Nec non & Tityon, &c. Senec. Hippolyt. 1228.

 Iuge-

*Iugeribus diſtractus erat.*[g] *tibi, Tantale, nullæ*
*Deprenduntur aquæ: quæque imminet, effugit arbor.*
[h] *Aut petis, aut urges ruiturum, Siſyphe, ſaxum.*
[i] *Volvitur Ixion: & ſe ſequitúrque, fugitque.*
*Molirique ſuis lethum patruelibus auſæ,*
*Aſſiduè repetunt, quas perdunt, Belides, undas.*
*Quos omnes facie poſtquam Saturnia* [k] *torvâ*
*Vidit, &* [l] *ante omnes Ixiona: rurſus ab illo*
*Siſyphon aſpiciens, Cur hic è fratribus, inquit,*
*Perpetuas patitur pœnas? Athamanta ſuperbum*
*Regia dives habet,* [m] *qui me cum conjuge ſemper*
*Sprevit? & exponit cauſas odiique viæque;*
*Quidque velit quod vellet, erat, nè regia Cadmi*
*Staret, & in facinus traherent Athamanta furores.*
*Imperium, promiſſa, preces, confundit in unum,*
*Sollicitátque deas. Sic hæc Iunone loquutâ,*
*Tiſiphone canos, ut erat turbata, capillos*
*Movit, &* [n] *obſtantes dejecit ab ore colubros.*
*Atque ità, Non longis opus eſt ambagibus, inquit,*
*Facta puta, quæcunque jubes: inamabile regnum*
*Deſere, téque refer cœli melioris ad auras.*
*Læta redit Iuno, quam cælum intrare parantem*
*Roratis* [o] *luſtravit aquis* [p] *Thaumantias* [q] *Iris.*
*Nec mora:* [r] *Tiſiphone madefactam ſanguine ſumit*
*Importuna facem, fluidóque cruore rubentem*
*Induitur pallam, tortóque incingitur angue;*
*Egrediturq́ue domo. Luctus comitatur euntem,*
*Et Pavor, & Terror, trepidóque Inſania vultu.*
*Limine conſtiterat: poſtes tremuiſſe feruntur*

g Quæ nos ad Senecæ Thyeſten 152. Sed hæc pueris nota. h Quæ ſingulorum fuerint delicta, quæ ſupplicia vide quæ nos olim ad Senecæ traged. quæ ad Virgil. 6. Æneid. videndi Mythologi, Platonis Phædon. ad illum Marſ. Ficini argumentum, Macrobius in Somnii Scipionis l. 1. c. 10. Vulturem jecur immortale tondentem exponens tormenta malæ conſcientiæ viſcera interiora rimantis, &c. Lucretius item 3. l. & ipſe fons Homer. Odyſſ. λ. Luciani Necyomantia. Ioannes Tzetzes Chiliad. 273. l. 9. i Rota ſc. indeſinenter actus. quâ expreſſione nihil argutius atque ingenioſius dici poſſe aiunt. Ego tamen æquari aut etiam ſuperari arbitror ab illo quod ſeq. v. 508. Tum face jactatâ per eundem ſæpius orbem Conſequitur motis velociter ignibus ignes. k De Iunonis odio in filias Danai qui filius Beli, Epiſtola Hypermneſtræ ad Lynceum. l Memor ſe ab illâ interpellatam ad adulterium. m Qui cum uxore ſuâ Ino me ſprevit. n Alii, extantes. o Purgavit pollutam deſcenſu ad inferos & furiarum aſpectu. p Thaumantis. i.e. admirationis filia, cujus ſc. origo mortalibus miraculo fit. Plato in Theæteto. Plutarch. 3. l. de placitis philoſophor. 5. q Ab εἴρω, ſignif. ἀγγέλλω. Plato in Theæteto. Ariſtot. 3. lib. Meteor. cap. 3 & 4. Iul. Scal. exercit. 80. r Ornatum adverte & comitatum harpy- Dearum. vide Virgil. Alecto 7. Æn.





[ſ] *Æolii, pallórque fores infecit acernas;*
*Sólque locum fugit. monſtris exterrita conjux;*
*Territus eſt Athamas, tectóque exire parabant.*
*Obſtitit infelix, aditúmque obſedit Erinnys,*
*Nexáque vipereis diſtendens brachia nodis*
*Cæſariem excuſſit. motæ ſonuêre colubræ,*
*Parſque jacent humeris, pars circum pectora lapſæ*
*Sibila dant, ſaniémque vomunt, linguiſque coruſcant:*
*Indè duos mediis abrupit crinibus angues,*
*Peſtiferâque manu raptos immiſit. At illi*
*Inoóſque ſinus Athamanteóſque pererrant,*
*Inſpirántque* [t] *graves animos, nec vulnera membris*
*Ulla ferunt:* [u] mens eſt, quæ diros ſentiat ictus.
[x] *Attulerat ſecum liquidi quoq́ue monſtra veneni,*
*Oris Cerberei ſpumas, & virus, Echidnæ,*
*Erroreſque vagos, cæcæque oblivia mentis,*
*Et ſcelus, & lacrymas, rabiémque, & cædis amorem,*
*Omnia trita ſimul: quæ ſanguine miſta recenti*
*Coxerat ære cavo viridi verſata cicutâ.*
*Dúmque pavent illi, vertit* [y] *furiale venenum*
*Pectus in amborum, præcordiáque intima movit.*
[z] *Tum face jactatâ per eundem ſæpius orbem,*
*Conſequitur motis velociter ignibus ignes.*
*Sic* [a] *victrix, juſſíque potens, ad* [b] *inania magni*
*Regna redit Ditis: ſumptúmque recingitur anguem.*
*Protinus Æolides mediâ* [c] *furibundus in aulâ*
*Clamat, iö comites, his retia tendite ſylvis,*
*Hîc modo cum geminâ viſa eſt mihi prole leæna,*
*Utque feræ ſequitur veſtigia conjugis amens,*
*Déque ſinu matris ridentem, & parva Learchum*
*Brachia tendentem rapit, & bis térque per auras*
*More rotat fundæ, rigidoque infantia ſaxo*
*Diſcutit ora ferox. tum denique concita mater,*
*Seu dolor hoc fecit, ſeu ſparſi cauſa veneni,*

ſ Athamantis Æoli fil. t Δυσφορέσυς γνώμης, λυσσώδεις φαντασίας. quibus intellectus deluſus aliud quàm quod videt, videre ſe opinatur. vide quæ nos ad Senecæ Hercul. furentem. verſ. 953. u *Quos diri conſcia facti Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit Occultum quatiente animo tortore flagellum.* Iuvenal. 13 Satur. x *Attulerat ſecum* Medea *Scythicis aconita oris. Illud Echidneæ memorant, &c.* 7. l. 410. v. y In furorem agens. z Rotavit facem ut continenter igneus circulus videretur. a Voti compos, Iunoniſque peracto mandato. b Vide quæ ad verſ. 441. ſupra. c Hoc eſt quod ſibi in exemplum ultionis ſumpſit Iuno, ſupra 423. ut furiali correptus errore & mente deluſus turbatâ, in aliud, quàm quod revera eſt, feratur, uti Pentheî mater & matertera, lib. præced.

*Exululat, ſparſiſque fugit malè ſana capillis.*
*Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis,*
[d] *Evoë Baccho ſonat. Bacchi ſub nomine Iuno*
*Riſit, & , Hos uſus præſtet tibi, dixit, alumnus.*
*Imminet æquoribus ſcopulus: pars ima cavatur*
*Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas;*
*Summa rigent, frontémque in apertum porrigit æquor.*
*Occupat hunc (vires inſania fecerat) Ino,*
[e] *Seque ſuper pontum nullo tardata timore*
*Mittit,* [f] *onúſque ſuum: percuſſa recanduit unda.*
*At Venus immeritæ* [g] *neptis miſerata labores,*
*Sic patruo blandita ſuo eſt: O numen aquarum,*
*Proxima cui cœlo ceſſit, Neptune, poteſtas,*
*Magna quidem poſco: ſed tu miſerere meorum,*
*Iactari quos cernis in Ionio immenſo,*
*Et diis adde tuis. Aliqua & mihi gratia ponto eſt:*
*Si tamen in medio quondam concreta profundo*
[h] *Spuma fui,* [i] *gratúmque manet mihi nomen ab illâ.*
*Annuit oranti Neptunus: & abſtulit illis*
*Quod mortale fuit, majeſtatémque verendam*
*Impoſuit;* [k] *noménque ſimul, faciemque novavit,*
*Leucotheáque deum cum matre Palæmona dixit.*

d Vox Bacchantium. ab acclamatione Iovis collaudantis. Bacchum in bello giganteo mutatum in Leonem. Phocius in excerptis ex Procli Chreſtomathia. ἤδετο δ' ὁ Ἰόβακχος ἐν ἑορταῖς καὶ θυσίαις Διονύσου, βεβαπτισμένος πολλῷ φρυάγματι.

e Ἀπὸ ταύτης αὐτὴν ἐς θάλασσαν Ἰνὼ ῥῖψαι, &c. Pauſanias in Atticis ſub fine. Ino cum Melicertâ, de ſaxo quam Moluridâ vocant ſe in mare præcipitavit, cùm natu majorem filium pater occidiſſet, ſeu furore impulſus, ſeu irâ incenſus quod Orchomenius famem immiſſam uxoris nefario facinore audiſſet; Phrixum, ſimul uxoris prioris filium ab illâ ſublatum. Namque, ut habet Nonnus 10. Dionyſiacon repudiata à Phrixo privigno quem amabat, ſterilitatem agris induxit. *f* Puer à Delphinis exceptus & in Corinthiorum Iſthmon expoſitus, in Deorum marinorum numerum referebatur, Palæmon dictus & Portumnus. Pauſanias in Atticis. Lucian. in dialogis marinis. Nonnus 10. Dionyſiac. *g* Inûs, cui mater erat Harmonie filia Veneris. *h* Venus enim ἀφροδίτη ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ ex ſpumâ maris, in quod Cœli à Saturno execti projiciebantur teſticuli: cùm ob ſeminis ſimilitudinem ſpumoſam, tum humoris ſalſi vim genitabilem. *i* Alii. *Gratúmque*, quod gratum minùs. *k* Quod uſu venit iis qui ex mortalibus in Deos relati ſunt. Ino dicta eſt Leucothea & Matuta, quæ eadem cum Aurorâ. Melicerta verò Palæmon & Portumnus, honoreſque illi certaminum Iſthmicorum habiti. Solent enim mortuis conſecratis nomina immutari, credo, ne quis putet homines eos fuiſſe, &c. Lactantius 1. l. de falſa religione.





## Inûs comites in ſaxa & aves. FAB. 14.

[l] *SIdoniæ comites, quantum valuêre, ſecutæ*
*Signa pedum primo vidêre noviſsima ſaxo:*
[m] *Nec dubium de morte ratæ, Cadmeïda palmis*
*Deplanxêre domum; ſciſsis cum veſte capillis.*
*Utque parum juſtæ, nimiumque in* [n] *pellice ſævæ*
[o] *Invidiam fecêre Deæ. convitia Iuno*
*Non tulit: & , Faciam vos ipſas maxima, dixit,*
[p] *Sævitiæ monumenta meæ. Res dicta ſecuta eſt.*
*Nam quæ præcipuè fuerat pia, Perſequar, inquit,*
*In freta reginam: ſaltúmque datura, moveri*
*Haud uſquam potuit, ſcopulóq; affixa cohæſit.*
*Altera, dum ſolito tentat plangore ferire*
*Pectora, tentatos ſentit riguiſſe lacertos.*
*Illa, manus ut fortè tetenderat in maris undas,*
*Saxea facta manus in eaſdem porrigit undas.*
*Hujus, ut arreptum laniabat vertice crinem,*
*Duratos ſubitò digitos in crine videres.*
*Quo quæq; in geſtu deprenſa eſt, hæſit in illo.*
*Pars volucres factæ; quæ nunc quoq; gurgite in illo*
*Æquora diſtringuunt ſummis* [q] *Cadmeides alis.*

l Thebanæ, quarum conjuges à Phœnicibus Cadmi ſociis oriundi. *m* Et pro certo credentes eam obiiſſe. *n* Semele, cujus gratiâ univerſam Bacchi familiam infeſta odiis & vindictâ proſequebatur. *o* Invidiam alicui facit, qui ejus ſævitiam in odium adducit. l.7 verſ. 608. *Ante ipſas, quò mors foret invidioſior aras.* Iuvenal 14. Sat. *Invidiam facerent nolenti ſurgere Nilo.* Lucan. 2. l.36 verſ. *p* Ne fortè in numina mutarentur, uti Ino quam lugebant, mutavit eas Iuno in ſaxa & aves. *q* Thebanæ iſtæ mulieres, à Cadmo authore. Al. *Mineides.*

## Cadmus & Harmonia in dracones. FAB. 15.

[r] *NEſcit Agenorides natam parvumq; nepotem*
*Æquoris eſſe Deos.* [ſ] *Luctu, ſerieque malorum*
*Victus & oſtentis, quæ plurima viderat, exit*
*Conditor urbe ſuâ, tanquam fortuna locorum*
*Non ſua ſe premeret: longiſq; erroribus actus*
*Contigit Illyricos profugâ cum conjuge fines.*
*Iamq; malis anniſq; graves dum prima retractant*

r Neſcit Cadmus Ino filiam & nepotem Melicertam in Deos maris fuiſſe relatos. *ſ* Cadmus domûs ſuæ perpetuis cladibus obrutus, quaſi cœlum illud & terram abominatus, cum uxore Harmione jam ſenex Thebis migravit in Illyrium. profugus ob Linum à ſe interfectum, ut alii; regno pulſus ab Amphione & Zetho, ut alii, ſe ad Encheleienſes contulit. à quibus, ex oraculi reſponſo, dux belli contra Illyrios electus, victor iis imperavit.

*Fata domûs, t releguntq́; ſuos ſermone labores:*
*Num u ſacer ille meâ trajectus cuſpide ſerpens,*
*Cadmus ait, fuerat tum, cum Sidone profectus*
*Vipereos ſparſi per humum nova ſemina dentes?*
*Quem ſi cura deûm tam x certâ vindicat irâ,*
*Ipſe, precor, y ſerpens in longam porrigat alvum.*
*Dixit: z & , ut ſerpens, in longam tenditur alvum,*
*Durataque cuti ſquamas increſcere ſentit,*
*Nigráque ceruleis variari corpora guttis:*
*In pectûſque cadit pronus, commiſtáque in unum*
*Paulatim tereti a tenuantur acumine crura.*
*Brachia jam reſtant: quæ reſtant brachia tendit;*
*Et lachrymis per adhuc humana fluentibus ora,*
*Accede, ô conjux, accede miſerrima, dixit;*
*Dúmque aliquid supereſt de me, me tange, manúmque*
*Accipe, dum manus eſt, dum nõ totum occupat anguis.*
*Ille quidem vult plura loqui: ſed lingua repentè*
*b In partes eſt fiſſa duas. nec verba volenti*
*Sufficiunt, quotiéſque aliquos parat edere queſtus,*
*Sibilat. hanc illi vocem natura reliquit.*
*Nuda manu feriens exclamat pectora conjux,*
*Cadme, mane, téque infelix his c exue monſtris:*
*Cadme, quid hoc? ubi pes? ubi ſunt humeriq́; manúſq́;?*
*Et color, & facies? & , dum loquor, omnia? Cur non*
*Me quoque cœleſtes in eundem vertitis anguem?*
*Dixerat: d ille ſuæ lambebat conjugis ora,*
*Inque ſinus caros, veluti cognoſceret, ibat,*
*Et dabat amplexus, aſſuetáque colla petebat.*
*Quiſquis adeſt (aderant comites) terretur: at illis*
*Lubrica perlucent criſtati colla draconis:*
*Et ſubitò duo ſunt, junctóque volumine ſerpunt;*

t Al. *repetuntque.* u Redi ad 32. verſ. 3. lib. x Conſtanti. continuâ. y Vide l. 3. verſ. 97. z Ὀϊς χθόνιος ἑρπων Ὤπασε πετρηέσσαν ἔχειν ὀφιώδεα μορφήν. Nonnus 46 Dionyſ. vel quia ibi in exilio latuit inops: vel quia homo politicus ſe ad mores & leges Barbarorum accomodavit: vel quia Illyriis pleriſque oculi ὀξυδερκεῖς καὶ δρακόντειοι, qui interimant videndo quos diutiùs irati viderint: ut qui pupulas in ſingulis oculis binas habeant: A. Gellius l. 9. c. 4. vel denique ab ipſo gentis nomine, cùm ἐγχέλυς anguillam ſonet, quæ *longa cognata colubræ.* a Al. *curvantur.* Ms. *ſinuantur.* b Linguæ ſerpentum propter celerem vibrationem geminas aut etiam tergeminas habere linguas videntur. c Aliis, *crue.* d Lege, *ſis*, quæ refert ex Plutarcho Pierius 14. l. hieroglyph. de angue puellæ amaſio.

*Donec*



*Donec in oppoſiti nemoris ſubiere latebras.*
*Nunc quoque nec fugiunt homines, nec vulnere lædunt:*
*Quidque priùs fuerint, placidi meminêre dracones.*

## Serpentes è ſanguine Meduſæ procreati.
## FAB. 16.

*SEd tamen ambobus verſæ ſolatia formæ*
*Magna e nepos dederat, quem debellata colebat*
*India, quem poſitis celebrabat Acheïa templis,*
*Solus f Abantiades ab origine cretus eâdem*
*Acriſius ſupereſt, qui mœnibus arceat urbis*
*Argolicæ, contráque deum ferat arma, genúſque*
*Non putat eſſe deûm (neq; enim Iovis eſſe putabat)*
*Perſea: quem g pluvio Danaë conceperat auro.*
*Mox tamen Acriſium (tanta eſt præſentia veri)*
*Tam violâſſe deum, quàm non agnôſſe nepotem*
*Pœnitet: impoſitus jam cœlo eſt h alter; & i alter*
*Viperei referens ſpolium memorabile monſtri,*
*Aëra carpebat tenerum ſtridentibus alis.*
*Cúmque ſuper Libycas victor pendêret arenas;*
*Gorgonei capitis guttæ cecidêre cruentæ:*
*Quas humus exceptas varios animavit in angues.*
*Vndè frequens illa eſt, infeſtáque terra colubris.*

e Bacchus, ex Semele, filia ſuâ. f Filius Abantis regis Argivorum, qui filius Beli, cui Iupiter genitor. g Acriſius oraculum conſuluerat, marémne pareret uxor, an fœminam. reſpondit oraculum, nullum ſe habiturum filium; nepotem aliquando è filia, à quo ipſe occideretur. Danaen itaque filiam cum nutrice incluſit thalamo aheneo ſubterraneo in ſpecu. cui ſe immiſit Iupiter in aureum imbrem converſus, fucumque fecit mulieri. epimythium dabit, Hor. 3. l. Ode 16 & Paul. Silent. Antholog. l. 7. χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν, &c. h Bacchus. i Perſeus, qui à Polydecte rege Seriphi (ad quem arca, in quâ ipſe cum matre incluſus fuerat, appulit) ad debellandas Gorgonas, petendumque Meduſæ ex iis natu maximæ caput, miſſus, accepit à Mercurio talaria & harpen, à Plutone galeam, à Pallade ægida & ſpeculum; victor reverſus dum Meduſæ caput per cœlum volans Africum portaret, guttæ Gorgonei capitis deciduæ in ſerpentes mutatæ ſunt. Cauſam naturalem & hiſtoricam ad fabulam convertit. tranſtulit poëta locum hunc ex Apollonii 4. Argonaut. Εὖτε γὰρ ἰσόθεος Λιβύην ὑπερέπτατο Περσεὺς, &c. vide quæ nos ad Lucanum l. 9. verſ. 619 & deinceps. Sed Vide Clariſſ. Baconi Vet. ſap. de Perſeo ſive bello. interpretantis Perſeo, id eſt, ad bellum probè inſtructo opus eſſe celeri expeditione, occultis conſiliis, providentia, &c. v. Appollodorum l. 2. & allegoricè expoſitam ab Iſ. Tzetze, ſub initio Lycophr. Caſſandræ.

Atlas

## Atlas in Montem. FAB. 17.

*INdè per immenſum ventis diſcordibus actus,*
*Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquoſæ*
*Fertur: & ex alto ſeductas æthere longè*
*Deſpectat terras, totúmque ſupervolat orbem.*
*Ter gelidas arctos, ter Cancri brachia vidit:*
*Sæpe ſub occaſus, ſæpe eſt ablatus in ortus.*
*Iámque cadente die, veritus ſe credere nocti,*
*Conſtitit Heſperio, regnis Atlantis, in orbe,*
*Exiguámque petit requiem: dum Lucifer* [k] *ignes*
*Evocet Auroræ, curſuſque Aurora, diurnos.*
*Hic hominum cunctis ingenti corpore præſtans*
[l] *Iapetionides Atlas fuit: Ultima tellus*
*Rege ſub hoc, & pontus erat, qui ſolis anhelis*
*Æquora ſubdit equis, & feſſos excipit axes.*
*Mille greges illi, totidémque armenta per herbas*
*Errabant: & humum vicinia nulla premebat.*
*Arboreæ frondes auro radiante nitentes,*
*Ex auro ramos, ex auro* [m] *poma ferebant.*
*Hoſpes, ait Perſeus illi, ſeu gloria tangit*
*Te generis magni, generis mihi Iuppiter autor:*
*Sive es mirator rerum; mirabere noſtras.*
*Hoſpitium, requiémque peto. Memor ille vetuſtæ*
*Sortis erat. dederat* [n] *Themis hanc Parnaſia ſortem:*
*Tempus, Atla, veniet,* [o] *tua quo ſpoliabitur auro*
*Arbor, & hunc prædæ titulum Iove natus habebit.*
*Id metuens, ſolidis pomaria clauſerat Atlas*
*Mœnibus, & vaſto dederat ſervanda* [p] *draconi,*
*Arcebátque ſuis externos finibus omnes.*
*Huic quoque, Vade procul, né longè gloria rerum,*
*Quas mentiris, ait, longè tibi Iuppiter abſit.*

k Lumina, lucem. l Atlas Iapeti filius fuit, frater Promethei, ut alii, Heſperi: rex Mauritaniæ ad Oceanũ occiduum qui ab illo Atlanticus dictus. m Aurea hæc mala alii putant fuiſſe citria vel Medica. Dalecampius, ad 3. l. Athenæi c. 7. Alii, oves corporis magni & coloris ſubrutili, auream referentis nitelam. τῶ μήλῳ utrumque ſignificante. Pollux. Alii, ſtellas interpretantur quòd Aſtronomiæ peritus fuerit Atlas. Natal. Com. 7. l. 7. c. Aurifodinas alii. n Vide 321. v. 1. l. o Quod ab Hercule factum poſteà. l. 9. v. 190. p Cui Ladon nomen. Apollon. 4. l. Argonaut. Λάδων Εἰσέτι που χθιζὸν παγχρύσεα ῥύετο μῆλα Χώρῳ ἐν Ἀτλαντος, χθόνιος ὄφις. quem fluvium interpretantur volumine ſinuoſo circundantem hortos Heſp.

*Vimque*



*Vimque minis addit, manibúſque expellere tentat*
*Cunctantem, & placidis miſcentem fortia dictis.*
*Viribus inferior (Quis enim par eſſet Atlantis*
*Viribus?) At quoniam parvi tibi gratia noſtra eſt,*
*Accipe munus, ait. lævâque à parte Meduſæ*
*Ipſe retro verſus ſquallentia protulit ora.*
*Quantus erat, mons factus Atlas:* [q] *nam barba, comæq;*
*In ſylvas abeunt. juga ſunt humerique, manúſque,*
*Quod caput antè fuit, ſummo eſt in monte cacumen.*
*Oſſa lapis fiunt. tum partes altus in omnes*
*Crevit in immenſum, (ſic Dii ſtatuiſtis) &* [r] *omne*
*Cum tot ſideribus cœlum requievit in illo.*

q Virg. 4. Æn. *Atlantis cinctum aſſiduè cui nubibus atris Piniferum caput, & vento pulſantur & imbri: Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.* & quæ nos ibi. r Propter Aſtronomiæ ſcientiam, ſphærámque ab illo inventam fingitur Atlas cœlum ſuſtinere. Diodor. 4. l. ſub initio addit, illum cùm in altiſſimum montem ad aſtrorum curſus obſervandos aſcendiſſet, ſubito à ventis abreptum. Idem ref. Vives ad 1. c. 18. l. Auguſt. de civ. Dei. Sed vide Ariſtot. 2. de Cœlo. & Tzetzen. 1. hiſt. l. 5. Macrob. 2. l. Quando ſiderum motus, aut ratio cœpta eſt genethliaca ſciri? non poſt Theulin Ægyptium, aut poſt Atlantem (ut quidem ferunt) geſtatorem, bajulum, tibicinem illum ac deſtinam cœli? Arnobius lib. 2.

## Andromeda à Perſeo liberata, & Virgæ in Coralia. FAB. 18.

*CLauſerat* [s] *Hippotades æterno carcere ventos:*
*Admonitórque operum cœlo clariſſimus alto*
[t] *Lucifer ortus erat. Pennis ligat ille reſumptis*
*Parte ab utráque pedes,* [u] *telóque accingitur unco,*
*Et liquidum motis talaribus aëra findit.*
*Gentibus innumeris circúmque infráque relictis,*
[x] *Æthiopum populos,* [x] *Cepheáque conſpicit arva.*

ſ Æolus, Iovis ex Aceſta filius, Hippotæ nepos. Αἴολον Ἱπποτάδαο παῖδα κλυτόν. Apollon. 4. lib. qui quum naturam ventorum adverteret, atque ex ortu & occaſu ſiderum, ſtatiſque anni temporibus, ut & regionum mariſque æſtûs reciproci ventos prædiceret, ταμίαν τῶν ἀνέμων καὶ βασιλέα vocarunt ac crediderunt. inquit Strabo 2. & 6. l. Virg. 1. Æneid. t Venti autem ponunt plerunque Sole oriente, & *Spes vitæ cum Sole redit.* Iuvenal. 12. Sat. u Harpe. x Quibus imperavit Cepheus, cujus uxor-

*Illîc*

*Illic immeritam y maternæ pendere linguæ*
*Andromedam pœnas injuſtus juſſerat Ammon.*
*Quam ſimul ad duras religatam brachia cautes*
*Vidit z Abantiades niſi quod levis aura capillos*
*Moverat, & tepido manabant lumina fletu,*
*Marmoreum ratus eſſet opus. trahit inſcius ignes,*
*Et ſtupet: & viſæ correptus imagine formæ,*
*Penè ſuas quatere eſt oblitus in aëre pennas.*
*Vt ſtetit, O, dixit, non iſtis digna catenis,*
*Sed quibus inter ſe cupide junguntur amantes,*
*Pande requirenti nomen terræque tuúmque,*
*Et cur vincla geras.* a *Primo ſilet illa,* b *nec audet*
*Appellare virum virgo; manibuſque modeſtos*
*Celâſſet vultus, ſi non religata fuiſſet.*
*Lumina, quod potuit, lacrymis implevit obortis.*
*Sæpius inſtanti, ſua nè delicta fateri*
*Nolle videretur, nomen terræque ſuúmque,*
*Quantáque maternæ fuerit fiducia formæ,*
*Indicat: &, nondum memoratis omnibus, unda*
*Inſonuit. veniénſque immenſo* c *bellua ponto*
*Imminet, & latum ſub pectore poſſidet æquor.*
*Conclamat virgo: genitor lugubris, & unà*
*Mater adeſt, ambo miſeri, ſed juſtiùs illa;*
*Nec ſecum auxilium, ſed dignos tempore fletus,*
*Plangorémque ferunt, vinctóque in corpore adhærent.*
*Tam ſic hoſpes ait. Lacrymarum longa manere*
*Tempora vos poterunt; ad opem brevis hora ferenda eſt.*

y-- Caſſiope, cum ſe Nereidas formâ præſtare gloriaretur, arrogantiæ pœnas dedit in unicâ filiâ Andromedâ; quam ſaxo alligatam exponi, à ceto devorandam exegit Neptunus, ex reſponſo utcunque duro oraculi Iovis Ammonis. de quo vide quę nos ad 9. l. Lucani 512. v. z Perſeus Abantis pronepos. Acriſius enim Perſei avus filius erat Abantis. a Al. primò ſtupet illa. Cioſ. codd. & Ms. alter è noſtris. b Elegantiſſimè picturam hanc expreſſit Lucianus περὶ οἴκου. Ὁ Περσεὺς τὸ κῆτος φονεύει καὶ τὴν Ἀνδρομέδαν καθαιρεῖ. mox, ἐν βραχεῖ γὰρ πολλὰ ὁ τεχνίτης ἐμιμήσατο αἰδῶ παρθένου καὶ φόβον, &c virginis, inquit, verecundiam expreſſit artifex & metum. ſpectat enim pugnam deſuper ex rupe, & adoleſcentis audaciam amatoriam, & belluæ viſum ἀπρόσμαχον. Argumentum citat ex Herodoto in Polymnia. Sed & vide Perſea Philoſtrati. Iconum lib. 1. & Pauſaniam in Corinthiacis. c Belluæ hujus oſſa Romam ex oppido Iudææ Ioppe allata oſtendit M. Scaurus, longitudine pedum 40. altitudine coſtarum Indicos elephantes excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali. Plin. l. 9. cap. 5. Solin c. 36.

Han



*Hanc ego ſi peterem Perſeus, Iove natus &* e *illâ*
*Quam clauſam implevit fœcundo Iuppiter auro,*
*Gorgonis anguicomæ Perſeus ſuperator, & alis*
*Ætherias auſus jactatis ire per auras,*
*Præferrer cunctis certé gener. Addere tantis*
*Dotibus & meritum (faveant modo numina) tento.*
*Vt mea ſit, ſervata meâ virtute, paciſcor.*
*Accipiunt legem, quis enim dubitaret?) & orant,*
*Promittúntque* f *ſuper regnum dotale parentes.*
*Ecce! velut navis præfixo concita roſtro*
*Sulcat aquas, juvenum ſudantibus acta lacertis:*
*Sic fera dimotis impulſu pectoris undis*
*Tantum aberat ſcopulis, quantum* g *Balearica torto*
*Funda poteſt plumbo medii tranſmittere cœli:*
*Cùm ſubitò juvenis pedibus tellure* h *repulsâ*
*Arduus in nubes abiit, ut in æquore ſummo*
*Vmbra viri viſa eſt, viſam fera ſævit in umbram.*
*Vtque* i *Iovis præpes,* k *vacuo cùm vidit in arvo*
l *Præbentem Phœbo liventia terga draconem,*
*Occupat adverſum: neu ſæva retorqueat ora,*
m *Squamigeris avidos figit cervicibus ungues:*
*Sic celeri miſſo præceps per inane volatu*
*Terga feræ preſſit, dextròque frementis in armo*
n *Inachides ferrum curvo tenus abdidit* o *hamo.*
p *Vulnere læſa gravi, modò ſe ſublimis in auras*
*Attollit, modò ſubdit aquis: modò more ferocis*
*Verſat apri, quem turba canum circumſona terret.*

e Φόρκου ἀμαύρωσεν γένος, &c. υἱὸς Δανάας, τὸν ἀπὸ χρυσοῦ φαμὲν αὐτορύτου ἔμμεναι Pindarus Pyth. 12. ode.

Ἀλλὰ πατὴρ Περσῆος Ὀλύμπιος ὄμβρος ἐρώτων Χρύσεος εἰς γάμον ἦλθε, καὶ οὐ φλογόεις παρακοίτης. Nonn. Dionyſ. 47.

f Inſuper.

g Balearium inſſ. incolas fuiſſe peritiſſimos funditores, & ſupra dictum & ſatis notum. h Sic l.2. *Fugit & impreſſa tellurem reppulit haſta.* v.788. vide quæ nos ibi. i Aquila, ales miniſter fulminis. quæ ſint aves præpetes, vide Agel 6.1.6.c. k Hinc inde patente, ubi nulla ſata, arbuſta nulla. l Apricantem ſe ad Solem. m Τοῖς ἀμφὶ νῶτ' ἐτάθη πάταγος Ἄρεος ἀντιπάλῳ, δυσχείρωμα δράκοντι. Sophocl. Antigone. ſupra verſ. 362. n Perſeus Argivus ab Inacho, priſco Argivorum rege. o Ad capulum uſque; cui recurvatur ferrum ad munimentum manus. p Audi Lucianum prælii hujus victoriæque præconem, in lib. περὶ τοῦ οἴκου. Καὶ θηρίον μὲν ἔπεισι πεφρικὸς ταῖς ἀκάνθαις, καὶ δεδιττόμενον τῷ χάσματι. Καὶ ὁ Περσεὺς δὲ τῇ λαιᾷ μὲν προδείκνυσι τὴν Γόργονα· τῇ δεξιᾷ δὲ καθικνεῖται τῷ ξίφει. Καὶ τὸ μὲν, ὅσον τοῦ κήτους εἶδε τὴν Μέδουσαν ἤδη λίθος ἐστὶ, τὸ δὲ ὅσον ἔμψυχον μένει, τῇ ἅρπῃ κόπτεται.

Ille

Ille avidos morſus velocibus effugit alis,
Quáq; patent, nunc terga cavis ſuper obſita conchis,
Nunc laterum coſtas, nunc quà tenuiſsima cauda
Deſinit in piſcem, falcato vulnerat enſe,
Bellua puniceo miſtos cum ſanguine fluctus
Ore vomit: maduêre graves aſpergine pennæ.
Nec [q] bibulis ultrà Perſeus talaribus auſus
Credere, conſpexit ſcopulum: qui vertice ſummo
Stantibus extat aquis, operitur ab æquore moto.
Nixus eo, rupiſque tenens juga prima ſiniſtrâ
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Litora cum plauſu clamor, ſuperáſque Deorum
Implevêre domos. gaudent, generúmque ſalutant,
Auxiliumque domûs, ſervatorémque fatentur
Caſsiope, Cepheúſque pater. [r] Reſoluta catenis
Incedit virgo, preciúmque & cauſa laboris.
Ipſe manus hauſtâ victrices abluit undâ,
[ſ] Anguiferúmque caput dura nè lædat arenâ,
Mollit humum foliis, nataſque ſub æquore virgas
Sternit, & imponit [t] Phorcynidos ora Meduſa.
Virga recens, bibuláque etiam nunc viva medullâ
Vim rapuit monſtri, tactúque induruit hujus,
Percepitque [u] novum ramis & fronde [u] rigorem.
At pelagi Nymphæ factum mirabile tentant
Pluribus in virgis: & idem contingere gaudent.
[x] Semináque ex illis ut erant jactata per undas;
Nunc quoque coraliis eadem natura remanſit:
Duritiem tacto capiant ut ab aëre, quodque
Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquora ſaxum.

q Aſpergine madidis.

r Δεσμὰς Ἀνδρομέδης πέδησεις ἀνελύσατο Περσεὺς ἄξιον ἕδνον ἔχων. Nonnus 47 Dionyſ.

ſ Omnino deponendum erat Meduſæ caput Perſeo ſcopulum ſiniſtrâ tenenti belluam, dextra trajicienti.

t Phorci & Cetûs filiam. vide quæ nos ad 9. lib. Lucan. 629. v.

u Baccæ coralii ſub aquis candidæ & molles: exempta confeſtim durantur & rubeſcunt. Plin. 32. l. 2. c. ad eum Dalecampius.

x Σπέρματί τε ἐξ ἐκείνων ἀναζωπυροῦσιν ἐν τοῖς ὕδασι ῥίψασαι. Maximus Planudes in Græcâ ſuâ Ovidii Metamorphoſ. verſione.

Meduſæ



## Meduſæ crines in Serpentes.

## FAB. 19.

DIis tribus ille focos totidem de ceſpite ponit;
[y] Lævum Mercurio; dextrum tibi, bellica virgo;
Ara Iovis media eſt. mactatur vacca Minervæ;
Alipedi vitulus; [z] taurus tibi, ſumme deorum.
Protinus Andromeden, & tanti præmia facti
[a] Indotata [b] rapit: [c] tedas [d] Hymenæus, amórque
[e] Præcipiunt, [f] largis ſatiantur odoribus ignes;
Sertáque dependent tectis, [g] & ubíque lyraque
Tibiáque, & cantus, animi felicia læti
Argumenta ſonant, reſeratis aurea valvis
Atria tota patent, pulchróq; inſtructa paratu,
Cepheni proceres ineunt convivia regis.
Poſtquam epulis functi; generoſi munere Bacchi
[h] Diffudêre animos: cultúſque genúſque locorum
Quærit Abantiades. Quærenti protinus unus
Narrat Lyncides moréſque habitúmque virorum.
Quæ ſimul edocuit, Nunc, ô fortiſsime, dixit,
Fare precor, Perſeu, quantâ virtute, quibúſque
Artibus abſtuleris [i] crinita draconibus ora.
Narrat Abantiades; gelido ſub Atlante jacentem
Eſſe locum ſolidæ tutum munimine molis;

y Primus honoris locus medius proximus ſiniſter, inquit Lipſius 2. l. Electorum 2. c. Cur itaque aſſignatur Palladi locus ſuper Mercurium? à ratione victimæ quæ Palladi potior & propria. ut l. 12. 151. v. Auſon. 64. epigram. *Ærea bos ſteteram, mactata eſt vacca Minervæ.*

z Iovi mactari taurum negat Servius ad 3. Æneid. & Macrob. Saturn. 3. cap. 10. Aſſerit Xenophon Cyropæd. & Iulianus ad Libanium. vide quæ nos ad Senecæ Medeam 60. verſ. & Hercul. furent. verſ. 299. a Virginem ſine dote, neglecto ſcilicet regno, quod *promiſere ſuper dotale parentes.* ſupra verſ. 705. Al. in dotem, id eſt, dotis nomine dicta. Alii particulam *In* intenſivam eſſe volunt. b Alluſum fortè ad Rom. morem, ubi virgines è gremio matris rapi ſolitæ. in memoriam & omen raptarum Sabinarum, quod Romulo & ſuis feliciter ceſſit. c Repete quæ ad verſ. 60. hujus lib. d De Hymenæo. vide quæ nos ad Senec. Thebaid. verſ. 262. & Medeam 67. verſ. e Al. præcipitant. f De apparatu, ritibus, & feſtivitate celebri nuptiarum, vide quæ nos ad Lucanum l. 6. verſ. 254. & deinceps. & Alex. ab Alex. 2. l. 5. c. g Al. *citharaque lyraque.* h Lætitiæ dator Bacchus, illa verò diffundit dilatátque cor, triſtitia contrahit. i Meduſæ caput anguibus crinitum.

Cujus

НБ ОНУ імені І. І. Мечникова

*Cujus in introitu* k *geminas habitaſſe ſorores*
*Phorcidas, unius ſortitas luminis uſum:*
*Id ſe ſolerti, furtim dum traditur aſtu,*
*Suppoſitâ cepiſſe manu; pérque abdita longé,*
*Deviáque & ſylvis horrentia ſaxa fragoſis*
*Gorgoneas tetigiſſe domos, paſſimque per agros,*
*Pérque vias vidiſſe hominum ſimulacra ferarúmque*
*In ſilicem ex ipſis viſa converſa Meduſâ.*
*Se tamen horrendæ, clypei quem læva gerebat*
*Ære repercuſſo, formam aſpexiſſe Meduſæ,*
*Dúmq; gravis ſomnus colubros, ipſámq; tenebat,*
*Eripuiſſe caput collo, penníſque fugacem*
*Pegaſon,* l *& fratrem, matris de ſanguine natos.*
*Addidit & longi non falſa pericula curſûs;*
*Quæ freta, quas terras ſub ſe vidiſſet ab alto,*
*Et quæ jectatis tetigiſſet ſidera pennis.*
*Ante expectatum tacuit. tamen,* m *excipit unus*
*Ex numero procerum, quærens,* n *cur una ſororum*
*Geſſerit alternis immiſtos crinibus angues.*
*Hoſpes, ait, quoniam ſcitaris digna relatu;*
*Accipe quæſiti cauſam:* o *Clariſſima formâ,*

k Γραίας. Pephredo & Ervo. Zenodotus addit tertiam Dino. filias item Cephei. ſorores. Gorgonis. his unicus erat oculus, unus dens, quibus per vices utebantur ſorores. hos intercepit Perſeus, atque his inſtructus ad Gorgonas avolavit, Meduſam dormientem offendit, eique collum amputavit. lege quæ Iſ. Tzetzes ad Lycophr. ibi. λαμπτηρο κλέπτης τριπλανοῦς ποδηγίας, &c. & Eraſmi adag. *Orci galea*, & Luciani Dialog. Tritonis & Nereidum in dial. marinis Apollodor. 2. 1. l Χρυσάορα μὲν ἄνθρωπον, ἵππον δὲ Πήγασον. Tzetzes dicto loco, m Ὑπολαμβάνει. ἀπαμειβόμενος προσέφη. *Tum ſic excepit regia Iuno.* Virg. 4. Æneid. n Cur Meduſa ſola Gorgonum geſſerit altera. o Pulcherrimam fœminarum fuiſſe Meduſam ferunt. εὐπάραον vocat Pindarus od. 12. Pyth. illius itaque amore captos obſtupuiſſe. Narrant Diodorus lib. 4, & Pauſanias 2. Meduſam reginam fuiſſe gentis bellicoſæ juxta Tritonidem paludem, & noctu per inſidias à Perſeo oppreſſam, mortuæ pulchritudinem admiratum Perſeum præcidiſſe caput, & ut ſpectaculo eſſet, in Græciam deportaſſe. Pauſan. tamen ibidem refert Proclum Carthaginienſem literis mandaſſe, beſtiæ hoc genus eſſe. quod & Athenæus lib. 5. cap. 19. tradit eſſe ζῶον κάτω βλέπον, ex eo genere quæ in Africâ ſunt ἀπολιθώσεως ἀνθρώποις αἰτία. quem lege, & Plin. l. 8. c. 21. & Ælian. de animal. lib. 17. cap. Palæphatus lib. 1. narrat Phorcyn regem Cyreneorum feciſſe ſtatuam auream Minervæ, quam Cyrenei Gorgonem vocabant. virum bonum hujus cuſtodem & vigilem intercepiſſe navi prædatoria è tribus Phorcei filiabus Meduſam, quia negavit ſe oſtenſuram ubi eſſet illa ſtatua interfeciſſe, &c. Iſ. Tzetzes adfert mythologiam ſub initio comment. in Lycophr.

*Multo-*



*Multorùmque fuit ſpes invidioſa procorum*
*Illa, nec in totâ conſpectior ulla capillis*
*Pars fuit; inveni, qui ſe vidiſſe referrent.*
*Hanc pelagi rector templo vitiâſſe Minervæ*
*Dicitur: averſa eſt, & caſtos ægide vultus*
*Nata Iovis texit, neve hoc impunè fuiſſet,*
*Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydros.*
*Nunc quoque, ut attonitos formidine terreat hoſtes,*
*Pectore in adverſo, quos fecit, ſuſtinet angues.*

Περσεὺς ὁ ἥλιός ἐστι, Ἀθηνᾶ δὲ, ὁ ἀὴρ, &c. aliam Fulgentius ſub exitu lib. 1 Natalis Comes aliam l. 7. cap. 11 & 12 & 18. Noſter fabuloſè detorquet ad offenſæ Minervæ vindictam. Sed finis ſit.

LIBER

# LIBER V.

## Caput Gorgonis homines in ſaxa conver-tens. FAB. I.

DVmque ea [a] Cephenûm medio [b] Danaëius heros
Agmine commemorat; fremitu regalia turba
Atria complentur: nec, [c] conjugialia feſta
Qui canat, eſt clamor; ſed qui fera nunciet [d] arma.
Inque repentinos convivia verſa tumultus.
[e] Aſſimilare freto poſſis; quod ſæva quietum
Ventorum rabies motis exaſperat undis.
Primus in his [f] Phineus belli temerarius autor
Fraxineam quatiens æratæ cuſpidis haſtam;
En, ait, en adſum præreptæ conjugis ultor.
Nec mihi te pennæ, nec [g] falſum verſus in aurum
Iuppiter eripiet, Conanti mittere, Cepheus,
Quid facis? exclamat: Quæ te, germane, furentem
Mens agit in facinus? meritiſne hæc gratia tantis
Redditur? hac vitam ſervatam dote rependis?
Quam tibi non Perſeus, verum ſi quæris, ademit, (mon,
[h] Sed grave [i] Nereïdum numen, ſed [k] corniger Am-

a Procerum Æthiopicorum, qui ad celebritatem nuptialem convenerant. lib. præced. 760. verſ. *Cepheni proceres ineunt convivia regis.* b Perſeus Danaës filius. c Alii, *connubialia.* quibus non placet *conjugialia.* quod tamen pro conjugalia admitti contendit Turnebus. l. 13. Adverſ. cap. 21. Quin & 6. Metam. 536. verſ. *Nec mea virginitas, nec conjugialia jura.* d *Vino & lucernis Medus acinaces Immane quantum diſcrepat!* Horatius lib. 1. ode 27. e Κινήθη δ' ἀγορὴ ὡς κύματα πολλὰ θαλάσσης Πόντου Ἰκαρίοιο. Hom. Il. β. f Frater hic Cephei; alter ab illo qui oculis mulctatus Argonautas hoſpitio excepit. huic autem diſponſata fuerat Andromeda antequam ceto exponeretur. g Quo mentiris te ſatum. vel, fallax, quo diſſimulatus Iupiter fucum fecit virgini Danaē. h Disjunctivæ particulæ repetitionem & vim conſiderat Quintilianus in hoc exemplo, quod profert l. 9. Inſtitut. Rhetor. c. 3. i Quæ indignatæ arrogantiam Caſſiopes, quæ ſe marinis hiſce nymphis præferre auſa eſt, precibus à Neptuno impetraverunt, ut immitteretur cetus qui Cephenorum agros popularetur. Conſultus igitur Iupiter Ammon de ratione amovendi mali, reſpondit, placari non poſſe Nereidum iram niſi expoſita Ceto Caſſiopes prole. k Vide quæ notavi ad Lucanum l. 9. verſ. 512. & ſeq.

Se



Sed quæ [l] viſceribus veniebat bellua ponti
Exaturanda [l] meis. Illo tibi tempore rapta eſt,
Quo peritura fuit. niſi ſi crudelis id ipſum
Exigis ut pereat, luctúque levabere noſtro.
Scilicet haud ſatis eſt, quòd te ſpectante revincta eſt,
Et nullum quòd opem patruus, ſponſuſve tuliſti;
Inſuper à quoquam quòd ſit ſervata dolebis?
[m] Præmiáque eripies? Quæ, ſi tibi magna videntur,
Ex illis ſcopulis, ubi erant affixa, petiſſes:
Nunc ſine qui petiit, per quem hæc non orba ſenectus,
Ferre, quod & meritis, & voce eſt pactus; eúmque
Non tibi, ſed certæ prælatum intellige morti.
Ille nihil contrà: ſed & hunc, & Perſea vultu
Alterno ſpectans; petat hunc ignorat, an illum;
Cunctatuſque brevi contortam viribus haſtam,
Quantas ira dabat, [n] nequicquam in Perſea miſit.
Vt ſtetit illa toro, ſtratis tum denique Perſeus
Exiliit, telóque ferox inimica remiſſo
Pectora rupiſſet, niſi poſt [o] altaria Phineus
Iſſet: & (indignum!) ſcelerato profuit ara.
Fronte tamen Rhœti non irrita cuſpis adhæſit:
Qui poſtquam cecidit, ferrúmque ex oſſe revulſum eſt,
[p] Calcitrat, & poſitas aſpergit ſanguine menſas.
Tum verò indomitas ardeſcit vulgus in iras,
Teláque conjiciunt, & ſunt, qui Cephea dicant
Cum genero debere mori: ſed limine tecti
Exierat Cepheus, teſtatus júſque, fidémque,
[q] Hoſpitiíque Deos, ea ſe prohibente moveri.
[r] Bellica Pallas adeſt, & protegit ægide fratrem,
Dátque animos. Erat Indus Atys, quem flumine Gange

l Natâ, ſemine & ſanguine meo. Emphaticè. m Andromedam, & regnum dotale, utcunque hoc ... viſus fuerit Perſeus, v. 757. l. præced. *Protinus Andromeden, & tanti præmia facti Indotata rapit.* namque *præmia hæc ſcopulis affixa* autumat. n Neque enim deſtinatum attigit ſcopum: vel errore mittentis dextræ; vel levi declinatione Perſei ictum effugientis. o Nuptiis adhibitas aras & ſacra, advocatos Deos hinc liquet & ex tumultuariâ illâ altera in nuptiis Pirithoi pugnâ l. 12. v. 258. *Proximus ut ſteterat, ſpectans altaria vultu Fumida terribili, Cur non, ait, utimur iſtis?* p Ex more cadentium in acie & pugnâ, qui λὰξ aut ὀδὰξ apud poetas, terram ingratiis & indignanter ſalutant. 10. Æn. *Sternitur infelix Acron, & calcibus atram Tundit humum expirans.* noſter 12. l. v. 238. *mandidâ reſupinus arenâ Calcitrat.* q Τοὺς τῆς ξενίας ἐφόρους. Iovē maximè violati hoſpitii vindicem. Μνημοσύνης θυγατέρες Διὸς ξενίου σέβας αὔξουσα φιλίας τε γέρας βεβαίας. Athenæus 15. l. 16. c. r Opportunè. Fortitudini auxilio adeſt Prudentia, quæ *Alto conſilio fulcit, Vireſque ſecundas ſufficit.* Atq; hoc ſibi volunt poetæ, cum Deos introducunt auxiliares. Ambo autem Iovis filii.

 Edita

Edita [f] Limniace vitreis peperiſſe ſub undis
Creditur; egregius formâ, quam divite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis,
Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
Aureus: ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrhâ curvum crinale capillos.
Ille quidem jaculo quamvis diſtantia miſſo
Figere doctus erat, ſed tendere doctior arcus.
Tum quoque lenta manu flectentem cornua Perſeus
Stipite, qui mediâ poſitus fumabat in arâ,
Perculit, & [t] fractis confudit in oſſibus ora.
Hunc ubi fœdatos jactantem in ſanguine vultus
Aſſyrius vidit Lycabas junctiſſimus illi,
Et comes, & veri non diſſimulator amoris;
Poſtquam exhalantem ſub acerbo vulnere vitam
Deploravit Atyn; quos ille tetenderat arcus
Arripit: Et, [u] mecum tibi ſint certamina, dixit;
Nec longùm pueri fato lætabere, quò plus
Invidiæ, quàm laudis habes. Hæc omnia nondum
Dixerat, emicuit nervo penetrabile telum,
Vitatúmque tamen ſinuoſâ veſte pependit.
Vertit in hunc harpen madefectam cæde Meduſæ
Acriſioniades, adigitque in pectus: at ille
Iam moriens oculis ſub nocte [x] natantibus atrâ,
Circumſpexit Atyn, ſeque acclinavit ad illum,
Et tulit ad manes junctæ ſolatia mortis.
Ecce [y] Suënites genitus Methione Phorbas,
Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam,
Sanguine, quo latè tellus madefacta tepebat,
Conſiderant lapſi. ſurgentibus obſtitit enſis,
[z] Alterius coſtis jugulo Phorbantis adactus.
At non Actoriden Erithum, cui lata bipennis
Telum erat, admoto Perſeus petit enſe: ſed altis

ſ Nympha paluſtris, cui nomen ἀπὸ τῆς λίμνης. t Hypallage. Hoc enim voluit; confudit in ore fracta oſſa: ſui interpres l. 12. verſ. 250. & oſſa Non agnoſcendo confuſa reliquit in ore. l. 5. v. 292. diſcuſſiſque oſſibus oris. u Emphaticè, Me, viro. x Languore & tremulo horrore fluitantibus in morte. σίγα δ' ἐν νεκύεσσι· τὸ δ' σκότος ὄσε κελέῤῥει. Simonides. Fata vocant, conditque natantia lumina ſomnus. Euridice 4. Georgic. Virg.

y Alii Syenites. Syene urbs Ægypti ſub tropico Cancri jacet. Lucan. 6. Fe… Umbras nuſquam flectente Syene, in Solſtitio æſtivo. adverte autem quàm diſe[rtè] & confertò Atyn, Phorbanta, alios patronymicis ſuis diſtinguat, ne fortè h[i]ſtoriam confundant cognomines. z Amphimedontis.





[a] Extantem ſignis, multæque in pondere maſſæ
[b] Ingentem manibus tollit cratera duabus,
Infligítque viro, rutilum vomit ille cruorem:
[c] Et reſupinus humum moribundo vertice pulſat.
Inde [e] Semiramio Polydæmona ſanguine cretum,
Caucaſeumque Abarim, Sperchiſiadémque Lycetum,
Intonſúmque comas Helicen, Phlegyámq; Clytúmque,
Sternit, & extructos morientum calcat acervos.
Nec Phineus auſus concurrere comminus hoſti,
Intorquet jaculum: quod detulit error in Idam
[f] Expertem fruſtra belli, & neutra arma ſecutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea torvis,
Quandoquidem in partes, ait, abſtrahor, accipe Phineu,
Quem feciſti hoſtem, penſáque hoc vulnere vulnus.
Iámque remiſſurus tractum de corpore telum,
Sanguine defectos cecidit collapſus in artus.
Hîc quoque Cephenum [g] poſt regem primus Odites
Enſe jacet Clymeni; Protenora percutit Hypſeus;
Hypſea Lyncides. fuit & grandævus in illis
Emathion æqui cultor, [h] timidúſque Deorum:
Qui, quoniam prohibent anni bellare, [i] loquendo
Pugnat, & inceſſit, ſceleratáque devovet arma.
Huic Cromis amplexo tremulis altaria palmis
[k] Decutit enſe caput: quod protinus incidit aræ,
Atque ibi [l] ſemianimis verba execrantia linguâ
Edidit, & medios animam expiravit in ignes.
Hinc gemini fratres, Broteáſque & [m] cæſtibus Ammon

a Protuberantem & aſperum ſignis. Argentum vetus & ſtantem extra pocula caprum. Iuvenal. 1. Sat. b Θεώρηξις iſta, & furor meracus in prælia trudit inermes, arma miniſtrat, natiſque in uſum lætitiæ ſcyphis ad pugnas abuti cogit. 12. l. Forte fuit juxta ſignis exſtantibus aſper Antiquus crater, &c. Virg. 2. Georg. Et magno Nylæum Lapythis cratere minantem. c Vide 40. verſ. ſupra.

e De Semiramide, lib. priore verſ. 46. f Fruſtra abſtinentem à pugnâ, utpote neutrarum partium. Virg. aſpicit urbem Immunem tanti belli, atque impune quietam. 12. Æneid. g Proximè regem. h.e. regi dignitate & autoritate ſecundus. h Religioſè veneratus Deos. Primus in orbe Deos fecit timor. Petronius. i Linguâ ſtrenuus. k Al. Demetis. l De Orphei capite, l. 11. v. 53. flebile lingua Murmurat exanimis. m Cœſtuum pugna erat è pugillatus genere, ubi pugnis res agebatur, ſed armatis, tanquam ſi qui chirothecis, è corio bubulo, iiſque ferro aut plumbo adfixo gravibus armati inter ſe decertarent, quæ loris alligabantur brachiis ne exciderent. agona Virgilius, 4. Æneid. Iconas Hier. Mercurialis exhibet l. 2. de arte Gymnaſticâ c. 9. Et Manutius l. 1. de quæſitis per epiſtolam, 8. epiſt.

Invicti, [n] vinci ſi poſſent cæſtibus enſes,
Phineâ cecidêre manu. Cereriſque ſacerdos
Amphitus, albenti velatus tempora [o] vittâ.
Tu quoque Lampetide non hos adhibendus ad uſus,
Sed qui pacis opus cytharam cum voce moveres,
Iuſſus eras celebrare dapes feſtúmque canendo.
Quem procul aſtantem, plectrúmque imbelle tenentem
Pettalus irridens, [p] Stygiis cane cætera, dixit,
Manibus: & lævo mucronem tempore fixit.
Concidit, & digitis morientibus ille retentat
Fila lyræ: [q] caſúque fuit miſerabile carmen.
Non ſinit hunc impune ferox cecidiſſe Lycormas:
Raptáque de dextro robuſta [r] repagula poſte
Oſſibus illiſit mediæ cervicis: at ille
Procubuit terræ, mactati more juvenci.
Demere tentabat lævi quoque [r] robora poſtis
Cinypheus Palates: tentanti dextera fixa eſt
Cuſpide Marmaridæ Coriti, lignóque cohæſit.
Hærenti [s] latus hauſit Abas: nec corruit ille,
Sed retinente manu moriens è poſte pependit.
Sternitur & Melaneus Perſeïa caſtra ſecutus,
Et Naſamoniaci Dorilas ditiſſimus agri,
Dives agri Dorilas: quo non poſſederat alter
Latius, aut totidem tollebat farris acervos.
Hujus in obliquo miſſum ſtetit inguine ferrum,
(Lethifer ille locus) quem poſtquam vulneris autor
Singultantem animam, & verſantem lumina vidit
[t] Bactrius Halcyoneus, [u] hoc quod premis, inquit, habeto

[n] Si quid valeat contra retiarium ferula. Martial. epiſt. ad 2. lib.
[o] Faſciâ lineâ, quâ vinciebantur frontes ſacerdotum & victimarum. Adverte autem tumultuariæ pugnæ & rixæ ſuper mero miſerum furorem; qui nec affinitati, virtuti, ætati, formæ, integritati, innocentiæ, rebus ſacris, ipſis ſacerdotibus, quos vittæ, non Muſarum alumnis, quos infulæ & artis inſtrumenta ſanctos haberi jubent, non denique ditiſſimis agri parcit. [p] Τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ἐν ᾅδου τοῖς κάτω μυθήσομαι, Ajax Sophocleus. [q] Certè, ubi cecinit & cecidit. ut de Marſya Apuleius. [r] Obices, vectes. [s] E latere confoſſo ſanguinem elicuit. *Per tunicam ſqualentem auro latus hauſit apertum.* 10. Æn. [t] Βαρκεύς. Max. Planudes. [u] Sarcaſmus cujuſmodi ille Turni Eumedi inſultantis Æneid. 12. *En agros, & quam bello, Trojane petiſti, Heſperiam metire jacens.* aut Indi Sophiſtæ. Paulo poſt mortuus tantum obtinebis terræ, quantum ſufficit ad ſepulturam corporis tui. Εἰ δέ τις ὄλβον ἔχων μορφᾷ παραμεύσεται ἄλλων, θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη, ϗ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος. Pind. Nem. 11.

D



De tot agris terræ: corpúſque exangue reliquit.
Torquet in hunc haſtam calido de [x] vulnere raptam
Vltor [y] Abantiades: mediâ quæ nare recepta
Cervice exacta eſt: in partes eminet ambas.
[z] Dúmque manum fortuna juvat; Clytiúmque Clanimque
Matre ſatos unâ, diverſo vulnere fudit.
Nam Clytii per utrúmque gravi vibrata lacerto
[a] Fraxinus acta femur; jaculum Clanis ore momordit.
Occidit & Celadon Mendeſius; occidit Aſtreus
Matre Palæſtinâ, [b] dubio genitore creatus.
Ethiónque ſagax quondam ventura videre,
Tunc [c] ave deceptus falſâ; regiſque Thoactes
Armiger, & [d] cæſo genitore infamis Agyrtes.
[e] Plus tamen exhauſto ſupereſt: namque omnibus unum
Opprimere eſt animus. Conjurata undique pugnant
[f] Agmina pro cauſſâ meritum impugnante fidemque.
Hâc pro parte, ſocer fruſtra pius, & nova conjux
Cum genitrice favent, ululatúque atria complent.
Sed ſonus armorum ſuperat, gemitúſque cadentum:
Pollutóſque ſimul multo Bellona penates
Sanguine perfundit, renovatáque prælia miſcet.
Circumeunt unum Phineus, & mille ſecuti
Phinea. tela volant [g] hybernâ grandine plura
Præter utrumque latus, præterque & lumen, & aures.
Applicat hic humeros ad magnæ ſaxa columnæ,
Tutáque terga gerens, adverſáque in agmina verſus
Suſtinet inſtantes. Inſtabat parte ſiniſtrâ
[h] Choanius Molpeus, dextrâ Nabathæus Ethemon.

[x] Doriſæ. [y] Perſeus Abantis pronepos. Acriſius enim Danaës pater erat filius Abantis. [z] *Succeſſus urgere ſuos, inſtare favori numinis.* de Cæſ. Lucan. 2. l. v. 148. [a] Haſta fraxinea. [b] Cùm pater ignoratur, aut is eſt quem habere non licet; filius dicitur *ſpurius* Iſidor. *Nothus* autem, qui ex concubinâ, non ex legitimâ uxore natus eſt, ſed patrem habet certum. [c] Augurio. Virg. 9. Æn. de Rhamnete augure cæſo, *Sed non augurio potuit depellere peſtem.* [d] Parricidio, fortè. [e] Putaris tot jam cæſis, ſatis exhauſtum eſſe ſanguinis, ſatis laboris; plus tamen ſupereſt. certatim enim omnes, unanimes, & qui conjurati in unum Perſea impetum faciunt, hunc undique petunt. [f] Cauſſam parteſque Phinei impugnantis meritum Perſei, & fidem regis omnes obnixè atque animo firmato promovent: juſtam cauſſam parteſque fidei vel duo vel nemo. utque fieri ſolet, major pars ſuperat meliorem. [g] *Quam multa grandine nimbi Culminibus crepitant.* 5. Æneid. *Tempeſtas telorum, ac ferreus ingruit imber.* [h] Chaonos in Arbiâ agnoſcit Plinius lib. 6. cap. 23. Quid autem hîc Chaonii?

 [i] Tigris

i Tigris ut, auditis diverſa valle duorum,
Extimulata fame, mugitibus armentorum,
Neſcit utrò potiùs ruat, & ruere ardet utrôque:
Sic dubius Perſeus, dextrâ lævâne feratur,
Molpea trajecti ſummovit vulnere cruris;
k Contentúſque fugâ eſt. neque enim dat tempus Ethemon,
Sed furit, & cupiens alto dare vulnera collo,
Non circumſpectis exactum viribus enſem
Fregit; in extremâ percuſſæ parte columnæ
Lamina diſſiluit, dominique in guttere fixa eſt.
Non tamen ad lethum cauſſas ſatis illa valentes
Plaga dedit. trepidum Perſeus, & inertia fruſtra
Brachia tendentem l Cyllenide confodit harpe.
m Verùm, ubi virtutem turbæ ſuccumbere vidit,
Auxilium, Perſeus, quoniam ſic cogitis ipſi,
Dixit, n ab o hoſte petam: vultus avertite veſtros,
Si quis amicus adeſt; & Gorgonis extulit ora.
Quære alium, tua quem moveant miracula, dixit
Theſſalus. útque manu jaculum lethale parabat
Mittere, in hoc hæſit ſignum de marmore geſtu.
Proximus huic Ampix animi pleniſſima magni
Pectora Lyncidæ gladio petit: ínque petendo
Dextera diriguit, nec citrà mota, nec ultrà eſt.
At Nileus, qui ſe genitum p ſeptemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoque flumina ſeptem
Argento partim, partim cælaverat auro:
Aſpice ait, Perſeu, noſtræ primordia gentis;

i Vide Thyesten Senecæ. v. 705.
k Satis habet Perſeus fugâſſe Molpea.
l Quam acceperat à Mercurio, qui natus eſt in Cyllene monte Arcadiæ.
m Verùm ubi ſe numero obruit, advertit neque per ingruentem undique multitudinem, locum eſſe virtuti. Quatenus forti liceat declinare periculum, docebit Ariſtoteles lib. 3. Eth. ad Nicomachum cap. 6 & 7.
n Fas eſt & ab hoſte doceri. quidni & juvari? lege & utiliſſimum libellum Plutarchi, De capiendâ utilitate ex inimicis. o Meduſæ capite, quod hoſti ademerat. vide quæ ad 795. verſ. lib. 4. quibus adde quæ habet Palæphatus lib. 1. Perſeum ubi Gorgonem, id eſt, ſtatuam auream à filiabus Phorci abſtuliſſet, in partes eam plures diffregiſſe, capite ſervato integro. repoſuiſſe verò triremi ſuæ cui inde nomen Gorgonis indidit. hinc à cæteris inſulis pecunias exegiſſe: Seriphios inſulâ deſertâ, fugiſſe: Perſeum itaque, ubi mœnia & lapides tantùm in inveniſſet, aliis deinde inſulanis, quibus pecunias imperarat, dicere ſolitum: Videte ne, quemadmodum Seriphii, Gorgonis caput videntes, & vos etiam in lapides mutemini. p De Nili oſtiis, ejuſque incrementi cauſſis vide quæ nos ad Lucanum. l. 10. verſ. 200. & ſeq.





q Magna feres tacitas ſolatia mortis ad umbras
A tanto cecidiſſe viro. Pars ultima vocis
In medio ſuppreſſa ſono eſt. adapertáque velle
Ora loqui credas, nec ſunt ea pervia verbis.
Increpat hos, r vitióque animi, non viribus, inquit,
Gorgoneis torpetis, Eryx. incurrite mecum,
Et proſternite humi juvenem magica arma moventem.
Incurſurus erat: tenuit veſtigia tellus,
Immotúſque ſilex, armatáque manſit imago.
Hi tamen ſ ex merito pœnas ſubière. ſed unus
Miles erat Perſei: pro t quo dum pugnat, Aconteus
Gorgone u conſpectâ ſaxo concrevit oborto.
Quem ratus Aſtyages etiam dum vivere, longo
Enſe ferit: ſonuit tinnitibus enſis acutis.
Dum ſtupet Aſtyages, naturam traxit eandem,
Marmoreóque manet vultus mirantis in ore.
Nomina longa mora eſt mediâ de plebe virorum
Dicere. bis centum reſtabant corpora pugnæ:
Gorgone bis centum riguerunt corpora viſâ.
Pœnitet injuſti tunc denique Phinea belli.
Sed quid agit? ſimulacra videt diverſa figuris,
Agnoſcitque ſuos, & nomine quemque vocatum
Paſcit opem. credénſque parum, ſibi proxima tangit
Corpora: marmor erant. avertitur, atque ità ſupplex,
x Confeſſáſque manus, obliquáque brachia tendens,
Vincis, ait, Perſeu: remove tua monſtra: tuæque
Saxificos vultus, quæcunque ea, tolle Meduſæ,
Tolle precor. non nos odium, regnique cupido
Compulit ad bellum. Pro conjuge movimus arma:

q Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem, Æneæ magni dextra cadis. Æneas Lauſo 10. Æn. ſi quæ eſt ea gratia. & inf. lib. 12. verſ. 81.
r Ignavi & puſillanimi ceditis huic magico: quin fortiter contra itis? Lucianus more ſuo in lib. cui titulus Icones. Ἀλλ' ἦ τοιοῦτόν τι ἄρα ἔπαθον οἱ τῶν Γοργῶν ἰδόντες, οἷον ἐγὼ ἔναγχος ἔπαθον παγκάλων τινὰ γυναῖκα ἰδών· αὐτὸ γὰρ τοῦ μύθου ἐκεῖνο, μικροῦ δέω λίθος ἐξ ἀνθρώπου σοι γεγονέναι, πεπηγὼς ὑπὸ τοῦ θαύματος.
ſ Quia Phinei ſatellitium & malæ cauſſæ propugnatores. t Perſeo.
u Contra quàm monuerat Perſeus verſ. 179. ſupra. x Supplicis & peccaſſe ſe confitentis extentas manus. mox verſ. 235.

y Vtcunque Andromeden abducere meruiſti, quam virtute tuâ liberâſti, poſſum tamen ego cauſſam meam defendere tempore, ut quæ mihi priùs fuerit deſponſata.
z *Sine hanc animam, & miſerere precantis.* Turnus 12. Æneid.

*y Cauſa fuit meritis melior tua; tempore noſtra.*
*Non ceßiſſe piget. z Nihil, ô fortißime, præter*
*Hanc animam concede mihi; tua cætera ſunto.*
*Talia dicenti, neque cum quem voce rogabat*
*a Reſpicere audenti, quod, ait, timidißime Phineu,*
*Et poſſum tribuiſſe, & magnum eſt munus inerti;*
*Pone metum, tribuam, nullo violabere ferro:*
*Quin etiam manſura dabo monumenta per ævum;*
*Inque domo ſoceri ſemper ſpectabere noſtri;*
*b Vt mea ſe ſponſi ſoletur imagine conjux.*
*Dixit, & in partem c Phorcynida tranſtulit illam,*
*Ad quam ſe trepido Phineus obverterat ore.*
*Tunc quoque conanti ſua flectere lumina cervix*
*Diriguit, ſaxóque oculorum induruit humor.*
*Sed tamen os timidum, vultúſque in marmore ſupplex,*
*Summiſſæque manus, faciéſque d obnoxia manſit.*

a Metuens contrà intueri Meduſæ caput, cujus vim ſaxificam in tot ſuis petrefactis viderat, potiùs quàm ob pudorem quo Perſeum ſuſpicere verecundabatur; ut volunt alii. *b* Ironicè. *c* Meduſæ caput. *d* Dejecta, velut hominis ſibi conſcii, ſubmiſsè culpam agnoſcentis veniamque precantis.

## Prœtus in ſaxum. FAB. 2.

e Argos.
*f* Vtcunque malè de ſe meriti, quem cum matre unâ incluſum arca mari expoſuiſſet. Neque enim placet, quòd quidam interpretantur, à Prœto fratre regno ſine cauſsâ pulſi.

*VIctor Abantiades e patrios cum conjuge muros*
*Intrat; & f immeriti vindex ultórque g parentis*
*Aggreditur h Prœtum. nam fratre per arma fugato*
*Acriſioneas Prœtus poſſederat arces.*
*Sed nec ope armorum, nec quam malè cœperat, arce*
*Torva colubriferi ſuperavit lumina monſtri.*

g Avi, Acriſii. *h* Filium Abantis, fratrem Acriſii.





## Polydectes in lapidem. FAB. 3.

*TE tamen, ô parvæ rector i Polydecta Seriphi,*
*Nec juvenis virtus per tot ſpectata labores,*
*Nec mala mollierant: ſed inexorabile durus*
*Exerces odium; nec iniqua finis in ira eſt.*
*Detrectas etiam laudem, fictámque Meduſæ*
*Arguis eſſe necem. dabimus tibi pignora veri.*
*k Parcite luminibus, Perſeus ait: oraque regis*
*Ore Meduſæo ſilicem ſine ſanguine fecit.*

i Arcam in quâ Danaë & Perſeus incluſi erant, cùm ad Seriphum inſ. appuliſſet, excepit Dictys, tradiditque fratri ſuo Polydecti. Hic, quo Danaë, quam amavit, potiretur, Perſeum jam juvenem amovit, amandatum adverſus Gorgonas, uti dictum ad 616. verſ. lib. 4. quum verò ab illa expeditione victorem reverſum contumelioſè excepiſſet, capitiſque vires e evâſſet quaſi ementitas, ab ejus conſpectu in ſaxum mutatus eſt; regno Seriphi ad Dictyn fratrem delato. Apollonii Scholiaſtes 4. lib. ad 1515 verſ. *k* Vt verſ. 179. ſupra; *Vultus avertite veſtros, Si quis amicus adeſt.*

## Muſæ in aves, & Pyrenei præcipitium. FAB. 4.

*HActenus l aurigenæ comitem Tritonia fratri*
*Se dedit: inde cavâ circumdata nube Seriphon*
*Deſerit, à dextrâ m Cythno Gyaróque relictis.*
*Quáque ſuper pontum via viſa brevißima Thebas*
*n Virgineumque Helicona petit: quo monte potita*
*Conſtitit, & doctas ſic eſt affata ſorores.*
*Fama novi fontis noſtras pervenit ad aures,*

*l* Quem genuit Iupiter in aureum converſus imbrem, & in Danaës gremium delapſus.
*m* Ita reſtituunt quidam, alii Syro, alii *Siphno*, quæ omnes ſunt è Cycladibus, in quibus nullus Cypro locus. Aldus excudit, *à dextra Cythno Scyroque relictis.* Planudes vertit, τὴν Σέριφον καταλέλοιπε, τήν τε κύθνον καὶ γύαρον δεξιᾶς ἀφεῖσα, ὅθεν συντομωτάτη ὁδὸς ἔδοξεν ὑπὲρ τὴν θάλασσαν ἰέναι, &c. *n* Virginibus Muſis ſacrum Bœotiæ montem.

*Dura* o *Meduſei quem* o *præpetis ungula rupit,*
*Is mihi cauſa viæ: volui mirabile factum*
*Cernere; vidi ipſum materno ſanguine naſci.*
*Excipit Vranie; Quacúmque eſt cauſa videndi*
*Has tibi, diva, domos, animo gratiſſima noſtro, eſt,*
*Vera tamen fama eſt: & Pegaſus hujus origo eſt*
*Fontis, & ad latices deduxit Pallada ſacros.*
*Quæ mirata diu factas pedis ictibus undas,*
*Sylvarum lucos circumſpicit* p *antiquarum,*
*Antráque, & innumeris diſtinctas floribus herbas,*
*Felicéſque vocat pariter* q *ſtudióque locòque*
r *Mæonidas. Quam ſic affata eſt una ſororum,*
*O, Niſi te virtus opera ad majora tuliſſet,*
*In partem ventura chori Tritonia noſtri,*
*Vera refers; meritóque probas artémque locúmque:*
*Et gratam ſortem,* s *tutæ modò ſimus, habemus.*
*Sed* (vetitum eſt adeò ſceleri nihil) *omnia terrent*
*Virgineas mentes, dirúſque ante ora Pyreneus*
*Vertitur: & nondum me totâ mente recepi.*
t *Daulia Threïcio Phocæáque milite rura*
*Ceperat ille ferox, injuſtáque regna tenebat.*
*Templa petebamus Parnaſſia; vidit euntes,*
*Noſtráque fallaci veneratus numina vultu,*
*Mæonides (agnôrat enim) conſiſtite, dixit,*
*Nec dubitate, precor, tecto* u *grave ſidus & imbrem*
*(Imber erat) vitare meo: Subiêre minores*
*Sæpe caſas ſuperi. Dictu, & tempore motæ,*

o Pegaſum ex Meduſæ ſanguine natum, equum alatum, ictu unguię elicuiſſe caballinum fontem in Helicone, unde equo nomen Πήγασος fonti ἱπποκρήνη inditum, nemini non auditum. p Spondæo in quintâ regione profertur Deæ oculos undequaque circumferentis proſpectus. q Studiíque locique. Cum aliis, cum Mss. noſtri. Ellipſi τȣ̃ ἕνεκα. r Crux Grammaticia fixa. à Mœoniâ, quam qui Bœotiæ partem eſſe dicunt, non probant. A Mœonide Homero. πρόληψιν hanc & ἀναχρονισμὸν neque Agellius aſſerere poterit, lib. 10. c. 16. neque Pontani Antonius. *Memnonidas* dici à Memnone patre neſcio quo, in hâc μυσογονία fateor me ἄμυσον; ut credam tandem, opus eſt viatico, quamvis Mss. mei habent *Memnonidas*. Lil. Gyraldus in Syntagm. de Muſis proximè rationem accedit à Myonia Phocidis urbe Myonidas dictas. Namque neque à μνέω dici, neque à Μνημοσύνη matre Mnemonidas, ἀνάλογον ſapit. ſ Vt enim fontium puritatem, nemorum amœnitates, ſylvarum ſolitudinem & receſſum amamus: ita ſecuritatis præſidia & pacis ocia Muſæ deſideramus. t Daulida, vel Dauliam, Phocidis opp. Pyreneus Thraciæ rex per vim occupârat. u Pluvias & tempeſtates concitatas à quorundam ſiderum ortu & occaſu, uti dictum ſupra de Hyadibus & aliis.

*Annui-*



*Annuimúſque viro,* x *primâſque intravimus ædes.*
*Deſierant imbres, victóque Aquilonibus Auſtro*
*Fuſca repurgato fugiebant nubila, cœlo:*
y *Impetus ire fuit. claudit ſua tecta Pyreneus,*
*Vímque parat, quam nos ſumptis effugimus alis.*
*Ipſe ſecuturo ſimilis ſtetit arduus arce,*
*Quáque via eſt vobis, erit & mihi, dixit, eâdem,*
*Séque jacit vecors è ſummo culmine turris:*
*Et cadit in vultus,* z *diſcuſſiſque oſſibus oris*
a *Tundit humum moriens ſcelerato ſanguine tinctam.*

x Veſtibulum, atria. Neque enim in penetralia corruptorum & veteratorum Muſis fas aut pudor introire permittit. y Animus diſcedendi cœptóque itinere pergendi fuit. z Supra verſ. 58. a Lib. 4. verſ. 40.

## Pieridum certamen cum Muſis. Illarum ſpeciminis argumentum: Dii à Typhoêo fugati, ſéque mutantes in varias formas. FAB. 5.

*MVſa loquebatur; pennæ ſonuêre per auras,*
*Vóxque* b *ſalutantum ramis veniebat ab altis:*
*Suſpicit, & linguæ quærit tam certa loquentes*
*Unde ſonent,* c *hominémque putat Iove nata locutum.*
*Ales erat: numeróque novem ſua fata querentes*
*Inſtiterant ramis* c *imitantes omnia picæ.*
*Miranti ſic orſa* d *Dea Dea: nuper & iſtæ*
*Auxerunt volucrum victæ certamine turbam.*
*Pierus has genuit* e *Pelleis dives in arvis:*
e *Peonis Euippe mater fuit; illa potentem*
f *Lucinam novies, novies paritura vocavit.*

b Exprimentium ſalutationis vocem χαῖρε, χαῖρε. Quis expedivit Pſittaco ſuum χαῖρε, Picaſque docuit verba noſtra conari. Perſius prolog. c De loquacitate & docilitate picarum, voces humanas & tubarum cantum imitantium, Plutarch. in lib. de animalium ſolertia, Plin. lib. 10. cap. 42. Oppianus. Martialis 14. l. apoph. 76. & quæ nos ibi. d Palladi Muſa. e Macedoniæ urbs Pella eſt; Pœonia regio, quæ & Emathia. f Gravidarum & parturientium Dea. *quia principium tu, Dea, lucis habes.* Ovid. Faſt. eadem Diana, Ειλίθυια, Περτυλλὶς, Iuno Lucina, Luna puerperii ſcil. præſes. novies ergo pepererat, & novem filias. Euippe, vel ut Mss. noſtri & alii, *Enippe* ali *Anippe*.



*g Intumuit*

*g Intumuit numero ſtolidarum turba ſororum,*
*Perque tot Æmonias, & per tot Achaïdas urbes*
*Huc venit, & [t] tali committit prœlia voce:*
*Deſinite indoctum vanâ dulcedine vulgus*
*Fallere: Nobiſcum, ſi qua eſt fiducia vobis,*
*Theſpiades certate Deæ: nec voce, nec arte*
*Vincemur; totidémque ſumus. Vel cedite victæ*
*h Fonte Meduſæo, & [i] Hyanteâ Aganippe;*
*Vel nos Emathiis ad Pæonas uſque nivoſos*
*Cedemus ſylvis: [k] dirimant certamina nymphæ.*
*Turpe quidem contendere erat; ſed cedere viſum*
*Turpius: [l] electæ jurant per flumina nymphæ;*
*Factáque de [m] vivo preſſêre ſedilia ſaxo.*
*Tunc [n] ſine ſorte prior, quæ ſe certare profeſſa eſt,*
*Bella canit ſuperûm, [o] falſóque in honore gigantes*
*Ponit, & extenuat magnorum facta Deorum,*
*Emiſſumque imâ de ſede [p] Typhœëa terræ*
*Cœlitibus feciſſe metum, cunctóſque dediſſe*
*Terga fugæ, donec feſſos Ægyptia tellus*
*Ceperit, & ſeptem diſcretus in oſtia Nilus.*
*Huc quoque terrigenam veniſſe Typhoëa narrat;*
*Et ſe mentitis ſuperos celâſſe figuris;*

g Ant. Liberalis ſab 9 ex Nicand. refert hanc fab. Ζεὺς Μνημοσύνῃ μιγεὶς ἐν Πιερίᾳ, &c. Iupiter ex Mnemoſyne in Pieria genuit muſas. Regnabat eo tempore in Æmathia Pierius indigena. illi novē erant filiæ, quæ Muſas in certamen provocare auſæ in Helicone. quando filiæ Pierii canebant, omnia ca-
ligine obſcurabantur, nihilque ad choream obtemperabat. At Muſarum can-
tu ſiſtebatur cœlum, aſtra, mare, flumina; & Helicon voluptate delinitus ad
cœlum uſque creſcebat: plura infra. *h* Hippocrene. 257. verſ. ſupra. *i* Bœo-
tiâ. Bœotos Hyantes antiquitus dixere. Plinius lib. 4. cap. 7. *k* Arbitrium
hujus certaminis ſit penes Nymphas, Naïadas credo, quia in ſeq. verſu jurant
per flumina, non Stygia, ut interpretes volunt. *l* Alluſum ad judicia Ro-
mana. *m* Nativo. *n* Non expectato ſortis decreto utra pars inciperet.
*o* Argumentum ſibi ſumit impietas, quo depreſſum eat Divinam gloriam.
*p* Innumeras eáſque varias de ingenti hoc Typhœo fabulas non admittunt
marginales hæ anguſtiæ. referendus itaque lector ad autores qui & bellum
hoc Diis illatum, Deorum tranſmutationes, Typhoëi pœnas & Mytholo-
gias ad plenum narrant. Videantur Pindarus 4. ode Olymp. & Pyt. … orum
ode 1. ὅστ' ἐν αἰνῷ ταρτάρῳ κεῖται θεῶν πολέμιος τυφὼς
ἑκατοντακέφαλος. & deinceps multa. Homerus hymno in Apollinem,
Heſiodi Theogn. Apollon. & comment. Ant. Liberalis fab. 47. Tzetzes in
Lycophronem. Tzetzes Chil. 8. 171. Strabo l. 5. & l. 16. Mela l. 1. c. 13.
Hyginus c. 196. Apollodorus l. 1. Nonnus 3. Dionyſ. vide quæ ad 45. v. l. 4.
de Venere in piſcem mutata ex Manilio. & Ovid. Faſt. 2. Natalis Comes l. 6.
c. 21 & 22. Sabinus. Eleganter denique & plene fabulam hanc canit Bar-
claius noſter l. 1. Argenidis ſuæ. Diſertè Clariſſ. Baconus & narrat & in-
terpretatur Typhonem ſive rebellem in Sapientia veterum.

*Duxque*



*Dúxque gregis, dixit, fit Iuppiter. [q] unde recurvis*
*Nunc quoque formatis Lybis eſt cum cornibus Ammon.*
*Delius in corvo, proles Semeleia capro,*
*Fele ſoror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,*
*Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.*
*Hactenus ad citharam vocalia moverat ora.*
*Poſcimur Aonides: ſed forſitan otia non ſunt,*
*Nec noſtris præbere vacat tibi cantibus aures.*
*Nè dubita, veſtrúmque mihi refer ordine carmen,*
*Pallas ait: nemoríſque levi conſedit in umbrâ.*
*Muſa refert:* Dedimus *ſummam certaminis [r] uni.*
*Surgit, & [s] immiſſos hederâ collecta capillos*
*Calliope querulas prætentat pollice chordas:*
*Atque hæc percuſſis ſubjungit carmina nervis.*

*q* Hinc Iupiter Ammon arietinâ formâ cultus, hinc filius ejus Bacchus cornutus, hinc *demens Ægyptus portenta colit crocodilon & Ibin, Porrum, cepe, canem, piſces & cercopithecos.* Iuvenal. 15.

Saturn. *r* Calliope, chori quaſi præcentrici; principi certè & προε-
φεστάτῃ.--- *s Tunc ſic neglectos hederâ redimita capillos Calliope que-
rulas prætentat pollice chordas.* 5. Faſtorum.

## Proſerpina à Plutone rapta, & Cyane in fontem. FAB. 6.

[t] P*Rima Ceres unco glebam dimovit aratro;*
*Prima dedit fruges, alimentaque [u] mitia terris;*
*Prima dedit [x] leges: Cereris ſunt omnia munus.*
*Illa canenda mihi eſt: utinam modò dicere poſſem*
*Carmina digna Deâ! certè eſt dea carmine digna.*
*[y] Vaſta giganteis injecta eſt inſula membris*

*t* Ἡ πρώτη ζεύξασα βοῶν &c. Orpheus in hymno Cereris.

*Prima Ceres ferro mortales vertere terram inſtituit* & quæ ſeq. Virg. 1.
Georg. Ovid. 4. Faſt. Barclaii Argenis. lib. 2. Metr. 1. *u* Pro glan-
dibus frumenta. *Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,* 1 Georg.
*x* Invento à Cerere (quam Iſin ſuam Ægyptii volunt. i. Lunam) frumento,
leges jam rogatæ de agrorum terminis, emptionibus, teſtamentis. unde
Θεσμοφόρος dicta. vide quæ nos ad 4. lib. Æneid. *Legiferæ Cereri.*
Diodor. 6. lib. *y* Impiæ Pieri filiæ geſta Typhoë carmine extulerant:
Muſa jam pœnas addit quas dedit ille Iovi ictus fulmine & ſubjectus Si-
ciliæ inſ.



*z Trina-*

[z] Trinacris,& magnis ſubjectum molibus urges
Ætherias auſum ſperare Typhoëa ſedes.
Nititur ille quidem,tentátque reſurgere ſæpe:
Dextra ſed Auſonio manus eſt ſubjecta Peloro;
Læva,Pachyne,tibi;Lilybæo crura premuntur;
Degravat Ætna caput:ſub quâ reſupinus arenas
Ejectat, [a] flammámque fero vomit ore Typhöeus.
Sæpe remoliri luctatur pondera terræ,
Oppidáque,& magnos devolvere corpore montes.
Indè tremit tellus,& [b] rex pavet ipſe ſilentum,
Nè pateat,latóque ſolum retegatur hiatu,
Immiſſúſque dies trepidantes terreat umbras.
Hanc metuens cladem,tenebroſâ ſede tyrannus
Exierat: currúque atrorum evectus equorum,
Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.
Poſtquam exploratum ſatis eſt loca nulla labare,
[c] Depoſitúſque metus,videt hunc Erycina vagantem
[d] Monte ſuo reſidens:natúmque amplexa volucrem,
[e] Arma manúſque meæ,mea,nate,potentia,dixit,
Illa,quibus ſuperas omnes,cape tela,Cupido,
Inque [f] Dei pectus celeres molire ſagittas,
[g] Cui triplicis ceſſit fortuna noviſſima regni.
Tu ſuperos,ipſúmque Iovem,tu numina ponti

z Sicilia, à tribus promontoriis, quæ hîc nominantur à poetâ, Typhoëo exporrecto ſuperinjecta. Virgilius 9. Æneid. Impoſtam Typhoëo Inatimen inſ. in ſinu Puteolano, ductam ab Homeri Εἰν ἀρίμοις ὅθι φασὶ τυφώεος ἔμμεναι εὐνάς, 12. Iliad. Quem & Lucanus ſequitur l. 5. v. 101. Apollonio 2. lib. Κεῖται ὑποβρύχιος Σερβωνίδος ὕδασι λίμνης. Straboni 16. l. & Melæ l. 1. c. 13. in Ciliciâ: Pindarus videtur omnia miſcere, Pythiorum ode 1. Τυφὼς ἑκατοντακάρηνος, τόν ποτε Κιλίκιον θρέψε πολυώνυμον ἄντρον. νῦν γε μὰν ταί θ' ὑπὲρ Κύμας ἀλιερκέες ὄχθαι, Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει στέρνα λαχνάεντα κίων δ' οὐρανία συνέχει νιφόεσσα Αἴτνα, &c. Verùm hujus rei licentiam excuſat ratio naturalis, námque. a Quotquot ubique montes, aut loci marini eructant incendia; aut repentibus flatibus, qui vocantur Typhones, & terræ motibus concutiuntur, Typhoëo injecta finguntur. Æneid. 2. Claudian. de raptu Proſerpinæ 1. noſter lib. 14. v. 1. b Vmbrarum rex, Dis, Pluto, Orcus, ᾅδης, Hades. de quâ voce vide H. Sanfordium & Parkerum de deſcenſu Domini l. 2. c Mss. Depoſuitque metus, alii metum. Alii Depoſitoque metu. d Eryce ab Eryce Veneris & Butæ filio, qui in hoc monte ædem Matri Veneri inde Erycinæ dictæ, condidit. e Nate meæ vires. &c. Æn. 1. f Plutonis. g Cui in mundi diviſione tertia cecidit ſors; Inferi, Tartara ſcil.

Victa



Victa domas, [h] ipſumque regit qui numina ponti.
Tartara quid ceſſant?cur non matriſque,tuumque
Imperium profers? [i] agitur pars tertia mundi:
[k] Et tamen in cœlo( quæ jam patientia noſtra eſt)
Spernimur,ac mecum vires minuuntur amoris.
Pallada nónne vides, jaculatricémque Dianam
Abſceſſiſſe mihi? Cereris quoque filia,virgo,
Si patiamur,erit:nam ſpes affectat eaſdem.
At tu pro ſocio,ſi qua eſt tibi gratia,regno
Iunge [l] Deam patruo.Dixit Venus.Ille pharetram
Solvit,& arbitrio matris de mille ſagittis
Vnam ſepoſuit:ſed quâ nec acutior ulla,
Nec minùs incerta eſt, [m] nec quæ magis audiat arcum:
Oppoſitóque genu curvavit flexile cornu,
Inque cor hamatâ percuſſit arundine Ditem.
Haud procul [n] Ennæis lacus eſt à mœnibus altus,
Nomine [o] Pergusa; non illo plura [p] Cayſter
Carmina cycnorum labentibus audit in undis.
Sylva coronat aquas cingens latus omne,ſuíſque
Frondibus ut velo,Phœbeos ſummovet [q] ignes:
Frigora dant rami,varios humus humida flores,
Perpetuum ver eſt. Quo dum Proſerpina luco
Ludit,& aut Violas,aut candida Lilia carpit,
Dúmque puellari ſtudio calathoſque ſinumque
Implet,& æquales certat ſuperare legendo,
[r] Penè ſimul viſa eſt,dilectáque, raptaque Diti,
Vſque adeò eſt properatus amor. Dea territa, mœſto,
Et matrem,& [ſ] comites,ſed matrem ſæpius; ore

h Ita liquido & clarè habent Mss. mei, *ipſumque regit qui numina ponti.* quæ ſors ſecunda, aptiſſimeque convenit huic ſorti. Quis hic locus iis qui legunt *nomina terræ*, aut *lumina terræ*, ut Plutonem bis admittant, aut Phœbum omnino? i Agitur de imperio tertiæ partis mundi, Inferis ſc. quod, niſi interveniat opera tua, nobis penitus interit. & tamen alteriùs è duabus quibus dominati ſumus, partibus multum nobis periit. k Naſcio quid ſibi velint Mss. omnes, *Et tamen in cœlo quoque jam patientia noſtra eſt.* Mss. Ciofani & Briantii clarior: *Et tamen in cœlo quoque parva potentia noſtri eſt.* l Proſerpinam Plutoni qui frater Iovis, hic autem pater fuit Proſerpinæ. m Nec quæ certiùs feriat, quod deſignavit arcus. Virg. 1. Georg. verſ. ult. *neque audit currus habenas.* n Grata domus Cereri; multas ea poſſidet urbes, In quibus eſt culto fertilis Enna ſolo. 4. Faſtorum, ubi fabula hæc ad plenum. Enna ergo urbs Siciliæ, imo umbilicus, unde malè à quibuſdam legitur *Ætnæis*. Cicer. item 6. Verrina. o *Pergum dixere Sicani.* Claudian. 2. de raptu. *Percum* Firmicus. p Ioniæ fl. cygnorum copiâ celebris. q Al. *ictus.* r Mars videt hanc, viſamque cupit, potiturque cupitâ 3. Faſtor. ſ Earum nomina habes apud Pauſaniam, ex Homero in Meſſenicis.

Clamat,

Clamat, & ut [t] ſummâ veſtem laniarat ab orâ,
Collecti flores tunicis cecidêre remiſſis;
Tantaque ſimplicitas puerilibus affuit annis;
[u] Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.
Raptor agit currus, & nomine [x] quemque vocando
Exhortatur equos, quorum per colla jubáſque
Excutit obſcura tinctas ferrugine habenas:
Pérque lacus altos, & [y] olentia ſulphure fertur
[z] Stagna Palicorum rupta ferventia terra,
Et quà [a] Bacchiadæ bimari gens orta Corintho
Inter inæquales poſuerunt mœnia portus.
[b] Eſt medium Cyanes, & [c] Piſææ Arethuſæ,
Quod coit anguſtis incluſum cornibus æquor.
Hic fuit, à cujus ſtagnum quoque nomine dictum eſt,
Inter Sicelidas Cyane celeberrima nymphas,
Gurgite quæ medio ſumma tenus extitit alvo,
Agnovitque Deam; Nec longiùs ibitis, inquit,
Non potes invita Cereris gener eſſe: roganda,
Non rapienda fuit. Quod ſi componere magnis
Parva mihi fas eſt: & me dilexit Anapis;
Exorata tamen, nec, ut hæc, exterrita nupſi.
Dixit. & in partes diverſas brachia tendens
Obſtitit. Haud ultrà tenuit Saturnius iram:
Terribileſque hortatus equos, in gurgitis ima
Contortum valido ſceptrum regale lacerto
Condidit. Icta viam tellus in Tartara fecit,
Et pronos currus medio [d] cratere recepit.

t Mss. quidem noſtri, atque alii, quos ſuggerit Ciofanus, habent, *ſummo veſtem laniarat ab ore.* i. ſummâ veſtis parte. quod tamen non placet, quum verſus proximè præcedens eâdem voce claudatur. vide verſ. 480 lib. 3. u Etiam floſculorum quos collegerat. x Orphnæum, Æthona, Nyctea, Alaſtora. Claudian. 1. de raptu Proſerpinæ, ſub exitu libri. y Vide H. Ciofanum defendentem *olentia ſulphure* contra Diomedem. & infra verſ. 470. z Lacum Palicorum inter Leontinos & Menas. *olentis ſtagna Palici.* 2. de Ponto. De Diis Palicis adi Macrobium l. 5. cap. 19. a Archias Bacchiadum unus, oriundus Bacchiâ Dionyſii filiâ, è Corintho ſitâ in Iſthmo inter duo maria Ionium & Ægæum, profectus, condidit Syracuſas, Siciliæ urbem inter duos portus majorem alterum, alterum minorem. Thucydides l. 6. Strabo. 6. l. Theocritus Idyl. 16. Cluver. Sicil. antiq. 1. l. 12. cap. b Inter Cyanes fontem & Ortygiam inſulam ponte Syracuſis junctam, eſt pars æquoris quæ portum efficit ab alterâ parte Syracuſarum. c Alpheus Peloponneſi fl. juxta Piſas, creditur ſubterraneo meatu lapſus miſcere ſe Aretuſæ fonti in Ortygiâ inſ. Syracuſanæ. Pauſanias in Eliacis prioribus. Strabo 6. l. Virg. 3. Æn. *Alpheum fama eſt,* &c. Alii quamplurimi. Noſter infra, verſ. 565. d Hiatu. Lucretius de Ætnâ. In ſummo ſunt ventigeni crateres, ut ipſi Nominitant, nos quas fauces perhibemus, & ora 6. l.

At



[e] At Cyane, raptâmq; Deam, contemptáque fontis
Iura ſui mœrens, inconſolabile vulnus
Mente gerit tacita, lacrymiſque abſumitur omnis;
[f] Et quarum fuerat magnum modò numen, in illas
Extenuatur aquas. molliri membra videres,
Oſſa pati fluxus, ungues poſuiſſe rigorem.
Primáque de tota tenuiſſima quæque liqueſcunt,
Cærulei crines, digitíque, & crura, pedéſque:
Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
Tranſitus eſt. Poſt hæc humeri, tergúmque, latúſque,
Pectoráque in tenues abeunt evanida rivos.
Deníque pro vivo vitiatas ſanguine venas
Lympha ſubit: reſtátque nihil quod prendere poſſis.

e Diodorus ſub principio lib. 6.

f Nympha numen ipſius fontis tota deliquit in aquas.

## Puer in ſtellionem. FAB. 7.

Interea pavidæ nequicquam [g] filia matri
[h] Omnibus eſt terris, omni quæſita profundo.
Illam non udis veniens Aurora capillis
Ceſſantem vidit, non Heſperus: illa duabus
[i] Flammiferas pinus manibus ſuccendit ab Ætnâ,
[k] Atque pruinoſas tulit irrequieta tenebras.
[k] Rurſus ubi alma dies hebetârat ſidera, natam
[k] Solis ab occaſu, Solis quærebat ad ortus.
Feſſa labore ſitim conceperat, oraque nulli
Colluerant fontes: contectam ſtramine vidit
Fortè caſam, parváſque fores pulſavit. At indè

g Περσεφόνη. quæ Latinis, qui à ſuâ linguâ deducunt, luduntque nominibus, Proſerpina, eſt herba ſegetis è terrâ proſerpens, vel etiam ſpiritu vegetans, filia Cereris h.e. ſeminis, vel terræ & Iovis i.e. aëris genitabilis & benigni. rapitur à Plutone, h.e. moritur deſcenditque ad Orcum (quod de Petroſelini ſemine dici ſolet) prius quàm renaſcatur. à Pane, i.e. à naturâ Iovi indicatur. Ἑκάτη dicta à centuplicato ſeminis proventu. Trium (inquit Arnobius) attollit numinum capita, elementi, libidinis, germinis. quem lege l. 3. & l. 5. ut & Iul. Firmicum de errore prof. relig. Sed & Cl. Baconum de Sapientiâ veterum. h Frumentum in Siciliâ primùm ſuâ ſponte natum eſſe ferunt, mox & ſatum. Triptolemus à Cecrope Athenienſium rege miſſus, qui & ſemen deferret & ſerendi artem, & ipſe mox mari ac terrâ vectus mortales novæ agriculturæ rationem edocuit. atque hinc Eleuſis Attica. lege Diodorum Sic. l. 6. i Faces haſce interpretari libet Solem & Lunam, quæ fovent, eliciunt, alunt & maturant ſegetes--- k-- De die & de nocte.

Trodit,

*Prodit*[l] *anus, divamq́; videt,*[m] *lymphámque roganti*
*Dulce dedit,*[n] *teſtâ quod coxerat ante,*[o] *polentâ.*
*Dum bibit illa datum,*[p] *duri puer oris, & audax*
*Conſtitit ante deam, riſítque, avidámque vocavit:*
*Offenſa eſt; néque adhuc epotâ parte, loquentem*
*Cum liquido miſtâ perfudit diva polentâ.*
*Combibit os maculas, &, quæ modò brachia geſſit,*
*Crura gerit: cauda eſt mutatis addita membris,*
*Inque brevem formam, nè ſit vis magna nocendi,*
*Contrahitur, parváque minor menſura lacertâ eſt.*
*Mirantem, flentémque & tangere monſtra*[q] *parantem*
*Fugit anum, latebrámque petit, aptumque colori*
[r] *Nomen habet variis ſtellatus corpora guttis.*

l Videtur hæc eſſe Baubo. Arnobii l. 5. Nicandro tamen in Theriacis verſ. 488. Μετάνειρα. Ovidio fuſè narranti hanc fab. 4. Faſtorum Melanina vocatur. Miſmam appellat Ant. Liberalis 24. fab. ut & filium nominat Aſcalabum, quæ tamen vox ſonat Græcè ſtellionem. Namque interpres Nicandri puerum vocat Abantem. m Κυκεῶνα Nicandro, quod Cicero de Oratore *cinnum* vertit. id autem conficitur ex polentâ i. farinâ hordeaceâ, melle, aquâ, caſeo, temperatâ, adi Turnebum 12. lib. Adverſ. c. 8. *Dulce* itaque ponitur abſolutè, &--- n Vaſe figlino. o--- Ex polentâ. p Impudentis. adeoque ipſe erit pervolans & procax. q Al. *paventem.* r Stellionis. ἐγένετο ποικίλος ἐκ τοῦ σώματος ἀσκαλαβώς. Ant. Liberal. Metam. 24. fab. animal eſt lacerto ſimile, cui tergus pictum guttis maculiſve lucentibus.

## Aſcalophus in Bubonem. FAB. 8.

*Quas Dea per terras, & quas erraverit undas,*
*Dicere longa mora eſt:*[s] quærenti defuit orbis.
*Sicaniam repetit; dúmque omnia luſtrat eundo,*
*Venit & ad*[t] *Cianem: ea, ni mutata fuiſſet*
*Omnia narrâſſet; ſed & os, & lingua volenti*
*Dicere non aderant, nec, qua loqueretur, habebat.*
*Signa tamen manifeſta dedit: notámque parenti*
*Illo fortè loco dilapſam in gurgite ſacro*
*Perſephones*[u] *zonam ſummis oſtendit in undis.*
*Quam ſimul agnovit, tanquam tum deníque raptam*
*Sciſſet, inornatos laniavit diva capillos:*
*Et repetita ſuis percuſſit pectora palmis.*

s Quod in avaros torqueri poteſt, avidis natura parum eſt. Senec. Herc. Oetæus verſ. 631. t Verſ. 411. ſupra. u Virginis raptæ & delibatæ indicium proprium: Zonam ſolutam. lege quæ habet Firmicus de ruſtico quodam, cui propter divitias Pluton fuit nomen raptore Proſerpinæ. qui ne prehenderetur à Cereris manu armatâ ipſum inſequente, vehiculum egit per medium lacum Percum, inibique periit cum virgine ſubmerſus.

x Neſcit



[x] *Neſcit adhuc ubi ſit: terras tamen increpat omnes,*
*Ingratoſque vocat, nec frugum munere dignas;*
[y] *Trinacriam ante alias, in qua*[z] *veſtigia damni*
*Repperit. Ergo illic ſæva vertentia glebas*
*Fregit aratra manu*[a] *parilique irata colonos*
*Ruricoláſque boves letho dedit, arváque juſſit*
[b] *Fallere depoſitum, vitiatáque ſemina fecit.*
*Fertilitas terræ latum vulgata per orbem*
*Sparſa jacet: primis ſegetes moriuntur in herbis.*
*Et modò Sol nimius, nimius modò corripit imber,*
*Sideraque, ventique nocent: avidæque volucres*
*Semina jacta legunt: lolium tribulique fatigant*
*Triticeas meſſes,*[c] *& inexpugnabile gramen.*
*Tum caput Eleis*[d] *Alpheias extulit undis:*
*Rorantéſque comas à fronte removit ad aures,*
*Atque ait, O toto quæſitæ virginis orbe,*
*Et frugum genitrix, immenſos ſiſte labores,*
*Néve tibi*[e] *fidæ violenta iraſcere terræ.*
*Terra nihil meruit, patuitque invita rapinæ.*
*Nec ſum pro patria ſupplex; huc hoſpita veni.*
*Piſa mihi patria eſt, & ab Elide ducimus ortûs;*
*Sicaniam peregrina colo: ſed gratior omni*
*Hæc mihi terra ſolo eſt; hos nunc Arethuſa penates,*
*Hanc habeo ſedem; quam tu mitiſſima ſerva.*
*Mota loco cur ſim, tantique per æquoris undas*
*Advehar*[f] *Ortygiam; veniet narratibus hora*
*Tempeſtiva meis*[g] *cùm tu*[h] *curaque levata,*
*Et vultûs melioris eris: mihi pervia tellus*
*Præbet iter, ſubtérque imas ablata cavernas*

x Cum laboraret aliquando Sicilia annonâ, ſterilitatem illam & penuriam qua ſementis terræ credita falleret depoſitum, ſignificari volunt fabulâ hâc de Proſerpinâ à Plutone raptâ. Natalis Comes. 5. l. 14. c. y Supra ad verſ. 347. z Zonam. ut modò verſ. 470. a Al. *Pariterque irata.* b Terræ fallentis depoſitum & ſpem mentitæ ſpecies enumerat. Horat. 1. ode 3. l. Fundúſque mendax; arbore nunc aquas, culpante, nunc torrentia agros ſidera, nunc hiemes iniquas. vide quæ nos ad Georg. Virg. 1. l. c Carduus, lappa, filix, aliæque herbæ malæ, quibus terra mater eſt. & quæ nullâ arte, nullo labore evelli vincique poſſunt: cum ſatis contra inimicatur & novercatur. d Arethuſam fabulantur fl. Elidis ex Peloponneſo occultis ſubter mare cuniculis lapſam rurſus emanare in Ortygia inſ. prope Syracuſas. ſupra v. 409. & infra verſ. 576. e Depoſitum cum fide reddenti, fertili, niſi tu vetes, Siciliæ. f Inſulam juxta Syracuſas in Sicilia, olim ponte junctam continenti, poſtea aggere. Ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ Κλεινᾶν Συρακοσᾶν θάλος, Ὀρτυγία, δέμνιον Ἀρτέμιδος, cum reſpectu quodam ad alteram Ortygiam, Delon. g Infra, verſ. 568. erunt opportuna illa & *molliſſima fandi tempora.* h Solicitudine & dolore.

His

Hîs caput attollo, [i] deſuetáque ſidera cerno.
Ergò dum [k] Stygio ſub terris gurgite labor,
[l] Viſa tua eſt oculis illîc Proſerpina noſtris:
Illa quidem triſtis, nec adhuc interrita vultu,
Sed regina tamen, ſed [m] opaci maxima mundi,
Sed tamen inferni pollens matrona tyranni.
Mater ad auditas ſtupuit, ceu ſaxea, voces,
Attonitæque diu ſimilis fuit: útque dolore
Pulſa gravi gravis eſt amentia, curribus auras
Exit in æthereas. Ibi toto nubila vultu
[n] Ante Iovem ſparſis ſtetit [o] invidioſa capillis,
Próque meo veni ſupplex tibi, Iuppiter, inquit,
[p] Sanguine, próque tuo: ſi nulla eſt gratia matris,
Nata patrem moveat, neu ſit tibi cura, precamur,
Vilior illius, quod noſtro eſt edita partu.
En! [q] quæſita diu tandem mihi nata reperta eſt:
Si reperire vocas amittere certiùs; aut ſi,
Scire ubi ſit, reperire vocas. Quòd rapta, feremus,
Dummodo reddat eam: néque enim prædone marito
Filia digna tua eſt, ſi jam mea filia non eſt.
Iuppiter excepit, Commune eſt pignus onúſque
Nata mihi tecum: ſed, ſi modò nomina rebus
Addere vera placet, non hoc injuria factum,
Verùm amor eſt: neque erit nobis gener ille pudori,
Tu modò diva velis. Ut deſint cætera, Quantum eſt
Eſſe Iovis fratrem? Quid, quòd non cætera deſunt?
Nec cedit niſi [r] ſorte mihi? Sed tanta cupido
Si tibi [ſ] diſcidii eſt, repetet Proſerpina cœlum,
Lege tamen certa, ſi nullos contigit illîc
Ore cibos: nam ſic Parcarum fœdere cautum eſt.
Dixerat. At Cereri certum eſt educere natam.

i Non viſa mihi ſub terris labenti. k Profundo certè meatu lapſa eſt Arethuſa, ſi ea viderit quæ Stygio in gurgite facta ſint. omnino profundo, ſi ſub mari. quidam amnes, inquit Plinius lib. 2. cap. 103. odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, &c. l Refert Pauſanias in Atticis Cererem Argis à Pelaſgo acceptam hoſpitio, de filiæ raptu ex Chryſanthide cognoviſſe. Didymus & Tharræus in proverbiis, Hermenios indicâſſe Cereri raptum Proſerpinæ tradunt. Alii Cabarim quendam è Paro inſulâ. Triptolemum aut Celeum alii. m Obſcuri, nigri, inferni. n Paulo ſeciùs refertur hæc fabulæ pars. 4. l. Faſtorum. o Invidiam motura utrique & Iovi & Plutoni. p Filiâ. q Tu non inventa reperta es. Luctus erat levior. l. 1. v. 654. Vide & quæ nos ibi. r In ſortilegio mundi, quo mihi cœli, illi ceſſit inferorum imperium. ſ Sic Mss. & meliùs quàm quod vulgo leg. diſſidii. t Auras ſuperas vitæ quibus ante fruebatur.





[u] Non ita fata ſinunt: quoniam jejunia virgo
Solverat, &, cultis dum ſimplex errat in hortis,
[x] Puniceum curva decerpſerat arbore [x] pomum,
Sumptáque pallenti [y] ſeptem de cortice grana
Preſſerat ore ſuo. Solúſque ex omnibus illud
Aſcalaphus vidit: quem quondam dicitur [z] Orphne,
Inter Avernales haud ignotiſſima Nymphas,
Ex Acheronte ſuo furvis peperiſſe ſub antris.
Vidit, & indicio reditum crudelis ademit.
Ingemuit regina Erebi, teſtémque [a] profanum
Fecit avem: ſparſúmque caput Phlegethontide lympha
In roſtrum, & plumas, & grandia lumina vertit.
Ille [b] ſibi ablatus fulvis amicitur in alis,
Inque caput creſcit, longóſque reflectitur ungues,
Vixque movet natas per inertia brachia pennas:
Fœdáque fit volucris, venturi nuncia luctûs,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

u Ex Stoa, in quâ dominatur fatum, ipſumque exuperat Iovem. x Malum granatum. y Miſſus tamen Mercurius 4. Faſtor. ſcitatum, utrùm Proſerpina manſiſſet jejuna, refert, rapta tribus ſolvit jejunia granis, Punica quæ lento cortice poma tegunt. z Gorgyram vocat Apollodorus lib. 1. aliterque refert hanc fab. Ceres, inquit, Aſcalapho Acherontis, & Gorgyræ filio, quod in filiam ſuam teſtimonium dixiſſet, grave apud inferos ſuperimpoſuit ſaxum. a Al. profanam. b Forma propria exutus.

## Sirenes. FAB. 9.

HIc tamen indicio pœnam linguâque videri
Commeruiſſe poteſt. Vobis, [c] Acheloïdes, unde
[d] Pluma, pedéſque avium, cùm virginis ora geratis?

c Sirenes, filiæ Acheloï & Terpſichores.

Quas ſi voluptates interpretemur, taurino ſanè impetu aut flumineo impellunt, nec minus ſuavitate ſuâ alliciunt ad perniciem. hilaris pœna, mors blanda, gaudium crudele. Martialis Epigr. 64 l. 3. adi Sap. vet. Domini Verulamii: *Siren, ſeu Voluptas.* de adulatoribus ſunt qui interpretentur. Sabinus de liberalium artium gymnaſio, Rhetorices imprimis & poeticæ, quæ tamen ab honeſto degenerant inſtituto. quem lege. & Scalig. 5. poet. d Voluptates quidem ſupernè & primâ fronte pulchræ videntur; infernè, perque ventris ſubmænia & quæ ſub ventre ſunt belluinæ, & exitu amaræ. Nec minùs artes logodædalæ, ſpecie quidem honeſtæ apparent, plerunque tamen fallere & ex malâ cauſsâ bonam, ex bonâ malam reddere audent profiteri. Horatius deſidiam vocat improbam Sirena.

e An quia, cùm legeret flores Proſerpina vernos,
In comitum numero miſtæ Sirenes eratis?
Quam poſtquam toto fruſtra quæſiſtis in orbe,
Protinus, ut veſtram ſentirent æquora curam,
Poſſe ſuper fluctus alarum inſiſtere remis
Optaſtis: faciléſque Deos habuiſtis, & artus
Vidiſtis veſtros ſubitis flaveſcere pennis.
Nè tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Tantáque dos oris linguæ * ne perderet uſum:
Virginei vultus, & vox humana remanſit.

e Aliæ ab aliis adferuntur cauſſæ. Sed de certamine earum cum Muſis, de cantu pernicioſo, &c multa Poetæ, ethici, mythologi, quos adi.
* al. deperderet.

## Arethuſa in Fontem. FAB. 10.

AT f medius fratriſque ſui mœſtæque ſororis
Iuppiter, ex æquo volventem dividit annum:
Nunc Dea regnorum numen commune duorum,
g Cum matre eſt totidem, totidem cum conjuge menſes.
h Vertitur extemplo facies & mentis, & oris:
Nam modò quæ poterat Diti quoque mœſta videri,
Læta deæ frons eſt; Vt Sol, qui tectus aquoſis
Nubibus antè fuit, victis è nubibus exit.
Exigit alma Ceres, h nata ſecura recepta,
Quæ tibi cauſa fugæ; cur ſis, Arethuſa ſacer fons.
Conticuêre undæ: quarum Dea ſuſtulit alto
Fonte caput, i virideſque manu ſiccata capillos
k Fluminis Alphëi veteres narravit amores.
Pars ego Nympharum quæ ſunt in Achaïde, dixit,
Vna fui: nec me ſtudioſiùs altera ſaltus
l Lêgit, nec poſuit ſtudioſiùs altera caſſes.
Sed quamvis formæ nunquã mihi fama petita eſt,
Quamvis fortis eram, formoſæ nomen habebam:
Nec mea me facies nimiùm laudata juvabat.

f Arbiter æquus, ſequeſter ſine exceptione.
g Vt per ſex menſes, quibus Sol in ſignis eſt Auſtralibus, apud maritum ſit, infra terram: ſex alios, quibus viſit Borealia ſigna, emergat, matureſcat; in horrea deportentur fruges. Vel etiam quòd Luna, quæ eadem eſt quæ Proſerpina & Diana, ex æquo utrunque Hemiſphærium, ſuperius atque inferius illuſtret.
h Redi ad verſ. 500.
i Ex nativo aquarum colore, tribuuntur à poetis viridis & cæruleus color Nympharum capillis.
k Al. *Fluminis Elei*. lege dialogum Neptuni & Alphei, in dialogis marinis Luciani.
l Obiit, luſtravit.

Quaq;



Quaque aliæ gaudere ſolent, ego m ruſtica dote
Corporis erubui, criménque placere putavi.
Laſſa revertebar, memini, n Stymphalide ſylva:
Æſtus erat, magnúſque labor geminaverat æſtum.
Invenio ſine vortice aquas, ſine murmure euntes,
Perſpicuas ad humum: per quas numerabilis altè
Calculus omnis erat, quas tu o vix ire putares.
Cana ſalicta dabant, nutritaque populus unda,
Sponte ſua natas ripis declivibus umbras
Acceſſi, primúmque pedis veſtigia tinxi,
Poplite deinde tenus: neque eo contenta recingor,
Molliáque impono ſalici velamina curvæ,
Nudáque mergor aquis; quas dum ferio que trahóque,
Mille modis labens, p excuſſáque brachia jacto,
Neſcio quod medio ſenſi ſub gurgite murmur,
Territáque inſiſto propioris margine q ripæ.
Quò properas Arethuſa? Suis Alpheus ab undis,
Quò properas? iterum rauco mihi dixerat ore.
Sic ut eram fugio ſine veſtibus; altera veſtes
Ripa meas habuit; tantò magis inſtat, & ardet;
Et, quia nuda fui, ſum viſa paratior illi.
Sic ego currebam, ſic me ferus ille premebat,
r Vt fugere accipitrem penna trepidante columbæ,
r Vt ſolet accipiter trepidas urgere columbas.
Vſque ſub ſ Orchomenon, Pſophidáque, Cyllenénque,
Mænalióſque ſinus, gelidumq; Erymanthon, & Elim
Currere ſuſtinui; nec me velocior ille:
Sed tolerare diu curſus ego viribus impar
Non poteram; t longi patiens erat ille laboris.

m Simplex, neglecto formæ cultu, quod aliæ ſibi honori, hoc mihi crimini duxi, ut formam, quâ placere poſſem, adſtruerẽ.
n Stymphalus, Arcadiæ in Peloponneſo, mons eſt & urbs.
o Alti quippe fluminis leni agmine.
p Pro Natantium geſtu l. 4. verſ. 353.
q Sic Mſs. cùm vulgò leg. *fontis*.
r In nonnullis vet. cod. tranſponuntur hi duo verſus.
ſ Vrbem Arcadiæ, non procul à Mantineâ. ſed & alia eſt cognominis in Bœotiâ, inter Theſpiam & Coroneam.
t Λέγεται καὶ τοιάδε ἐς τὸν Ἀλφειὸν, ὡς ἀνὴρ εἴη θηρευτὴς, &c. Narrant, inquit Pauſanias in Eliacis prioribus, Alpheum fuiſſe venatorem, amaſſe Arethuſam, & ipſam venatricem, quæ cùm fugeret amantem, in inſula Ortygiæ prope Syracuſas in fontem converſam fuiſſe. Alpheum, ut ipſam ſequeretur, in amnem item mutatum ſubter mare meare ac fonti illi Syracuſano miſcere. Quod ut credam verum eſſe, adducor Delphici Apollinis reſponſo, is enim Archiam Corinthium coloniam Syracuſas deducendam hortatus dixit: Ὀρτυγίη τις κεῖται ἐν ἠεροειδεῖ πόντῳ Τρινακίης καθύπερθεν, ἵν' Ἀλφειοῦ στόμα βλύζει, Μισγόμενον πηγαῖς Εὐρυρείης Ἀρεθούσης. Quod ultra probatum it Pauſanias ſimili lapſu Nili, Iordanis & aliorum fl.

Per

Per tamen & campos, & opertos arbore montes,
Saxa quoque, & rupes, & quà via nulla, cucurri.
Sol erat à tergo, vidi præcedere longam
Ante pedes umbram, niſi ſi timor illa videbat:
Sed certe ſonitúque pedum terrebat, & ingens
Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
Feſſa labore fugæ, Fer opem, deprendimur, inquam,
Armigeræ Diana tuæ, cui ſæpe dediſti
Ferre tuos arcus, incluſáque tela pharetrâ.
Mota dea eſt, ſparsíſque ferens è nubibus unam
Me ſuper injecit. u Luſtrat caligine tectam
Amnis, & ignarus circum cava nubila quærit:
Bíſque locum, quo me dea texerat, inſcius ambit,
Et bis Io Arethuſa, Io Arethuſa vocavit.
Quid mihi tunc animi miſeræ fuit? Anne quòd agnæ,
Si qua lupos audit circum ſtabula alta frementes!
Aut lepori, qui vepre latens hoſtilia cernit
Ora canum, nullóſque audet dare corpore motus?
Non tamen abſcedit, neque enim veſtigia cernit
Longiùs ulla pedum: ſervat nubémque, locúmque.
u Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus,
Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ,
Quáque pedem movi, manat lacus, éque capillis
Ros cadit & citiùs, quam nunc tibi x facta renarro,
In latices mutor: ſed enim cognoſcit amatas
Amnis aquas, poſitóque viri, quod ſumpſerat, ore,
Vertitur in proprias, ut ſe mihi miſceat, undas.
y Delia rupit humum: z cæcis ego merſa cavernis
Advehor Ortygiam, quæ me cognomine divæ
Grata mihi ſuperas eduxit prima ſub auras.

u Μυθεύουσι ὅ τὸν Ἀλφειὸν ἀρχόμενον ἀπὸ τ Πελοποννήσου, &c. Strabo l. 6. Fabulantur, inquit, Alpheum in Peloponneſo ortum ſubter mare alveo ſuo infra terram uſque ad Arethuſam ductū rurſum inde in mare affluere. cujus rei argumentum proferunt: Pateram quandam apud Olympiam in Alpheum prolapſam, ad fontem Arethuſam fuiſſe delatam. tum fontem eum turbidum fieri quando Olympiæ boves ſacrificantur. Quam pro fabulâ confutat idem Strabo, ibidem. Namque oſtium Alphei manifeſto in mare exire; neque ullas apparere fauces quæ amnem abſorbeant; neque fieri poſſe ut aqua dulcis maneat, ſi per mare, vel ſubter mare permeet. x Ita Mss. aliique codd. rectiùs quàm vulgati qui habent, *fata*. y Benignitas Dianæ, quam colui, quam precata ſum, apertâ tellure mihi per altos occultoſque terræ meatus indulſit iter ad Ortygiam, ſibi ſuæque Delo cognominem. ſupra verſ. 499. z Fulgentius Alpheum interpretatur ἀληθείας φῶς: Arethuſam, nobilitatem æquitatis. quem adi 3. l. Alii ad integritatem morum incorruptorum referunt.

Lyncus



## Lyncus in lyncem. FAB. 11.

HAc Arethuſa tenus. Geminos a dea fertilis b angues
Curribus admovit, frænìſq; coërcuit ora;
Et medium cœli terræque per aëra vecta eſt,
Atq; levem currum c Tritonida miſit in c urbem
d Triptolemo, partímque e rudi data ſemina juſſit
Spargere humo, partim poſt tempora longa f recultæ.
Iam ſuper Europen ſublimis, & g Aſida terram
Vectus erat juvenis, Scythicáſque advertitur oras,
Rex ubi Lyncus erat: regis ſubit ille penates.
Quà veniat, cauſamque viæ, noménque rogatus,
Et patriam: Patria eſt claræ mihi, dixit, Athenæ;
Triptolemus nomen; veni nec puppe per undas,
Nec pede per terras: patuit mihi pervius æther.
Dona fero Cereris, latos quæ ſparſa per agros,
Frugiferas meſſes, alimentaque mitia reddant.
Barbarus invidit, tantique ut muneris autor
Ipſe ſit, hoſpitio recipit, ſomnóque gravatum
Aggreditur ferro: conantem figere pectus
Lynca Ceres fecit, rurſuſque per aëra juſſit
h Mopſopium juvenem ſacros agitare jugales.

a Dea fertilitatis Ceres. b Dracones. Claudian. 1. de raptu Proſ. Sinuoſa draconum Membra regens; volucrique per avia nubila tractu ſignant. comparat, Scal. 5. poet. c Athenas Palladi Tritoniæ ſacras, utpote ab illa nominatas. d Quem Ceres, quòd, cùm filiam quæreret, à Celeo patre Triptolemi benignè fuiſſet accepta, ſerendi rationem docuit, eique dedit currum quem trahebant alati dracones, quo vectus mortalibus impertiret agriculturam. ſuprà verſ. 439. Tzetzes in Heſiodum allegoriam fabulæ explicat. Nonn. Dionyſ. l. 19. e Non anteà cultæ, indomitæ. f Novali g Aſiam propriè dictam, Myſiam &c. quæ primam producit. 1. Georgic. & quæ Aſia circum Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri. & 7. Æneid. Sonat amnis, & Aſia longè Pulſa palus. Aſiæ verò quæ pars quarta orbis, primam corripi volunt. 1. Æn. Europa atque Aſia pulſus. h Athenienſem, à rege Mopſopo. Straboni lib. 9 à Mopſo. Triptolemum.

## Pierides in picas. FAB. 12.

FInierat doctos è nobis i maxima cantus:
At k Nymphæ viciſſe deas Helicona colentes
Concordi dixêre ſono. Convitia victæ
Cùm facerent, Quoniam, dixit, certamine vobis

i Calliope. ſupra verſ. 338. k Supra ad v. 314



Suppli-

*Supplicium meruiſſe parum eſt,* [l] *maledictáque culpæ*
*Additis, & non eſt patientia libera nobis:*
*Ibimus in pœnas, &, quà vocat ira, ſequemur.*
*Rident Pæonides, ſpernúntque minantia verba,*
*Conatæque loqui, & magno clamore protervas*
*Intentare manus, pennas exire per ungues*
*Aſpexêre ſuos, operire & brachia plumis:*
*Alteráque alterius rigido concreſcere roſtro*
*Ora videt, volucréſque novas accedere ſylvis*
*Plangere dúmque volunt, per brachia mota levatæ,*
*Aëre pendebant, nemorum convitia, picæ.*
*Nunc quoque in alitibus facundia priſca remanſit,*
*Raucáque garrulitas, ſtudiumque immane loquendi.*

l Picæ, inquit Sabinus, aves ſunt garrulæ quidem, ſed minimè canoræ. Per has intelligi dicit verſificatores & literatores ineptos atque arrogantes, qui ſeſe jactant oſtentatione ingenii, atqueodioſè obſtrepunt doctioribus, Zoili. Cercopes, Amphimanes, Thymocreontes, Bavii, Mævii, Homero, Heſiodo, Pindaro, Simonidi & Virgilio ogganire auſi. Et eſt certè perfrictæ frontis & cinœdicæ buccæ agyrtarum genus, qui cùm Muſas ne à limine quidem ſalutarint, virtutibus tamen geminis & ſibi germanis, propriiſque freti, ignorantiâ ſimul & arrogantiâ, non verentur ſe eruditis inferre, imò ſi Diis placet, præferre, Iámque analectorum catillones & plagiarii, etiam lipporum ſcrinia compilare. Sed videant, ne quando res ſuas repetitum veniant Muſarum filii, deplumaturi Sirenas furtivis nudatas coloribus. Caveant, ne dum lipſana liguriunt, ne dum tribus quaſi magicis verbis, ac medicamine docti jam facti, famæ quamvis Heroſtrateæ pennis ſubvolare volunt; caveant, inquam, ne trepidatio illos fallat & feſtinatio, ut habet aureus ille Mileſius, ne pyxidis non veræ ex arculâ depromptæ decipiat ſimilitudo; adeóque ſe advertant non aves factos, ſed aſinos, eóſque plumbeos.

LIBER



# LIBER VI.

## Certamen Palladis & Arachnes.
### FAB. I.

*PRæbuerat dictis* [m] *Tritonia talibus aures:*
*Carmináq;* [n] *Aonidum, juſtamq; probaverat iram.*
*Tum ſecū;* Laudare parū eſt, laudemur & ipſæ;
*Numina nec ſperni ſine pœnâ noſtra ſinamus,*
[o] *Mæoniæq; animum fatis intendit Arachnes.*
*Quam ſibi lanificæ non cedere laudibus artis*
*Audierat. Non illa* [p] *loco, nec origine gentis*
*Clara, ſed arte fuit. Pater huic Colophonius Idmon,*
[q] *Phocaico bibulas tingebat murice lanas:*
*Occiderat mater; ſed & hæc de plebe, ſuóq;*
*Æqua viro fuerat. Lydias tamen illa per urbes*
*Quæſierat ſtudio nomen memorabile: quamvis*
*Orta domo parvâ, parvis habitabat* [r] *Hypæpis.*
*Hujus ut aſpicerent opus admirabile, ſæpe*
*Deſeruêre ſui Nymphæ vineta* [ſ] *Timoli:*
*Deſeruêre ſuas Nymphæ* [t] *Pactolides undas.*
*Nec factas ſolùm veſtes ſpectare juvabat:*
[u] *Tunc quoque cùm fierent. Tantus decor affuit arti.*
[x] *Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes;*
*Seu digitis ſubigebat opus, repetitaq; longo*
*Vellera mollibat nebulas æquantia tractu;*
*Sive levi teretem verſabat pollice fuſum;*
*Seu pingebat acu: Scires à Pallade doctam.*
*Quod tamen ipſa negat: Tantâq;* [y] *offenſa magiſtrâ,*

m A Tritone fl. Bœotiæ, inquit Pauſanias in Bœoticis. ὅς ἐς τὴν πρὸς λιβόλω θάλασσαν ἐκδίδωσιν ἐκ τῆς Τριτωνίδος λίμνης. Quod tamen Mela, Lycophronis interpres, Lucanus, alii aſſerunt. Bœotiorum linguâ τριτὼν caput ſignificare volunt. quod ſi ita ſit, conveniet fab. de Minervâ ex Iovis capite prognatâ. Apollonii ſcholiaſtes ad 4. lib. ἡ τὸ τρεῖν τοῖς ἐναντίοις ποιοῦσα. Diomedes Il. ε. τρεῖν μ' οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθήνη. n Muſarum, ab Aoniis montibus & fl. Bœotiæ. o Mæoniâ ſeu Lydiâ. p Patria, nec genere & familiâ. q Phocæa purpurâ claruit. Erat ergo Arachnes pater tinctor purpurarius. r Oppidulo Lydiæ in deſcenſu Tmoli montis ad Cayſtri pratum. ſ Tmoli montis Lydiæ. t Pactolus Lydiæ fl. aurifer eſt. u Sed etiam tunc dum fierent. x Lanificii opera ſingularia habuiſti, &c. l. 4. v. 35. y Dedignata, per ingratitudinem non agnoſcens Palladem magiſtram.

Certet, ait, mecum: nihil eſt quod victa recuſem.
Pallas anum ſimulat, falſóſque in tempora canos
Addit, & infirmos baculo quoque ſuſtinet artus.
Tunc ſic orſa loqui: z Non omnia grandior ætas
Quæ fugiamus habet. Seris venit a uſus ab annis.
Conſilium né ſperne meum: Tibi fama petatur
Inter mortales faciendæ maxima telæ.
b Cede deæ. veniamque tuis temeraria dictis
Supplice voce roga: veniam dabit illa roganti.
Aſpicit hanc c torvis, inceptáque fila relinquit,
Vixq; manus d retinens, confeſſáq; vultibus iram,
Talibus e obſcuram reſecuta eſt Pallada dictis:
f Mentis inops, longâque venis confecta ſenectâ,
Et nimium vixiſſe diu nocet. Audiat iſtas,
Si qua tibi nurus eſt, ſi qua eſt tibi filia, voces.
Conſilii ſatis eſt in me mihi: néve monendo
Profeciſſe putes, eadem eſt ſententia nobis.
Cur non ipſa venit? cur hæc certamina vitat?
Tum dea, Venit, ait: formámque removit anilem,
Palladáque exhibuit. Venerantur numina Nymphæ,
g Mygdonidéſque nurus: ſola eſt interrita virgo.
h Sed tamen erubuit, ſubitúſque invita notavit
Ora rubor, rurſúſque evanuit: ut ſolet aër
Purpureus fieri, cùm primùm Aurora movetur,
Et breve poſt tempus candeſcit ſolis i ab ortu.
Perſtat in incepto, ſtolidæq; cupidine palmæ
In ſua fata ruit: neq; enim Iove nata recuſat,
Nec monet ulteriùs, nec jam certamina differt.

z Expreſſus hic locus ex Euripide in Phœniſſis, ubi Iocaſta filium Eteoclem ab ambitioſâ dehortatur injuriâ. Ὦ τέκνον οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ Ἐτεόκλεες πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ ἐμπειρία Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον. a Experientia. b Ἐπεὶ τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς, ἐχθρὰ σοφία καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαισιν ὑποκρέκει. Pindarus 9. Olymp. c Sc. oculis. d A vi inferendâ. e Diſſimulantem ſe, & alieno ſchemate latentem. reſecuta autem pro proſecuta. vide quæ ad verſ. 562. lib. 12. f Turnus Virgilianus: Sed te victa ſitu, verique effœta ſenectus, O mater, curis nequicquam exercet. 7. Æn. verſ. 440. g Phrygiæ, è viciniâ ſuprà verſ. 15. Sed quia Phrygiæ Nymphæ non erant ita in finitimis, ſuſpicio eſt, legendum eſſe Mæoniæ. h Non ita pudorem & verecundiam decoxerat penitùs, quin rubor vel invitæ offuſus fuerit. vide quæ ad 3. l. v. 182. & Macrob. l. 2. c. 11. Saturn. i Mss. quidam ab ictu.

Haud



Haud mora: conſiſtunt diverſis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt ſtamine telas.
Tela k jugo juncta eſt; ſtamen ſecernit arundo;
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,
Quod digiti expediunt: atque inter ſtamina ductum
Percuſſo feriunt l inſerti pectine dentes.
Vtraque feſtinat, cinctæque ad pectora veſtes
Brachia docta movent, m ſtudio fallente laborem.
Illic & Tyrium quæ purpura ſenſit ahenum
Texitur. & n tenues n parvi diſcriminis umbræ:
Qualis ab imbre ſolet percuſſis ſolibus arcus
Inficere ingenti longum curvamine cœlum;
In quo diverſi niteant cùm mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.
Vſque adeò quod tangit idem eſt, tamen ultima diſtant.
Illic & lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.

k Tranſverſæ perticæ, cui telæ ſtamen alligatur & involvitur: ſequiturque accuratiſſimæ telæ texendæ hypotyposis. l Al. inſect. m Tum artis exprimendæ, tum victoriæ conſequendæ. n Aptè appoſitéque, ex arte & ratione Phyſica atque Optica. Vmbræ, inquit, gradatim per colorum levia diſcrimina declinantes faciunt ut imagines ſurgere & extare videantur: non ſecus ac radii Solis in roridam cavámque nubem ſe fudentes refractique fallunt viſum varioſque repræſentant Iridis colores.

## Tela Minervæ, & Arachnes.
## FAB. 2.

CEcropiâ Pallas o ſcopulum Mavortis in arce
Pingit, & p antiquam de terræ nomine litem.
q Bis ſex cæleſtes medio Iove ſedibus altis
Auguſtâ gravitate r ſedent: ſua quemq; deorum
Inſcribit facies, Iovis eſt regalis imago.
Stare deum pelagi, longóq; ferire tridente
Aſpera ſaxa facit: medióq; è vulnere ſaxi

o Collem Martis, Areopagum. in quo cauſſam dixerat Mars apud 12. Deos judices de cæde Halirrhothii, accuſante patre Neptuno. p Lib. 2. v. 836. q Lib. 1. verſ. 171. r Sedebant decem, ſtabat Neptunus verſ. ſeq. & Pallas, utpote quorum agebatur lis.



Exi-

*Exiluiſſe* [s] *fretum, quo pignore vendicet urbem.*
*At ſibi dat clypeum, dat acutæ cuſpidis haſtam,*
*Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus,*
*Percuſſámque ſuâ ſimulat de cuſpide terram*
*Edere cum baccis fœtum canentis olivæ,*
*Mirarique deos.* [t] Operis victoria finis.
*Vt tamen exemplis intelligat æmula laudis,*
*Quod pretium ſperet pro tam furialibus auſis:*
*Quatuor in partes certamina quattuor addit,*
*Clara colore ſuo, brevibus diſtincta ſigillis.*
[u] *Threïciam Rhodopē habet angulus unus, & Æmum*
*Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,*
*Nomina ſummorum ſibi qui tribuêre deorum.*
[x] *Altera Pygmææ fatum miſerabile matris*
*Pars habet: hanc Iuno juſſit certamine victam*
*Eſſe gruem, populiſque ſuis indicere bellum.*
*Tinxit &* [y] *Antigonen auſam contendere quondam*
*Cum magni conſorte Iovis, quam regia Iuno*
*In volucrem vertit: nec profuit Ilion illi,*
*Laomedónve pater, ſumptis quin candida pennis*
*Ipſa ſibi plaudat crepitante ciconia roſtro.*
*Qui ſupereſt ſolus* [z] *Cinyran habet angulus orbum,*

*s* Ita leg. eruditiores, moti autoritate Varronis, enatam in Athenarum arce olivam, ſed & emanantem mox aquarum ſcaturiginem ſcribentis, conſultum itaque oraculum Cecrope tum regnante, reſponſum ſpectare hæc oſtenta ad contentionem Neptuni & Palladis de nomine & tutelâ urbis, viciſſe Minervam in ſuff agiis uno fæminarum calculo, &c. quod confirmant ſtatuæ duæ de quibus Pauſanias in Atticis in hæc verba: Πεποίηται ᾗ καὶ τὸ φυτὸν τῆς ἐλαίας Ἀθηνᾶ καὶ κῦμα ἀναφαίνων Ποσειδῶν. Vide & Plutarchum in Themiſtocle. & Statium Thebaid. 12. Vbi ingens lis ſuperûm: dubiis donec nova ſurgeret arbor rupibus, & longa refugum mare frangeret umbrâ. Qui *ferum* hîc legunt, gemino tibicine ſententiam fulminant ex Virgilio: altero in 2. Æn. ubi equum durateum appellat *ferum*: inque feri curvam compagibus alvum contorſit. altero in 1. Georgic. Tuque ô cui prima frementem Fudit equum tellus magno percuſſa tridenti Neptune. quod in Thraciâ factum aſſerit Io. Bapt. Egnatius cap. 8. *t* Opus clauſit oliva, pacis ſymbolum, in ſuffragiis victoria. 101. verſ. *u* Æmus rex Thraciæ Rhodopen Strymonis fluv. filiam duxerat. Hanc cùm ille Iunonem appellaret, illum Rhodope Iovem; in montes mutati ſunt. *x* Gerana matrona à popularibus ſuis Pygmæis pro numine culta, Deos præ ſe contempſit, Iunonem maximè & Dianam, quarum indignatione in gruem eſt converſa infeſtiſſimam Pygmæis hoſtem, qui illam venerati fuerant. Athenæus 9. l. 11. cap. *y* Laomedontis filiam, ob ſpretam Iunonis formam, mutarat in Ciconiam: cujus de natura Plin. 10. l. 23. c. & Pierius 17. l. Hieroglyph. *z* Fortè à κινύρεσθαι. quia ſaxo jacens lacrymare videtur. neque enim idem eſt cum Myrrhæ patre, de quo l. 10.





*Iſque* [a] *gradus templi natarum membra ſuarum*
*Amplectens, ſaxóque jacens lacrymare videtur.*
[b] *Circuit extremas oleis pacalibus oras.*
*Is modus eſt, operiſque ſuâ facit arbore finem.*
[c] *Mæonis eluſam deſignat imagine tauri*
[d] *Europam: verum taurum, freta vera putares.*
*Ipſa videbatur terras ſpectare relictas,*
*Et comites clamare ſuas, tactúmque vereri*
*Aſſilientis aquæ timidáſque recondere plantas.*
*Fecit & Aſterien* [e] *aquilâ luctante teneri:*
*Fecit* [f] *olorinis Ledam recubare ſub alis.*
*Addidit, ut Satyri cœlatus imagine pulchram*
*Iuppiter implêrit gemino* [g] *Nycteïda fœtu;*
*Amphitryon fuerit, cùm te* [h] *Tirynthia cepit:*
*Aureus ut Danaën,* [i] *Aſopida luſerit ignis,*
*Mnemoſynen paſtor, varius* [k] *Deoïda ſerpens.*
*Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco*
[l] *Virgine in Æolia poſuit: tu viſus* [m] *Enipeus*
*Gignis Aloïdas;* [n] *aries Biſaltida fallis.*
[o] *Et te flava comas frugum mitiſſima mater*
*Senſit equum: te ſenſit equum* [p] *crinita colubris*
[p] *Mater equi volucris: ſenſit Delphina Melantho.*
*Omnibus his faciémque ſuam, faciémque locorum*
*Reddidit. Eſt illic* [q] *agreſtis imagine Phœbus:*
*Vtque modo accipitris pennas, modò terga leonis*
*Geſſerit; ut paſtor Macareïda luſerit Iſſen.*
*Liber ut Erigonem* [r] *falſa deceperit uvâ:*

*a* Cujus filias, quòd ſe Iunoni prætuliſſent, Dea in ſaxeos templi gradus transformavit. *b* Prætexebant limbum undique oleæ, pacis inſignia, ut modò verſ. 82. *c* Arachne, ſupra verſ. 5. *d* Lib. 2. ſub exitu. *e* Iove aquilæ formam aſſumente ut Aſterien in coturnicem mutatam raperet. *f* Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς, δι᾽ ἔρωτα Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης. Antholog. *α*. de quibus & cæteris conſule Mythologos. *g* Antiopam Nyctæi filiam. *h* Alcmena. Tiryntha erat urbs Argis vicina in qua nutriebatur Hercules. *i* Æginam Aſopi filiam. vide quæ ad 621. verſ. lib. 7. *k* Proſerpinam, filiam Cereris quæ Δηώ Orpheo, Δηὼ παμμήτειρα. Qualis floricoma quondam populator in Ætna Virgineas inter choreas Deoïda raptam ſuſtulit. Auſonius epiſt. 4. ad Theonem. *l* Arne Æoli filia. de qua Diodorus. lib. 5. *m* In fluvium Enipeum mutatus Neptunus ex Iphimedia Aloei uxore genuit Othum & Ephialtem. *n* Hoc de Theophane Biſaltidis filia narrat Hyginus fab. 188. *o* Ceres ex te in equum converſo, & ipſa priùs in equam, peperit filium cujus nomen ἐς τοὺς ἀτελέστους effari non licet: mox & Ariona equum. Pauſanias in Arcadicis. *p* Meduſa Pegaſi mater l. 4. v. 786. *q* Cum Admeti pavit armenta, l. 2. verſ. 681. *r* In quam ſe Bacchus converterat.

Vt Sat. in equum converſus ex Philyra genuit centaurum Chirona.

ſ Vt Saturnus equo geminum Chirona creârit.
Vltima pars telæ tenui circundata limbo
Nexilibus flores hederis habet intertextos.

## Arachne in Araneam. FAB. 3.

NON illud Pallas, non illud carpere Livor
Poßit opus. Doluit ſucceſſu flava virago,
Et rupit pictas, [t] cœleſtia crimina, veſtes:
Vtque [u] Cytoriaco radium de monte tenebat,
Ter quàter [x] Idmoniæ frontem percußit Arachnes.
Non tulit infelix: laqueóque animoſa ligavit
Guttura. Pendentem Pallas miſerata levavit.
Atque ità, Vive quidem, pende tamen improba, dixit;
Léxque eadem pœnæ, nè ſis ſecura futuri,
Dicta tuo generi, ſeriſque nepotibus eſto.
Poſtea diſcedens ſuccis [y] Hecateïdos herbæ
Sparſit: & extemplo triſti medicamine tactæ
Defluxêre comæ; cum quîs & naris, & aures;
Fitq́; caput minimum: toto quoq́; corpore parva eſt.
In latere exiles digiti pro cruribus hærent;
Cætera venter habet, [z] de quo tamen illa remittit
Stamen, & antiquas exercet aranea telas.

t Telam Deorum flagitioſa adulteria continentem. u Buxo eſt n. Cytorum mons Galatiæ, undans buxo 2. Georg. x Idmonis filiæ, ſupra verſ. 8. y Aconiti ab Hecate filiâ Perſæ quæ mater erat Medeæ inventi, quod aliàs tamen è ſpumâ Cerberi natum dicitur. Hermol. Barbarus putat Ovidium hîc de cicutâ loqui, comment. in Dioſcorid. z Lege Vlyſſis Aldrovandi, & Antonii Tileſi araneam, necnon Gazæl pia Hilaria pag. 21.

## Niobe in marmor. FAB. 4.

LYdia tota fremit, Phrygiæque per oppida facti
Rumor it, & magnum ſermonibus occupat orbem
a Ante ſuos Niobe thalamos cognoverat illam,
Tum cùm Mæoniam virgo [b] Sipylúmque colebat:
Nec tamen admonita eſt pœnâ popularis Arachnes
Cedere cœlitibus, verbiſque [c] minoribus uti.

a Hanc Arachnen, utpote popularem ſuam & civem, noverat Niobe filia Tantali qui Phrygiæ & Lydiȩ imperitabat, priuſquam nuberet Amphioni Thebarum regi. b Opp. Lydiæ, infra verſ. 312. c Moderationibus, infra v. 368.





Multa dabant [d] animos: ſed enim nec [e] conjugis arces,
Nec [f] genus amborum, magnique potentia regni,
Sic placuére illi (quamvìs ea cuncta placerent)
Vt ſua progenies: Et [g] feliciſſima matrum
Dicta foret Niobe, ſi non ſibi viſa fuiſſet.
Nam ſata Tireſia venturi præſcia Manto
Per medias fuerat, [h] divino concita motu.
Vaticinata vias: [i] Iſmenides ite frequentes,
Et date Latonæ, Latonigeníſque duobus
Cum prece thura pia, [k] lauróq́; innectite crinem.
Ore meo Latona jubet. Paretur: & omnes
Thebaïdes juſsis ſua tempora frondibus ornant,
Thuráq́; dant ſanctis & verba precantia flammis.
Ecce venit comitum Niobe celeberrima turbâ,
Veſtibus intexto Phrygiis ſpectabilis auro,
Et, quantum ira ſinit, formoſa: movénſq́; decoro
Cum capite immiſſos humerum per utrumq́; capillos,
Conſtitit, utque oculos circumtulit alta ſuperbos,
Quis furor [l] auditos, inquit, præponere viſis
Cœleſtes? aut, cur colitur Latona per aras,
Numẽ adhuc ſine thure meũ eſt? Mihi Tantalus autor,
[m] Cui licuit ſoli ſuperorum tangere menſas;
[n] Pleiadum ſoror eſt genitrix mea; maximus Atlas
Eſt avus, [o] ætherium qui fert cervicibus axem,
[p] Iuppiter alter avus, [p] ſocero quoque glorior illo.
Me gentes metuunt Phrygiæ, me regia Cadmi

d Spiritus magnos & ſuperbificos. e Arx & turres in mœnibus Thebarum ut 178. v. infra. Me regiâ Cadmi ſub domina eſt, ædibuſque mei commiſſa mariti Mœnia. Amphionem autem, ſono teſtudinis à Mercurio ſibi donatæ, ſaxa ad Thebana mœnia extruenda traxiſſe notum eſt, vel ex Horatii epiſt. ad Piſones, Dicitur Amphion Thebanæ conditor arcis Saxa movere ſono teſtudinis, &c. unde & quidam legunt hic, *artes*. f Infra verſ. 172. & ſeq. g O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas! inquit Seneca lib. de Brevitate vitæ. Quàm multi fuiſſent felices niſi ita ſe putaſſent! Bonum, inquit idem epiſt. ult. tunc habebis tuum, cùm intelliges infeliciſſimos eſſe felices. h Ἐνθουσιαστική. Virg. 10. Æn. Fatidica Manto. i Thebanæ fœminæ; ab Iſmeno fl. Bœotiæ. k Propriè, ut quæ Apollini ſacra l. 1. v. 553. l Cætera divinitas, ut habet adulatoriè in præfatione Valerius, opinione colligitur: tua præſenti fide paterno avitoque ſideri par videtur. Reliquos enim Deos accepimus, Cæſares dedimus. m Conviva deorum. μακάρεσσι συνέστιος. Gallos Anthol. δς. ἀμοιβαῖα θεοῖσι δεῖπνα παρέχων Pindar. 1. Olymp. n Taygete, ut aliis. Euryanaſſa, quamvis hanc alterius Niobes matrem ſtatuunt. o Lib. 4. 628. & 655. p Tantali pater, & Amphionis conjugis mei.

*Sub dominâ eſt: ° fidibuſque mei commiſſa mariti*
*Mœnia cum populis à méque, viróque reguntur.*
*In quamcunque domûs adverti lumina partem,*
*Immenſæ ſpectantur opes: accedit eòdem*
*Digna dea facies; q huc natas adjice r ſeptem,*
*Et totidem juvenes, & mox generóſque, nurúſque.*
*Quærite nunc, habeat quam noſtra ſuperbia cauſam:*
*Quóque modo audetis genitam Titanida Cæo*
*Latonam præferre mihi, cui maxima quondam*
*Exiguam ſedem pariture terra negavit?*
*Nec cœlo, nec humo, nec aquis dea veſtra recepta eſt.*
*Exul erat mundo, donec miſerata vagantem,*
*Hoſpita tu terris erras, Ego, dixit, in undis,*
*Inſtabilémque locum Delos dedit. t Illa duorum*
*Facta parens: uteri pars hæc eſt ſeptima noſtri.*
*Sum felix: Quis enim neget hoc? felixque manebo.*
*Hoc quoque quis dubitet? Tutam me copia fecit.*
*Major ſum, quàm cui poſſit fortuna nocere:*
*Multáque, ut eripiat, multò mihi plura relinquet.*
*Exceſſere metum mea jam bona. Fingite demi*
*Huic aliquid populo natorum poſſe meorum:*
*Non tamen ad numerum redigar ſpoliata duorum.*
u *Ite x ſatis properè ſacris; laurùmque capillis*
*Ponite. Deponunt, & ſacra infecta relinquunt.*
*Quódque licet, tacito venerantur murmure numen*

q Supra verſ. 152. r De numero variant autores. Io. Tzetzes dicit fuiſſe duodecim: quos nominat l. 4. chil. 141. Sed vide Agell. lib. 20. cap. 7. Nat. Com. 6. lib. 13. cap. Ciofan. & Hygin. fab. 9. ſ Iurejurando obſtrinxerat Iuno terras omnes, ne parturienti Latonæ locum concederent; latuit tum ſub aquis Delos inſ. quam emergere juſſit Neptunus, & locum parturienti præbere: oras & littora circum Errantem Mycone celſa Gyaroque revinxit. Æneid. 3. Sed lege dialogum Iridis & Neptuni apud Lucianum in Dialogis marinis. quam inſ. Δῆλον dictam volunt, quòd cum diu ſub aquis latuiſſet, tandem apparuiſſet. cùm probabilius ſit ita dici, quòd Græcis oriri videatur Sol omnia apparere faciens inter Cycladas pone Delon, quam natalem Solis & Lunæ fingunt fluctuare, propter varium eorum, per Zodiacum moventium, ortum. Sunt qui erroris inſ. cauſſam crebris terræ motibus tribuunt. t Δύω φωςῆρας ὐρανὸς κέκτηται τὸν μεγάλως. ἐγὼ δὲ πόσους ζῶντάς τε λαλοῦντας καὶ ἐμψύχως, &c. Tzetzes 4. Chil. 141. u Diſcedite, deſiſtite ab his ſacris, deponite capiti coronas. x Al. *ſacris*. quam vocem emphaticè geminari volunt; aut ex his alteram exponi, *execrandis*.





*Latona. y Turba quantum diſtabat ab orbâ,*
*Tantum animoſa ſui furiis agitata doloris*
*Indignata dea eſt; ſummóque in vertice Cynthi,*
*Talibus eſt dictis gemina cum prole locuta:*
*En! Ego veſtra parens, vobis animoſa creatis,*
*Et niſi Iunoni nulli ceſſura dearum,*
*An dea ſim dubitor: pérque omnia ſecula cultis*
*Arceor, ô nati, niſi vos ſuccurritis, aris.*
*Nec dolor hic ſolus: diro convitia facto*
z *Tantalis adjecit, vóſque eſt poſtponere natis*
*Auſa ſuis, & me (a quod in ipſam b recidat!) orbam,*
*Dixit, & exhibuit linguam ſcelerata c paternam.*
*Adjectura preces erat his Latona relatis:*
*Deſine, Phœbus ait, pœnæ mora longa querela eſt.*
*Dixit idem Phœbe, celerique per aëra lapſis*
*Contigerant tecti d Cadmeïda nubibus arcem.*
*Planus erat, latéque patens prope mœnia e campus,*
*Aſſiduis pulſatus equis: ubi turba rotarum,*
*Duráque mollierat ſubjectas ungula glebas.*
*Pars ibi de ſeptem genitis Amphione fortes*
*Conſcendunt in equos, Tyrióque f rubentia ſucco*
f *Terga premunt: auro gravidis moderantur habenis.*
*E quibus Iſmenos, qui matri g ſarcina quondam*
g *Prima ſuæ fuerat, h dum certum flectit in orbem*
*Quadrupedis curſus, ſpumantiaque ora coërcet,*
*(Hei mihi!) conclamat: medióque in pectore fixa*
*Tela gerit, frænísque manu moriente remiſſis*
*In latus à dextro paulatim defluit armo.*

y Quantum verò numero ſuo diſtabat ab orbitate, tantum indoluit, indignatáque eſt deſpici illum numerum. Verſum illum, Tantum animoſa ſui furiis agitata doloris, tanquam adulterinum nido dejiciunt eruditiores aquilæ. in noſtris certe Mss. non apparet, uti nec in Vaticanis duob. teſtante Ciofano. qui & alias affert lectiones, ſanam tamen nullam. z Emphaticè. filia viri propter ſcelera ad Tartareas damnati pœnas. a Quod, dii priùs omen in ipſam Convertant. 2. Æneid. b *Decidat* ſubſtituunt οἱ ἐφεδρεύοντες τὸ πίπτον τῶ μέτρου. Sed quid opus, ubi paſſim productæ legantur primæ ſyllabæ in *retulit*, *repulit*, *reperit*, &c. c Tantali, cui pœnas improba lingua dedit: Τάνταλε καὶ δέ σε γλῶσσα διώλεσε καὶ σέο κῆρας. Antholog. δ. θ. d Thebas. e Hippodromus. f Equorum oſtro inſtratorum, mandent úmque ſub dentibus aurum. g Primogenitus. h Refert Homerus Iliad. ultim. periiſſe domi omnes, ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο. Tzetzes 4. Chil. 141. mares inter venandum, puellas domi. Ἀπόλλων μὲν τοὺς ἄρρενας θηρῶντας Κιθαιρῶνι, Ἡ Ἄρτεμις ἐν οἴκῳ δὲ τὰς κόρας καθημένας.

*Proximus audito ſonitu per inane pharetræ*
*Fræna dabat Sipylus: veluti cùm præſcius imbres*
*Nube fugit viſa, pendentiáque undique rector*
*Carbaſa deducit, nè quà levis effluat aura.*
*Frœna tamen dantem non evitabile telum*
*Conſequitur: ſummáq; tremens cervice ſagitta*
*Hæſit, & extabat nudum de gutture ferrum.*
*Ille, ut erat pronus, [i] per crura [i] admiſſa, jubaſque*
*Volvitur; & calido tellurem ſanguine fœdat.*
*Phædimus infelix, & aviti nominis hæres*
*Tantalus, ut ſolito finem impoſuêre [k] labori,*
*Tranſierant ad opus [l] nitidæ juvenile palæſtræ:*
*Et jam contulerant arcto luctantia nexu*
*Pectora pectoribus, [m] cùm tento concita nervo,*
*Sicut erant juncti, trajecit utrumque ſagittâ.*
*Ingemuêre ſimul; ſimul incurvata dolore*
*Membra ſolo poſuêre: ſimul ſuprema jacentes*
[n] *Lumina verſârunt; animam ſimul* [o] *exhalârunt.*
*Aſpicit Alphenor, laniataque pectora plangens*
*Evolat, ut gelidos complexibus allevet artus.*
*Inque pio cadit officio: Nam Delius illi*
*Intima fatifero rupit præcordia ferro.*
*Quod ſimul eductum eſt, pars eſt pulmonis in* [p] *hamis*
*Eruta:* [q] *cúmque anima cruor eſt effuſus in auras.*
*At non* [r] *intonſum ſimplex Damaſichthona vulnus*
*Afficit: ictus erat quà crus eſſe incipit, & quà*
*Mollia nodoſus facit internodia poples.*
*Dúmque manu tentat trahere exitiabile telum,*
*Altera per jugulum* [ſ] *pennis tenus acta ſagitta eſt:*
*Expulit hanc ſanguis ſeque ejaculatus in altum*
*Emicat, & longe terebratâ proſilit aurâ.*
*Vltimus Ilioneus non profectura precando*
*Brachia ſuſtulerat: Diique ô communiter omnes,*

i Per crura equi in curſum concitati, laxatis illi frænis. k Agitationi equorum. l Oleo quo ſe inungebant palæſtritæ. m Mss. noſtri & alii *contento*. i. e. extento. ſic infra verſ. 246. n Quæ in morte tremulo huc illuc horrore fluitant. ut ad verſ. 71. ſupra. Iam moriens oculis ſub nocte natantibus aurâ. o Spondæus in quintâ ſede moram animæ ægrè nec ſine luctâ è corpore migrantis exprimit. p Spiculo hamato. q Virg. de Rhæto, Purpuream vomit ille animam, Æneid. 9. &, multo vitam cum ſanguine fundit. ex illorum mente, qui ſanguinem animæ ſedem eſſe opinantur. r Crinitum, comatum. ſ Contrà quàm tradunt Grammatici. *Tenus* enim regit ſextum caſum ſingularem, & pluralem; genitivum verò dualem.

*Dixerat,*



*Dixerat,* [t] *ignarus non omnes eſſe rogandos,*
*Parcite. Motus erat, cùm jam revocabile telum*
*Non fuit. Arcitenens: minimo tamen occidit ille*
*Vulnere, non altè percuſſo corde ſagittâ.*
*Fama mali, populique dolor, lacrymæque ſuorum,*
*Tam ſubitæ matrem certam fecêre ruinæ,*
*Mirantem potuiſſe, iraſcentémque quod auſi*
*Hoc eſſent ſuperi, quòd tantum juris haberent.*
*Nam pater Amphion,* [u] *ferro per pectus adacto,*
*Finierat moriens pariter cum luce dolorem.*
*Heu! Quantum hæc Niobe Niobe diſtabat ab illa!*
*Quæ modò Latois populum ſummoverat aris,*
*Et mediam tulerat greſſus reſupina per urbem*
*Invidioſa ſuis: At nunc* [x] *miſeranda vel hoſti,*
[y] *Corporibus gelidis incumbit, & ordine nullo*
*Oſcula diſpenſat natos ſuprema per omnes.*
*A quibus ad cœlum* [z] *liventia brachia tollens,*
*Paſcere crudelis noſtro Latona dolore,*
*Paſcere, ait, ſatiáque meo tua pectora luctu,*
*Córque ferum ſatia, dixit: per* [a] *funera ſeptem*
[b] *Efferor; exulta, victrìxque inimica triumpha.*
*Cur autem victrix? Miſeræ mihi plura ſuperſunt*
*Quàm tibi felici: poſt tot quoque funera vinco.*
*Dixerat: & ſonuit contento nervus ab arcu,*
*Qui, præter Nioben unam, conterruit omnes.*
*Illa malo eſt audax: ſtabant cum veſtibus atris*
*Ante* [c] *toros fratrum demiſſo crine ſorores.*
*E quibus una trahens hærentia viſcere tela,*
*Impoſito fratri moribunda relangüit ore:*
*Altera ſolari miſeram conata parentem*
*Conticuit ſubito,* [d] *duplicatáque vulnere cæco eſt,*
*Oráque compreſſit, niſi poſtquam ſpiritus ibat.*

t Neſcius quinam eſſent rogandi. Latona ſc. & Latoidæ quos matris violârat ſuperbia. u Intellectâ filiorum morte, vitam pertæſus gladio ſibi in viſcera adacto interiit. x Ὡς καὶ παρ᾽ ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν. Sophoclis Ajax. Vel Priamo miſeranda domus. Diomedes. 11. Æn. Virg. y Fabius. Semeſtr. l. 3. c. 8. z Ex planctu. a Toties mihi viſa ſum mori, toties efferri ad funus, quoties alius atque alius filiorum interfectus eſt. b Mss. omnibus Herc. Cioſani ſubſcribunt mei, habentque verſum geminatum ad hunc modum: Per funera ſeptem dum pars noſtra jacet: & dum per funera ſeptem Efferor; exulta, &c. c Lectulos, in quibus erant ad funus compoſiti. d Incurvata cecidit vulnere fixa *certo*. ſic enim nonnulli legunt. mei libb. habent *duplicataque vulnere tota eſt*.

 *Hæc*

*Hæc fruſtra fugiens collabitur; illa ſorori*
*Immoritur; latet hæc; illam trepidare videres,*
*Séxque datis letho, diverſáque vulnera paſſis,*
*Vltima reſtabat, quam toto corpore mater,*
*Tota veſte tegens, Vnam, minimámque relinque,*
*De multis minimam poſco, clamavit, & unam:*
*Dúmque rogat, pro quâ rogat, occidit. e Orba reſedit*
*Exanimes inter natos, natáſque, virúmque,*
*f Diriguitque malis: nullos movet aura capillos;*
*In vultu color eſt ſine ſanguine; lumina mœſtis*
*Stant immota genis; nihil eſt in imagine vivum.*
*Ipſa quoque interiùs cum duro g lingua palato*
*Congelat, & venæ deſiſtunt poſſe moveri.*
*h Nec flecti cervix, nec brachia reddere geſtus,*
*Nec pes ire poteſt; intra quoque viſcera ſaxum eſt:*
*Flet tamen & validi circundata turbine venti*
*i In patriam rapta eſt, ubi fixa cacumine montis*
*Liquitur; & k lacrymis etiam nunc marmora manant.*

e Niobe, inquit Palæphatus, lapideam imaginem ſuam ſupra natorum ſuorum ſepulchrum poſuit. Notum eſt illud Agathiæ. Anthol. γ. Ὁ Τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν. Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον, Ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος. f Λιθωθεῖσα, petrefacta, quia ſtupefacta. Τὴν δὲ Νιόβην ἔφασαν ἔνδακρυν λίθον εἶναι, Οἷα παντὸς ἀναίσθητος ἐκ πάθους γεγονυῖα Πρὸς μόνον ἦν τὸ δάκρυον, Tzetzes 4. Chil. 141. g Quæ peccârat pars, luit pœnas. ἃ ἀχάλινος Ἀφροσύνα τίκτει πολλάκι δυστυχίαν. Anthol. 4. 9. h Ταύτην τὴν Νιόβην καὶ αὐτὸς εἶδον ἀνελθὼν ἐς τὸν Σίπυλον. Et ut hanc Niobem viderem, inquit Pauſanias in Atticis, Sipylum montem aſcendi qui prope aſſiſtenti neque mulieris neque lugentis formam oſtentat: qui verò procul aſpexerit, mulierem lacrymantem videre ſibi videbitur. i Thebis, inquit Apollodorus lib. 3. relictis vidua jam atque orba in Sipylum ad Tantalum patrem rediit, &c. k Vtrum hoc propter ſudorem ut videtur, marmoris; ubi aër, ad ſolidum & frigidum corpus condenſatur, mox fluit ſolutus? An à rupis aut metalli vapore falſo? Namque, Sipylum, referente Plinio l. 5. cap. 29. quod ante Tantalis vocabatur, caput eſt Mœoniæ, ubi nunc eſt ſtagnum ſale abundans.

## Ruſtici in Ranas. FAB. 5.

*TVnc verò cuncti manifeſtam l numinis iram*
*Fœmina virque timent: cultúque impenſius omnes*
*Magna gemellipara venerantur numina divæ.*

l Latonæ quam Terram volunt eſſe Phyſici, cui Iuno aëris regio infima adeoque humida obſtitit quo minùs duo nova lumina viderentur. Quę tamē ubi emerſiſſent, Pythona cæteroſq; craſſi aëris vapores ſagittis i. radiis ſuis confecerunt. Iupiter autem ex Latonâ h. e. Deus ex tenebris creavit lucem & luminaria.

Vtque



*Vtque ſit, à facto propiore priora renarrant.*
*E quibus unus ait: Lyciæ quoque fertilis agris*
*Non impunè deam veteres ſprevêre coloni.*
*Res obſcura quidem eſt ignobilitate virorum,*
*Mira tamen: vidi præſens ſtagnumq́; locúmque*
*Prodigio motum. Nam me jam grandior ævo,*
*Impatiénſque viæ genitor, deducere lectos*
*Iuſſerat indè boves, m gentiſque illius eunti*
*Ipſe ducem dederat: cum quo dum paſcua luſtro,*
*(Ecce!) lacu medio n ſacrorum nigra favillâ*
*Ara vetus ſtabat tremulis circundata cannis.*
*Reſtitit; & o pavido faveas mihi, murmure dixit*
*Dux meus: & ſimili, faveas mihi, murmure dixi.*
*Naïadum, Faunique foret tamen ara rogabam,*
*Indigenæve dei: cùm talia retulit hoſpes.*
*Non hâc, ô juvenis, montanum numen in arâ eſt:*
*Illa ſuam vocat hanc; cui quondam regia conjux*
*p Orbem interdixit, quam vix erratica Delos*
*Errantem accepit, tunc cùm levis inſula nabat.*
*Illic incumbens cum q Palladis arbore palmæ,*
*Edidit invitâ geminos Latona r novercâ:*
*Hinc quoque Iunonem fugiſſe ſ puerpera fertur,*
*Inque ſuo portâſſe ſinu duo numina natos.*
*Iámque t Chimæriferæ, cúm Sol gravis ureret arva,*
*Finibus in Lyciæ, longo dea feſſa labore,*
*Sidereo ſiccata ſitim collegerat æſtu*
*Vberáque ebiberant avidi lactantia nati.*

m Mihi itineris ducem addidit Lycium. n Sacrificiorum cinere nigra ara. o Religioſo. Vt fermè religioſis viantium moris eſt, cùm lucus aliquis aut locus ſanctus in viâ oblatus eſt, veniam poſtulare, &c. Apuleius auſpicatus Florida. Sunt qui legunt parvo h. e. ſummiſſo. p Reſpice quæ ad v. 186. ſupra.

q Ἔνθα πρωτόγονός τε φοῖνιξ Δάφνα θ' ἱερὰς ἀνέσχε Πτόρθους Λατοῖ φίλα, Euripides in Hecubâ. ὅτε μέν σε θεὰ τέκε πότνια Λητὼ Φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαψαμένη. Theognis δρεψαμένη δύο φυτῶν, ἐλαίας καὶ φοίνικος, διδύμους ἀπεκύησε παῖδας. Euſtath. in Homer. Il. α. Catullus in ſeculari ad Dianam; Quam mater prope Deliam Depoſuit olivam. Et mos eſt, ut habet Apollonii ſcholiaſtes, parturientium, proxima quæque apprehendere, ut ſic dolores ſublevent enixiùs. r Iunone, novercali uſque odio proſecutâ pellicum liberos. ſ Latona à partu recens. t Chimæra mons eſt Lyciæ ignivomus à Bellerophonte habitabilis creditus. Quem fabulati ſunt monſtrum triforme. ut eſſet: Πρόσθε λέων, ὄπισθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος. interpretantur autem montem, cujus pars ſumma leonibus, media igne, ima ſerpentibus infeſtatur. aut Ethicè amorem, qui cum impetu invadit, per libidinem progreditur, in fine aculeos doloris & pœnitentiæ poſt ſe relinquit. l. 9. v. 648.

Fortè

*Fortè* [u] *lacum mediocris aquæ proſpexit in imis*
*Vallibus: agreſtes illìc fruticoſa legebant*
*Vimina cum juncis, gratámque paludibus ulvam.*
*Acceſſit, poſitôque genu Titania terram*
*Preſſit, ut hauriret gelidos potura liquores:*
*Ruſtica turba vetat. Dea ſic affata vetantes,*
*Quid prohibetis aquas? uſus* [x] *communis aquarum eſt.*
*Nec ſolem proprium natura, nec aëra fecit,*
*Nec tenues undas: ad publica munera veni.*
*Quæ tamen ut detis, ſupplex peto. Non ego noſtros*
*Abluere hîc artus laſſataque membra parabam,*
*Sed relevare ſitim: caret os humore loquentis,*
*Et fauces arent, vixque eſt via vocis in illis.*
[y] Hauſtus aquæ mihi nectar erit, vitámq; fatebor
Accepiſſe: ſimul vitam dederitis in undis.
*Hi quoque vos moveant, qui noſtro brachia tendunt*
*Parva ſinu:* [z] *& caſu tendebant brachia nati.*
*Quem non blanda deæ potuiſſent verba movere?*
*Hi tamen orantem perſtant prohibere, mináſque,*
*Ni procul abſcedat: convitiáq; inſuper addunt.*
*Nec ſatis eſt: ipſos etiam pedibúſque, manúque,*
*Turbavére lacus, imóque è gurgite mollem*
*Huc illùc limum ſaltu movêre maligno.*
[a] *Diſtulit ira ſitim: neque enim jam filia Cœi*
*Supplicat indignis, nec dicere ſuſtinet ultrà*
*Verba* [b] *minora Dea; tollénſque ad ſidera palmas,*
*Æternùm ſtagno, dixit, vivatis in iſto.*
*Eveniunt optata deæ. Iuvat eſſe ſub undis,*
*Et modò tota cavâ ſummergere membra palude,*
*Nunc proferre caput, ſummo modò gurgite nare;*

u Fontem Melam vocat Probus ad Virg. Georg. 1. l. & paſtorem, qui prohibebat Neoclem. x Iure naturæ multa ſunt communia, quædã jure gentium. y Malè verum examinat omnis Corruptus judex. Hor. Sat. 2. l. 2. malè de cibo potuque judicat palatum luxu corruptũ. Diſcite quàm parvo liceat producere vitam, Et quantum natura petat. non erigit ægros Nobilis ignoto diffuſus Conſule Bacchus; Non auro myrrhâque bibunt: ſed gurgite puro Vita redit. ſatis eſt populo fluviuſque Ceresque. Lucan. 4. verſ. 377. Deus nullius rei indiget; ille proximus accedit ad Deum, qui pauciſſimis indiget. vel ab hac Deâ diſce parvo eſſe contentus, & illam vocem magnus atque animoſus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam, Iovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus. Senec. epiſt. 110. z Feſtivum πάθος, atque ingenioſiſſimus conceptus poetæ. cujuſmodi & alium exhibet 3. Faſtor. ubi infantes in ſinu Sabinarum intervenientium geſtu & clamore prælium dirimere, conciliationem ſuadere videntur. a Ad tempus ſedavit, intermiſit. Aliis placet lect. *ſuſtulit*. b Quàm decerent Deam.

*Sæpe*



*Sæpe ſuper ripam ſtagni conſiſtere: ſæpe*
*In gelidos reſilire lacus: ſed nunc quoque turpes*
*Litibus exercent linguas, pulſóque pudore,*
*Quamvis ſint* [c] *ſub aquâ, ſub aquâ maledicere tentant.*
*Vox quoque jam rauca eſt, inflataq; colla tumeſcunt,*
*Ipſáque dilatant patulos convitia rictus,*
*Terga caput tangunt, colla intercepta videntur:*
*Spina viret; venter, pars maxima corporis, albet;*
*Limoſóque novæ ſaliunt in gurgite ranæ.*

c Repetitio immediata harum vocum *ſub aquâ, ſub aquâ* ranarum coaxationem eleganter exprimit.

## Satyrorum, Nympharum, Ruſticorúmque lacrymæ in flumen. FAB. 6.

*SIc ubi neſcio quis Lycia de gente virorum*
*Rettulit; exitium Satyri reminiſcitur alter*
*Quem* [d] *Tritoniacâ Latoüs arundine victum*
*Affecit pœnâ. Quid me mihi detrahis? inquit:*
*Ah! piget: ah! non eſt, clamabat, tibia tanti.*
*Clamanti cutis eſt ſummos direpta per artus,*
*Nec quicquam niſi vulnus erat: cruor undiq; manat,*
*Detectiq; patent nervi, tripidæque ſine ulla*
*Pelle micant venæ. Salientia viſcera poſſes,*
*Et perlucentes numerare in pectore fibras.*
*Illum ruricolæ ſylvarum numina Fauni,*
*Et Satyri fratres, & tunc quoq; clarus* [e] *Olympus,*
*Et Nymphæ flêrunt, & quiſquis montibus illis*

d Pallas & ipſa Tritonia, conſpectâ in Tritonide palude oris ſui deformitate dum tibias à ſe inventas inflaret, indignata eas abjecit. Reperit Marſyas Satyrus, earumq e ſono in tantum ſibi placuit ut ipſum Apollinem in Muſicæ certamen provocare auſus fuerit. à quo victus eſt & excoriatus, leges certaminis, progreſſus, ſucceſſum lege apud Diodorũ l. 4. Ovid. Faſtorum 6. l. Athen. 14. l. 2. c. Xenophon ἀναβάσεως α. refert Marſyam victum ab Apolline & excoriatum ἐρίζοντα οἱ περὶ σοφίας. & Tzetzi eſt Μαρσύας φρὺξ φιλόσοφος εὗρεν αὐλοὺς τὸ πρῶτον, &c. 1 Chil. 15. Aliter refert fab. Marſyæ Apuleius 1. Floridorum. Niſi fortè tibia dici poſſit Tritoniaca à Tritonide palude, juxta quam Lotus materia tibiis apta, & Lotophagi. e Satyrus Marſyæ diſcipulus, Tzetzes 1 Chil. 15. Οὗτος δ' ὁ παῖς Υάγνιδος τὸν Ὄλυμπον διδάσκει. & Ovid. 3. eleg. 2. de Ponto. Meminit & Olympi cujuſdam Diodor. l. 4. Iovi puero præfecti, à quo eruditus & ad virtutem inſtitutus, Olympius dictus eſt. Sed & Strabo l. 10. Σειληνὸν καὶ Μαρσύαν καὶ Ὄλυμπον συνάγοντες εἰς ἓν, καὶ εὑρετὰς αὐλῶν ἱστοροῦντες.

*Lani-*

Lanigeróſque greges, armentáque [f] bucera pavit.
Fertilis immaduit, madefactáque terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis.
Quas ubi fecit aquas, vacuas emiſit in auras.
Inde petens rapidum ripis declivibus æquor,
[g] Marſya nomen habet, Phrygiæ liquidiſsimus amnis.

f Quibus cornua ſunt bubula vel magna à βȣ particulâ intenſiva. g Iſti loco, inquit Strabo l. 12. adſignant fabulam Olympi & Marſyæ, & certamen Marſyæ & Apollinis. Supernè eſt palus calamos proferens, ad tibiarum lingulas aptos. unde fortaſſe occaſio fab. ex hâc palude oriuntur & Marſyas fl. & Mœander. de utroque Max. Tyrius.

## Pelopis humerus è carneo in eburneum. FAB. 7.

TAlibus exemplis redit ad præſentia dictis
Vulgus: & extinctum cum ſtirpe Amphiona luget.
[h] Mater in invidia eſt: hanc tunc quoque dicitur unus
Fleſſe Pelops, humeróque ſuas à pectore poſtquam
Deduxit veſtes, ebur oſtendiſſe ſiniſtro.
Concolor huic humerus naſcendi tempore dextro,
Corporeúſque fuit, manibus mox cæſa paternis
Membra ferunt junxiſſe deos: aliíſque repertis,
[i] Qui locus eſt juguli medius, ſummíque lacerti,
Defuit, impoſitum eſt non comparentis in uſum
Partis ebur; factóque Pelops fuit integer illo.

h Niobe Tantali filia, ſoror Pelopis. qui in luctu ob ſororem veſtes dilacerans ad planctum, vel mutaturus purpureas pullis, ut infra verſ. 507. oſtendit humerum eburneum. quem ſuppleverant Dii quos excepiſſet Tantalus, iiſque filium inter alias epulas appoſuiſſet, abſtinuerunt cæteri, Ceres ſola ex humero decerptum edit. Pindarus 1. Ode Olymp. i Humerus.

## Progne, Philomela, Tereus, & Itis in aves. FAB. 8.

FInitimi proceres coëunt; urbéſque propinquæ
Oravêre ſuos ire ad ſolatia reges,
[k] Argóſque, & Sparte, [l] Pelopeïadeſque Mycenæ,

k Ἀργός τε, Σπάρτη τε, εὐρυάγυιά Μυκήνη Hom. 4. Iliad. l Διὰ τὴν τῶν Πελοπιδῶν εἰς Μυκήνας μετίδρυσιν. inquit Strabo. l. 8. Namque Agamemnon rerum potitus, Argolicum regnum Mycenæo adjecit: Laconicum Menelaus tenuit.





Et nondum [m] torva Calydon inviſa Dianæ,
[n] Orchomenóſque ferax, & [o] nobilis ære Corinthos,
Meſſenéque ferox, Patræque [p] humiléſque Cleonæ,
Et [q] Nelea Pylos, [r] nec adhuc Pittheïa Trœzen,
[ſ] Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab Iſthmo,
[t] Exteriúſque ſitæ bimari ſpectantur ab Iſthmo.
Credere quis poſſet? [u] Solæ ceſſaſtis Athenæ.
Obſtitit officio bellum: ſubvectáque ponto
Barbara Cecropios terrebant agmina muros.
[x] Threïcius Tereus hæc auxiliaribus armis
Fuderat; & clarum vincendo nomen habebat.
Quem ſibi [y] Pandion [z] opibúſque viriſque potentem,
Et genus à magno ducentem fortè Gradivo,
Connubio Prognes junxit. [a] Non pronuba Iuno,
Non Hymenæus adeſt, non illi Gratia lecto.
Eumenides tenuêre faces de funere raptas,
Eumenides ſtravêre torum, tectóque [b] profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine ſedit.
Hac ave conjuncti Progne Tereúſque, parentes
Hac ave ſunt facti. gratata eſt ſcilicet illis
Thracia, diiſque ipſis grates egêre; diémque
Quóque data eſt claro Pandione nata tyranno,
Quóque erat ortus Itys, feſtum juſſêre vocari.
Vſque adeò latet utilitas. Iam tempora Titan
Quinque per autumnos repetitis duxerat annis,
Cùm blandita viro Progne, Si gratia, dixit,
Vlla mea eſt; vel me viſendam mitte ſorori,
Vel ſoror huc veniat; redituram tempore parvo.
Promittes ſocero: Magni mihi muneris inſtar
Germanam vidiſſe dabis. Iubet ille carinas
In freta deduci; velóque & remige portus

m Iratæ, immiſſo in Calydonios agros apro, quòd Oeneus Ætoliæ rex primitias Diis obtuliſſet præteritâ Dianâ. l. 8. n Arcadiæ opp. Neque enim hîc de illo Bœotiæ mentio. o Corintho à L. Mummio captâ & incensâ, in commune fluxit, quicquid erat in ſtatuis & vaſis auri, argenti, æris. Florus l. 2. cap. 16. Plin. 34. l. cap. 1. p Πόλισμα inter Argos & Corinthum. Strab. 8. q Neleo Neſtoris patri regnata. r Nondum Pittheus Theſei avus maternus ibi regnavit. ſ Vrbes aliæ Peloponneſiacæ, quas claudit Corinthus ἀμφιθάλασσος in Iſthmo inter Ægæum & Ionium mare ſita. t Vrbeſque Achaicæ, extra Iſthmum. u Quis crederet urbem humanitatis ſtudiis claram defuturam officio? ſed excuſanda erat, quippe obſidione preſſa à barbaris, forte Amazonum, copiis. x Thraciæ rex, filius Martis. y Rex Athenarum. z Δυνάμεως ἕνεκα inquit Pauſanias in Atticis, ſibi regem Thraciæ affinitate junxit. a De inauſpicatis nuptiis, vide quæ nos ad Senecæ Medeam 15. v. Octav. v. 23. & ad Lucanum lib. 2. verſ, 255. & deinceps. Virg. 4. Æneid. b Dirum mortalibus omen. l. 5. v. 550.

*Cecropios intrat,*[c] *Piræáque litora tangit.*
*Ut primùm ſoceri data copia, dextera dextræ*
*Iungitur, infauſto committitur omine ſermo.*
*Cœperat adventûs cauſas, mandata referre*
*Conjugis, & celeres miſſæ ſpondere recurſus.*
[d] *Ecce! venit dives magno Philomela paratu,*
*Divitior forma: quales audire ſolemus*
*Naiadas, & Dryadas mediis incedere ſylvis,*
*Si modò des illis cultus, ſimiléſque paratus.*
*Non ſecus exarſit conſpecta virgine Tereus,*
*Quam ſi quis canis ignem ſupponat ariſtis,*
*Aut frondem, poſitáſque cremet fœnilibus herbas.*
*Digna quidem facies; ſed & hunc innata libido*
*Extimulat, pronúmque genus regionibus illis*
*In Venerem: flagrat vitio gentiſque ſuóque.*

c Piræum, inquit Pauſanias in Atticis, δῆμον μὲν ἐκ παλαιοῦ, navale & portum fecit Themiſtocles, namque Phalerum priùs navale fuerat Athenis.

d Ne à noſtris pura vacet margo, néve amatoriis impura ſordeat; adnectere viſum eſt fabulam, uti alias refertur ab Ant. Liberali. cujus Metamorphoſ. liber rarior eſt. Πανδάρεως ᾤκει τῆς γῆς Ἐφεσίας, &c. Pandareus in agro Epheſo habitavit. Huic filia erat Aëdon, quam in matrimonium dedit Polytechno fabro qui Colophone Lydi[æ] habitavit. His unicus erat filius Itys. Ex diſſidio cum uxore Polytechnu[s] ad ſocerum proficiſcitur. ibi ſimulat ſe ab uxore miſſum ad adducendam ſe[-] cum ſororem Chelidonem. Pandareus nihil ſuſpicatus mali, filiam Chelidonem illi committit. Cui Polytechnus in ſylvâ virginitatem eripit. tonſo de[-] inde capite, aliis eam veſtibus induit, mortem minatus, ſi quid horum un[-] quam Aëdoni indicaſſet. ita domum reverſus eam ancillæ loco uxori tradit. Aliquandiu eam ſoror operis exigendis attrivit: donec Chelidonis cum ur[-] nâ ad fontem deplorans calamitatem ſuam, à ſorore exaudita eſt. Ubi ver[ò] ſe mutuò agnoverunt, malum ilico Polytechno machinabantur. Filium eju[s] in fruſta conciderunt, carnes in ollam conjectas coxerunt. cúmque Aëdo[n] vicino ſuo mandaſſet, ut Polytechnum eas edere juberet, ipſa cum ſoror[e] ad patrem Pandareum pervenit, indicavitque in quas deveniſſet miſeria[s]. Polytechnus, cognito ſe filii ſui carnes epulatum fuiſſe, eas ad patrem uſq[ue] inſequutus eſt. Famuli eum Pandarei, quod tantum familiæ Pandarei pro[-] brum intuliſſet, correptum vinculis conſtrinxerunt; corpuſque melle inun[-] ctum in paſcuum projecerunt. ubi cùm muſcæ eum vexarent, Aëdon priſtin[i] amoris memor, eum miſerata, muſcas abigebat. Quod ubi deprehendiſſen[t] parentes & frater, odio concitati eam interficere ſtatuerunt. Sed Iupite[r] Pandareum miſeratus antequam graviora in domum ejus inciderent mala, eos omnes in aves convertit. quæ partim ad mare provolabant, partim in aë[-] rem ſubvolârunt. Pandareus mutatus eſt in Halyæetum, mater Aëdonis [in] Halcyonem: ſeque ſtatim in mare dejicere voluerunt. ſed id Iupiter prohi[-] buit. Polytechnus in Pelecanem tranſiit, quòd ei Vulcanus fabricanti ſe[-] curim dediſſet. Frater Aëdonis upupa extitit. Aëdon in luſciniam verſ[a] circum fluvios & nemora filium Ityn deplorat. Chelidonis hirundo fa[cta] eſt, hominum contubernalis Dianæ beneficio, quòd invita virginitatem ami[-] ſerat plurimùm invocatâ Dianâ.

Impetu[s]



*Impetus eſt illi comitum corrumpere curam*
*Nutricíſque fidem, nec non ingentibus ipſam*
*Sollicitare datis, totúmque impendere regnum,*
*Aut rapere, & ſævo raptam defendere bello:*
*Et nihil eſt, quod non effræno captus amore*
*Auſit, nec capiunt incluſas pectora flammas.*
*Iámque moras malè fert, cupidóque revertitur ore*
*Mandata ad Prognes, & agit ſua vota ſub illâ.*
Facundum faciebat amor: *quotiéſque rogabat*
*Ulteriùs juſto; Prognen ita velle ferebat.*
*Addidit & lacrymas, tanquam mandâſſet & illas.*
Proh ſuperi! Quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent! *Ipſo ſceleris molimine Tereus*
*Creditur eſſe pius, laudémque à crimine ſumit.*
*Quid quòd idem Philomela cupit? patrióſque lacertis*
*Blanda tenens humeros, ut eat viſura ſororem,*
*Pérque ſuam contráque ſuam petit illa ſalutem?*
*Spectat eam Tereus, prǽcontrectátque videndo,*
*Oſculáque, & collo circumdata brachia cernens,*
*Omnia pro ſtimulis, facibúſque ciboque furoris*
*Accipit: &, quoties amplectitur illa parentem,*
*Eſſe parens vellet; neque enim minùs impius eſſet.*
*Vincitur amborum genitor prece. gaudet, agitque*
*Illa patri grates, & ſucceſſiſſe duabus*
*Id putat infelix, quod erat lugubre duabus.*
*Iam labor exiguus Phœbo reſtabat: equique*
*Pulſabant pedibus ſpatium declivis Olympi.*
*Regales epulæ menſis, & Bacchus in auro*
*Ponitur: hinc placido tradant ſua corpora ſomno:*
*At rex Odryſius quamvis ſeceſſit ab illâ,*
*Æſtuat: & repetens faciem, motúmque, manúſque,*
*Qualia vult fingit. quæ nondum vidit, & ignes*
*Ipſe ſuos nutrit, cura removente ſoporem.*
*Lux erat, & generi dextram complexus euntis*
*Pandion, comitem lacrymis commendat obortis:*
*Ut voluêre ambæ, voluiſti tu quoque Tereu;*
*Hanc ego, chare gener, quoniam pia cauſa coëgit,*
*Do tibi: pérque fidem, cognatáque pectora ſupplex,*

*Per*

Per ſuperos oro, patrio ut tuearis amore;
Et mihi ſollicito lenimen dulce ſenectæ,
Quamprimùm (omnis erit nobis mora longa) remittas.
Tu quoq; quamprimùm (ſatis eſt procul eſſe ſororem)
Si pietas ulla eſt, ad me Philomela redito.
Mandabat, pariterque ſuæ dabat oſcula natæ:
Et lacrymæ mites inter mandata cadebant.
Vt pignus fidei dextras utráſque popoſcit,
Inter ſeque datas junxit, natamque nepotémque
Abſentes pro ſe memori, rogat, ore ſalutent:
Supremúmque vale pleno ſingultibus ore
Vix dixit, timuítque ſuæ præſagia mentis.
Vt ſimul impoſita eſt pictæ Philomela carinæ,
Admotúmque fretum remis, [e] tellusq; repulſa eſt:
Vicimus, exclamat, mecum mea vota feruntur;
Exultátque, & vix animo ſua gaudia differt
Barbarus, & nuſquam lumen detorquet ab illâ.
[f] Non aliter quàm cùm pedibus prædator aduncis
Depoſuit nido leporem Iovis ales ab alto:
Nulla fuga eſt capto; ſpectat ſua præmia raptor.
Iámque iter effectum eſt, jamq; in ſua littora feſſis
Puppibus exierant; cùm rex Pandione natam
In ſtabula alta trahit ſylvis obſcura vetuſtis.
Atque ibi pallentem, trepidamq;, & cuncta timentem,
Et jam cum lacrymis ubi ſit germana rogantem
Includit: [g] faſſusq; nefas, & virginem, [h] & unam
Vi ſuperat, fruſtra clamato ſæpe parente,
Sæpe ſorore ſua, magnis ſuper omnia divis.
Illa tremit velut agna pavens, quæ ſaucia cani
Ore excuſſa lupi, nondum ſibi tuta videtur;
Vtque columba ſuo madefactis ſanguine plumis
[i] Horret adhuc, avidóſq; timet, quibus hæſerat, ungues:
Mox ubi mens rediit, paſſos laniata capillos,

e Hypallage. vel ita judicante oculo, qui motu conſpecto ſe quieſcere ſibi viſus terram retrocedere opinatur. Provehimur portu, terræque urbeſque recedunt. 3. Æneid. vide quæ nos ad 466. verſ. l. 11.

f Qualis ubi aut leporem aut candentem corpore cycnum Suſtulit alta petens pedibus Iovis armiger ales. Virg. 3. Georg. g Nefandum profeſſus amorem. h Aliter refertur hæc fabula ab Hygino. Tereus Athenas ad Pandionem ſocerum venit rogatum, ut Philomelam alteram filiam ſibi in conjugium daret: Prognen ſuum diem obiiſſe. Pandion ei veniam dedit, Philomelam & cum illa cuſtodes miſit: quos Tereus in mare præcipitavit: Philomelam deinde in monte compreſſit. fab. 45. i Terretur minimo pennæ ſtridore columba, unguibus accipiter ſaucia facta tuis. Ovid. Triſt. 1, l, 1. Eleg.

Lugenti



Lugenti ſimilis, cæſis plangore lacertis,
Intendens palmas. O diris barbare factis,
O crudelis! ait. Nec te mandata parentis
Cum lacrymis movêre piis, nec cura ſororis,
Nec mea virginitas, nec [k] conjugialia jura?
Omnia turbâſti; pellex ego facta ſororis,
Tu geminus conjux, hoſtis mihi, [l] debita pœna.
Quin animam hanc (nè quod facinus tibi, perfide, reſtet)
Eripis? Atque utinam feciſſes ante nefandos
Concubitus! Vacuas habuiſſem criminis umbras.
Si tamen hoc ſuperi cernunt, ſi numina divûm
Sunt aliquid, ſi non perierunt omnia mecum;
[m] Quandocunque mihi pœnas dabis, ipſa pudore
Projecto tua facta loquar, ſi copia detur,
In populos veniam; ſi ſylvis clauſa tenebor,
Implebo ſylvas, & conſcia ſaxa movebo.
Audiat hoc æther, & ſi deus ullus in illo eſt.
Talibus ira feri poſtquam commota tyranni,
[n] Nec minor hac metus eſt, cauſa ſtimulatus utráq;,
Quo fuit accinctus, vagina liberat enſem.
Arreptamq; coma, flexis poſt terga lacertis
Vincla pati cogit: jugulum Philomela parabat,
Spemque ſuæ mortis viſo conceperat enſe.
Ille indignantem, & nomen patris uſque vocantem,
Luctantémque loqui, comprenſam forcipe linguam
[o] Abſtulit enſe [p] ferox, radix micat ultima linguæ,
[q] Ipſa jacet, terræque tremens immurmurat atræ.
[r] Vtque ſalire ſolet mutilatæ cauda colubræ;
Palpitat, & moriens dominæ veſtigia quærit.
Hoc quoque poſt facinus (vix auſim credere) fertur
Sæpe ſua lacerum repetiſſe libidine corpus.
Suſtinet ad Prognen poſt talia facta reverti,
Conjuge quæ viſo germanam quærit: at ille

k Reſpice quæ ad 3. verſ. l. 5.

l Quam mereor quæ te comitabar. Sed And. Naugerius excuſum habet, non hæc mihi debita pœna. quam lectionem & ex meis Mss. unus agnoſcit.

m Aliquando.

n Ad iram accedit etiam metus, nequando prodatur hoc ſcelus.

o Al. Abſcidit, Anacreon hirundini, de qua infra, 643. verſ. ἢ μᾶλλον ἔνδοθεν σευ γλῶσσαν, ὡς ὁ Τερεὺς ἐκεῖνος, ἐκθερίξω Ἀθέσμως ταύτῃ δὲ μιγεὶς γλῶτταν αὐτῇ θερίζει. Io. Tzetzes 7. Chil. 142.

p Al. ſero. q Lingua. r Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens. Ærea quem obliquum rota tranſiit, aut gravis ictu Seminecem liquit ſaxo, lacerumque viator, &c. Æn. 5.

Dat

*Dat gemitus fictos ſ commentaque funera narrat.*
*Et lacrymæ fecêre fidem: velamina Progne*
*Deripit ex humeris auro fulgentia lato,*
*Induitúrque atras veſtes; & inane ſepulchrum*
*Conſtituit, falsóſque piacula manibus infert,*
*Et luget non ſic lugendæ fata ſororis.*
*Signa t deus bis ſex acto luſtraverat anno.*
*Quid faciat Philomela? Fugam cuſtodia claudit,*
*Structa rigent ſolido ſtabulorum mœnia ſaxo:*
*Os mutum facti caret indice.* u GRANDE doloris
Ingenium eſt, miſeriſq; venit ſolertia rebus.
x *Stamina barbarica ſuſpendit candida telâ,*
*Purpureáſque notas filis intexuit albis,*
*Indicium ſceleris, perfectaque tradidit uni,*
*Vtque ferat dominæ, geſtu rogat: illa rogata*
*Pertulit ad Prognen, nec ſcit quid tradat in illis.*
*Evolvit y veſtes ſævi matrona tyranni,*
*Fortunæque ſuæ z carmen miſerabile legit.*
*Et (mirum potuiſſe) ſilet: dolor ora repreſſit,*
*Verbaque quærenti ſatis indignantia linguæ*
*Defuerant; nec flere vacat; ſed faſque nefaſque*
*Confuſura ruit, pœnæque in a imagine tota eſt.*
*Tempus erat, quo ſacra ſolent b Trieterica Bacchi*
c *Sithoniæ celebrare nurus: nox conſcia ſacris.*
*Nocte ſonat Rhodope tinnitibus æris acuti,*
*Nocte ſua eſt egreſſa domo regina; deíque*
*Ritibus inſtruitur, d furialiáq; accipit arma.*
*Vite caput tegitur, lateri e cervina ſiniſtro*
e *Vellera dependent, humero levis incubat haſta.*
*Concita per ſylvas, turba comitante ſuarum,*
*Terribilis Progne, furiiſq; agitata doloris,*
*Bacche, tuas ſimulat. Venit ad ſtabula avia tandem*

ſ Iis qui peregrè interierant, extruebantur κενοτάφια, imaginaria ſepulchra ad placandos defunctorum manes tranſitumque Stygium impetrandum. t Apollo, Sol. & eſt anni notatio. u O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium! Martial. 14. ep. Spect. x Ἰςῷ ποικίλμασι ςόματι χειςαμένη. Tzetzes 7. Chil. 142. ἰςοπόνος φιλομήλη Μαρτυρέην βοόωσα λιπογλώσσοιο σιωπῆς. Nonn. Dionyſ. 12.

y Telam illam candidam purpureis inſcriptam literis. Sic & Nonnus, ib. Δαίδαλα φωνήεντα σοφῷ γράψασα χιτῶνι. z Narrationem, indicium. lege ſis. l. 1. Antholog. c. 9. qualia verba ſcripſiſſe potuerit Philomela ad ſororē. alterum epigr. orditur Σός με πόσις κακοεργὸς … σπήλυγγι βαθείῃ. alterum, Χαῖρε Πρόκνη παρὰ σεῖο κασιγνήτης, &c. a Vindictæ parilis imaginatione. b Orgia tertio quoq; anno repetita in memoriam triennalis expeditionis Liberi patris in Indiam. c Thraciæ mulieres. Sithonia regio eſt Thraciæ. d De Bacchanalium immanitate, vide quæ ad 528 v. l. 3. e Nebrides.

Exu-



*Exululátque f Evoëque ſonat, portáſque refringit;*
*Germanámque rapit, raptæque inſignia Bacchi*
*Induit, & vultus hederarum frondibus abdit,*
*Attonitámque trahens intra ſua mœnia ducit.*
*Ut ſenſit tetigiſſe domum Philomela nefandam,*
*Horruit infelix, totóque expalluit ore.*
*Nacta locum Progne, g ſacrorum pignora demit,*
*Oráque develat miſeræ pudibunda ſororis,*
*Amplexúmque petit. Sed non attollere contrà*
*Suſtinet hæc oculos, pellex ſibi viſa ſororis:*
*Deiectóque in humum vultu, jurare volenti,*
*Teſtaríque deos, per vim ſibi dedecus illud*
*Illatum, pro voce manus fuit: ardet & iram*
*Non capit ipſa ſuam Progne, fletúmque ſororis*
*Corripiens, Non eſt lacrymis hoc, inquit, agendum,*
*Sed ferro; ſeu, ſi quid habes, quod vincere ferrum*
*Poſſit. In omne nefas ego me germana paravi.*
*Aut ego cum facibus regalia tecta cremabo,*
h *Artificem mediis immittam Terea flammis*
*Aut linguam, aut oculos, &, quæ tibi membra pudorē*
i *Abſtulerunt, ferro rapiam, aut per vulnera mille*
*Sontē animā expellam: Magnū eſt, quodcunq; paravi;*
*Quid ſit, adhuc dubito. Peragit dum talia Progne,*
*Ad matrem veniebat k Itys quid poſſit, ab illo*
*Admonita eſt oculiſque tuens immitibus, Ah! Quàm*
*Es ſimilis patri! dixit, nec plura locuta*
*Triſte parat facinus, tacitaque exæſtuat irâ.*
*Vt tamen acceſſit natus, l matrique ſalutem*
*Attulit, & parvis adduxit colla lacertis,*
*Miſtaque blanditiis puerilibus oſcula junxit:*
*Mota quidem eſt genitrix, m infractáq; conſtitit ira,*
*Invitique oculi lacrymis maduêre coactis.*
*…ſimul ex nimia mentem pietate labare*
*…ſit, ab hoc iterum eſt ad vultus verſa ſororis:*
*…nque vicem ſpectans ambos, Cur admovet, inquit,*

f L. 4. v. 523 g Habitū & ornatū Bacchantis, quo modò Philomelam in ſimulatis Orgiis diſſimulârat, exuit. h Autorem, actorē ſceleris hujus, inceſtûs nefandi. i Syſtole. quidā lib. habent *Abſtulerant*. alii *Abſtulerint*. k Ex Helladio Photius hic ita narrat: ὡς Ζῆτης ὁ Βορέου ἔλαβεν Ἀηδόνα, &c. Zetem filium Boreæ duxiſſe Philomelam filiam Dulichii Pandarei: illis filium natum eſſe nomine Actylum. Philomela autem ſuſpicata virum Nympham quandam Hamadryadem adamare, zelotypa, cùm filius Actylus illi videretur conſcius ac adjutor furtivi concubitûs, eum venatu redeuntem interfecit. Venus autem miſerata calamitatem, matrem in luſciniam mutavit. l Matrem ſalutavit & amplexus eſt. m Sedata, mitigata. ſed adi Indicem Erythræi. n Al. *eximia*.

I *Alter*

*Alter blanditias? rapta ſilet altera linguâ?*
*Quam vocat hic matrem, cur non vocat illa ſororem?*
*Cui ſis nupta vide Pandione nata marito:*
*Degeneras;[o] ſcelus eſt pietas in conjuge Tereo.*
*Nec mora: traxit Ityn, veluti Gangetica cervæ*
*Lactantem fœtum per ſylvas tigris opacas.*
*Utque domus altæ partem tenuêre remotam,*
*Tendentémque manus, & jam ſua fata videntem,*
*Et, Mater, Mater, clamantem, & colla petentem*
*Enſe ferit Progne, lateri quà pectus adhæret.*
*Nec vultum vertit; ſatis illi ad fata vel unum*
*Vulnus erat.* [p] *Iugulum ferro Philomela reſolvit*
*Vivaq; adhuc, animæq; aliquid retinentia membra*
*Dilaniat. Pars indè cavis exultat ahenis;*
*Pars verubus ſtridet; manant penetralia tabo.*
*His adhibet conjux ignarum Terea menſis,*
*Et patrii moris ſacrum mentita, quod uni*
*Fas ſit adire viro, comites famuloſq; removit.*
*Ipſe ſedens ſolio Tereus ſublimis avito,*
*Veſcitur, inque ſuam ſua viſcera congerit alvum.*
*Tantáque nox animi eſt, Ityn huc accerſite, dixit.*
*Diſſimulare nequit crudelia gaudia Progne,*
*Iámque ſuæ cupiens exiſtere nuncia cladis,*
*Intus habes, quod poſcis, ait. circumſpicit ille,*
*Atq; ubi ſit, quærit. Quærenti, iterumq; vocanti,*
*Sicut erat ſparſis furiali cæde capillis,*
*Proſiluit, Ityóſque caput Philomela cruentum*
*Miſit in ora patris: nec tempore maluit ullo*
*Poſſe loqui, & mentis teſtari gaudia dictis.*

o Pietate uti in impium conjugem eſſet impietas. vel etiam per ſcelus ulciſci ſceleſtum cõjugem, non ſcelus eſt ſed jus & fas.

p Hinc vindiciæ Virgilio in eclogâ ſextâ. Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit. & aliis, qui Philomelã in hirundinem, Procnen in luſciniã mutatum referunt. Πανδαρίου κούρη χλωρηὶς ἀηδὼν Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ Κτεῖνε. Hom. Odyſſ. 19. Varro 4. Orig. Luſciola ex Attica Procne in luctu facta avis. Scholiaſtes Ariſtoph. Πρόκνη εἰς ἀηδόνα· ἡ δὲ Φιλομήλα εἰς χελιδόνα μεταβληθεῖσα, Sic & Apollodorus l. 3. & Tzetzes 7. Chil. 142. Πρόκνην εἰς ἀηδόνα, τὴν φιλομήλαν ἤμειψαν θεοὶ εἰς χελιδόνα. Ovid. ipſe, epiſt. Sapphus. Mater Concinit Iſmarium Daulias ales Ityn. Anacreon. ut ad 557. verſ. ſuprà. E contra plurimorum autorum teſtimonio aſſeritur metamorphoſis Procnes in hirundinem, Philomelæ in luſciniam.

q Thracius



[q] *Thracius ingenti menſas clamore repellit,*
[r] *Vipereáſque ciet Stygia de valle* [r] *ſorores:*
*Et modò, ſi poſſet, reſerato pectore, diras*
*Egerere inde dapes,*[s] *demerſaque viſcera geſtit;*
*Flet modò, ſéque vocat buſtum miſerabile nati;*
*Nunc ſequitur nudo genitas Pandione ferro.*
*Corpora Cecropidum pennis pendere putares,*
*Pendebant pennis.*[t] *quarum petit altera ſylvas,*
*Altera tecta ſubit, neque adhuc de pectore cædis*
*Exceſſêre notæ,*[u] *ſignatáque ſanguine pluma eſt.*
*Ille dolore ſuo, pœnæque cupidine velox,*
*Vertitur in volucrem; cui ſtant in vertice criſtæ;*
*Prominet immodicum pro longa cuſpide roſtrum.*
*Nomen* [x] *Epops volucri; facies armata videtur.*
*Hic dolor ante diem, longæque extrema ſenectæ*
*Tempora, Tartareas Pandiona miſit ad umbras.*

q In Phocide, verſus ortum Solis à Delphis inquit Strabo l. 9. eſt oppidulum Daulis, ubi ferunt Terea Thracium imperâſſe: eodemque fab. de Procne & Philomela referunt, ut etiam Thucydides. Pauſanias item in Atticis, Δαυλίδος ἦρχε τῆς ὑπὲρ Χαιρωνείας. r Furias lib. 4. v. 452 & 480. ſ Al. ſemeſáque, alii emenſa Ms. alii immenſa. t Illæ, inquit Pauſan. in Att. cùm Athenas ad patrem confugiſſent mœrore & luctu contabuerunt. inde nata fab. Procnem in hirundinem mutatam filium Ityn lugere, Philomelam in luſciniam verſam clamare, Τηρεύς με ἐβίασεν, ut habet comment. Heſiodi 2. l. ἔργ. quòd avis utraq; luctuoſos edat cantus, ait Pauſan. quamvis οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει ὅταν πεινῇ ἢ ῥιγοῖ, ἢ τινα ἄλλην λύπην λυπεῖται· οὐδὲ αὐτὴ ἥτε ἀηδὼν, καὶ χελιδὼν, καὶ ὁ ἔποψ, ἃ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν. Plato in Phœdone. Intra Daulios verò fines neque hirundo parit, neque luſcinia apparet. Pauſanias in Phocicis. u Et manibus Progne pectus ſignata cruentis. Virg. 4. Georgic. x Tereus upupa factus ποῦ ποῦ clamat. Tzetz. in Heſiodum. in tumulo autem Terei upupa primùm viſa eſt ab iis qui ibi parentabant. upupæ autem perpetuò hirundines atque luſcinias inſectantur. Photius ex Conone.

## Zetes & Calais in aves. FAB. 8.

*Sceptra loci, rerúmq; capit moderamen* [y] *Erectheus:*
*Iuſtitia dubium, validiſne potentior armis.*

y Pauſanias in Atticis refert Pandiona poſteriorem, fuiſſe patrem Procnes & Philomelæ. Invertiſſe itaque temporum ſeriem & ſucceſſionum ordinem videtur poeta, qui hujus Pandionis; qui à Metionidis regno pulſus obiit Megaris, ſucceſſorem facit Erecthea. qui prioris Pandionis filius erat. Ita enim ſe habet ſeries. Cecrops, Cranaus, Amphictyon, Erichthonius, Pandion, Erectheus, Cecrops II, Pandion II. Ægeus.

Quattuor ille quidem juvenes, totidémque creârat
Fœmineæ ſortis; ſed erat par forma duarum.
E quibus [z] Æolides Cephalus te conjuge felix
Procri fuit: [a] Boreæ Tereus Thraceſque nocebant,
Dilectâque diu caruit Deus Orithyiâ;
Dum rogat, & precibus mavult quàm viribus uti.
Aſt ubi blanditiis agitur nihil, horridus irâ
Quæ ſolita eſt illi, nimiúmque domeſtica vento,
Et meritò, dixit: Quid enim mea tela reliqui,
Sævitiam, & vires, irámque, animóſque minaces,
Admovique preces, quarum me dedecet uſus?
[b] Apta mihi vis eſt: hac triſtia nubila pello,
Hac freta concutio, nodoſáque robora verto,
Induróque nives, & terras grandine pulſo.
Idem ego cùm fratres cœlo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor,
Vt medius noſtris concurſibus inſonet æther,
Exiliántque cavis eliſi nubibus ignes.
Idem ego, cùm ſubii convexa foramina terræ,
Suppoſuique ferox imis mea terga cavernis,
Sollicito manes, totúmque tremoribus orbem.
Hac ope debueram thalamos pitiiſſe: ſocérque
Non orandus erat mihi, ſed faciendus Erechtheus.
Hæc Boreas, aut his non inferiora locutus,
Excuſſit pennas; quarum jactatibus omnis
Afflata eſt tellus, latúmque perhorruit æquor.
[c] Pulvereámq; trahens per ſumma cacumina pallam
Verrit humum, pavidámque metu caligine tectus
[d] Orithyïan amans fulvis complectitur alis.
Dum volat, arſerunt agitati fortiùs ignes:
Nec priùs aërii curſûs ſuppreſſit habenas,
Quam [e] Ciconũ tenuit populos & mœnia raptor.

z Cephalus erat filius Deionei cui pater Æolus, ſecundum Pauſaniam; Deionei gener ſecundum Strabonem l. 10. a Boreæ Strymonis filio Thraci nuptias Orithyiæ ambienti in morâ erat facinus recens Terei & Thracum nota ſævitia. b Amatorum more, viribus & virtute ſuâ gloriatur, ſed Phyſicè, nivium velleribus, grandinis globulis, conflictu cum ceteris ventis, fulgore, tonitru, terræ motibus. c Eleganter, & ex naturâ ſicci venti. unde Boreas vocatur Scopa viarum, & verſu ſeq. *Verrit humum.* d Ita ex Ms. ſanitati reſtituetur, quod variè laborabat antea. *Orithyam amans.* al. *Orithyiam adamans.* e Thraciæ populum ad Iſmarum montem & Biſtonidem lacum.





Illic [f] & gelidi conjux [g] Actæa tyranni,
Et genitrix facta eſt, partuque enixa [h] gemellos,
Cætera qui matris, pennas genitoris, habebant.
Non tamen has memorant unà cùm corpore natas:
Barbáque dum rutilis aberat ſubnixa capillis,
Implumes Calaïſque puer Zeteſque fuerunt:
Mox pariter pennæ ritu cœpêre volucrum
Cingere utrumque latus, pariter flaveſcere malæ.
Ergò ubi conceſſit tempus puerile juventæ,
Vellera cum [i] Minyis nitido radiantia villo,
[k] Per mare non notum prima petiêre carinâ.

f Al. Egelidi. g Orithyia, ex Atticis Athenis. h Zeten & Calain. & tres inſuper puellas, Cthoniā, Chionem & Cleopatram. i Theſſaliæ pop. ab Orchomeno fluvio Theſſaliæ qui priùs Minyeus dictus eſt. vel à Minyâ filio Orchomeni, ut Scholiaſtes Apollonii ad 230. verſ. 1. lib. Argonaut. Ab his tanquam præſtantiſſimis Argonautarum, cæteri omnes Minyæ dicti ſunt. Erant & alii Minyæ Bœotici à Minyâ rege, filio Chryſæ, cui pater Neptunus. de quibus Pauſan. in Bœoticis. ſed nihil ad hunc rhombum. k Pelias, quo ſibi retineret Theſſaliæ regnum, quod tutelæ ſuæ commiſſum fuerat ab Æſone patre Iaſonis ſub hac fide ut reſtitueretur Iaſoni adulto; ſimul oraculo monitus ut ſibi caveret ab Æolidis, cùm ex his multos de medio ſuſtuliſſet, neque idem in Iaſone liceret, ſub prætextu ſpecioſo immortalis gloriæ ex repetito vellere aureo quod Phryxus in Colchidem portaverat, in certum mortis diſcrimen illum amandavit. qui tamen victor rediit. Iſ. Tzetzes ad Lycophronem ibi. τῆς ξεινοβάκχης, ὅν ποτ' Οἰνώνης φυγάς. l Primam hanc navem longam memorant Græci. Alii tamen priorem à Dauno factam narrant. Hæc ab artifice ejus nomen ſortita eſt Argo. Alii à celeritate dictam autumant. ſunt qui non unicâ nave, ſed claſſe ſuſcepiſſe Iaſonem hanc expeditionem referant.

# LIBER VII.

## Iaſon aureum vellus auxilio Medeæ acquirens.

### FABVLA I.

IAmque fretum a Minyæ b Pagaſæa puppe ſecabant,
Perpetuáq; trahens inopem ſub nocte ſenectam
Viſus erat c Phineus: d juvenéſq; Aquilone creati
e Virgineas volucres miſeri ſenis ore fugârant,
Multáque perpeſſi claro ſub Iäſone tandem
Contigerant rapidas limoſi f Phaſidos undas.
Dúmq; adeunt regem, g Phryxeáque vellera poſcunt
h Vóxq; datur Minyis magnorum horrenda laborum:
Concipit interea validos i Æetias ignes,
Et luctata diu, poſtquam ratione furorem
Vincere non poterat; k Fruſtra Medea repugnas,
Neſcio quis deus obſtat, ait; mirúmque quid hoc eſt.
Aut aliquid certè ſimile huic, quod amare vocatur.
Nam cur l juſſa patris nimiùm mihi dura videntur
Sunt quoq; dura nimis. Cur, quem modò deniq; vidi.

a Reſpice verſ. penult. libri præced. b Fabricatâ ſub Pagaſâ promontorio & opp. Theſſaliæ. Ἐπίνειον τῶν φερῶν Παγασαί. Strabo l. 9. ἀκρωτήριον Μαγνησίας. ὠνομάσθη δ᾽ ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεπῆχθαι τὴν Ἀργώ. Scholiaſtes Apollonii lib. 1. c Phineus rex Arcadiæ Plexippum & Pandiona ex Cleopatrâ Boreæ & Orithyiæ filia natos falſo ab Harpalice, Diodoro, Idæa, ſuperinductâ iis novercâ inſimulatos occæcavit. Quam impietatem cæcitatis talione ulti Dii Harpyas inſuper immittunt qui cibos ipſi appoſitos raperent fœdarentque. Sed vide Diodorum 5. lib. c. de Argonautis. & Palœphatum de Phineo. d Argonautis à Phineo benignè exceptis & de itinere atque expeditione admonitis, Calais & Zetes alati Boreæ filii Harpyias ad Inſ. Plotas inde Strophades dictas fugârunt. e Virg. 3. Æneid. verſ. 212. f Fl. Colchidis in Euxinum mare exonerantis. g Aurei arietis, quo huc vectus eſt Phryxus, vellus verſ. penult. lib. præced. & infra. h Iaſoni aureum vellus nomine Peliæ poſcenti reſpondit Æetes, Non hoc licere aut poſſe reddi, priuſquam tauros quis ignivomos domuiſſet, draconem vigilem cuſtodem cecidiſſet, dentes ejus ſeminâſſet natoſque inde terrigenas ſtraviſſet. Apollon. 3. l. 405. verſ. Pindarus Pyth. 4. i Filia Æetæ regis Colchici, filii Solis. k Ψυχομαχία acerrima, rationis & affectus lucta.





Nè pereat, timeo? quæ tanti cauſa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix. Si poſſem, ſanior eſſem;
Sed trahit invitam nova vis: aliúdque Cupido,
Mens aliud ſuadet. l Video meliora, proboque:
Deteriora ſequor. Quid in hoſpite regia virgo
Vreris? & thalamos alieni concipis orbis?
Hæc quoq; terra poteſt quod ames dare. Vivat, an ille
Occidat, in diis eſt: vivat tamen! idque precari
Vel ſine amore licet: m quid enim commiſit Iaſon?
Quem niſi crudelem, non tangat Iaſonis ætas,
Et genus, & virtus? quem non, ut cætera deſint,
Forma movere poteſt? Certè mea pectora movit.
At, niſi opem tulero, taurorum afflabitur ore,
Concurrétque ſuæ ſegeti, tellure creatis
Hoſtibus: aut avido dabitur fera præda draconi.
Hoc ego ſi patiar, tum me de tigride natam,
Tum ferrum, & ſcopulos geſtare in corde fatebor.
Cur non & ſpecto pereuntem? oculóſque videndo
Conſcelero? n cur non tauros exhortor in illum?
Terrigeráſque feros, inſopitúmque draconem?
Dii meliora velit! Quanquam non iſta precanda,
Sed facienda mihi. prodamne ego regna parentis?
Atque ope neſcio quis ſervabitur advena noſtra?
Vt, per me ſoſpes, ſine me det lintea ventis,
Virque ſit alterius: pœna Medea relinquar?
Si facere hoc, aliámve poteſt præponere nobis;
Occidat ingratus. Sed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo eſt, ea gratia formæ,
Vt timeam fraudem, meritique oblivia noſtri.

l Euripidis Medea. τὰ χρήστ᾽ ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν, Οὐκ ἐκπονοῦμεν δέ. m Τίπτε με δειλαίην τόδ᾽ ἔχει ἄχος, εἴθ᾽ ὅγε πάντων φθίσεται ἡρώων προφερέστατος, εἴτε χερείων, Ἐρρέτω, &c. Medea apud Apollonium 3. l. verſ. 464. n Iſta eodem compendio exprobrantur Iaſoni à Medeâ Euripidis: Ἔσωσά σε, πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην Ζεύγλῃσι καὶ σπεροῦντα θανάσιμον γύην. Δράκοντά θ᾽ ὃς πάγχρυσον ἀμφέπων δέρας σπείραις ἔσωζε πολυπλόκοις ἄϋπνος. Imitatur Seneca in Medea, verſ. 466.

Et dabit ante ° fidem, cogámque in fœdera teſtes
Eſſe deos. Quid tuta times? accingere, & omnem
Pelle moram. Tibi ſe ſemper debebit Iaſon.
Te p face ſolenni junget ſibi, q pérque Pelaſgas
Servatrix urbes matrum celebrabere turbâ.
Ergò ego germanam fratrémque, patrémque, deóſque,
Et natale ſolum ventis ablata relinquam?
Nempe pater ſævus, nempe eſt mea barbara tellus,
Frater adhuc infans: ſtant mecum vota r ſororis.
Maximus intra me deus eſt. Non magna relinquam,
Magna ſequar; titulum ſervatæ puppis Achivæ,
Notitiámque loci melioris, & oppida, quorum
Hîc quoque fama viget, cultúſque, artéſque virorum:
Quemque ego cum rebus, quas totus poſſidet orbis,
Æſonidem mutâſſe velim; quo conjuge felix,
Et diis chara ferar, & vertice ſydera tangam.
Quid quod neſcio qui ſ mediis occurrere in undis
Dicuntur montes? ratibúſque inimica t Charybdis
Nunc ſorbere fretum, nunc reddere; cinctáque ſævis
t Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo?
Nempe tenens quod amo, gremióq; in Iäſonis hærens,
Per freta longa ferar: Nihil illum amplexa timebo;
Aut, ſi quid metuam, metuam de conjuge ſolo.
Conjugiúmne putas? Speciosáque nomina culpæ
Imponis, Medea, tuæ? Quin aſpice quantum
Aggrediare nefas; &, dum licet, effuge crimen.
Dixit: & ante oculos rectum pietáſque pudórque
Conſtiterant, & victa dabat jam terga Cupido.

o Quam ſpondet ille, 3. Argon. Apollon. 1078. verſ. & apud Val. Flaccum l. 7. v. 498. Per te quæ ſuperos, divíſque potentior imis, Perque hæc, virgo, tuo redeuntia ſidera nutu, Atque per has noſtri juro diſcriminis horas: Vnquã ego ſi meriti ſim noctis & immemor hujus, Si te ſceptra, domum, ſi te, &c. p Matrimonio legitimo, cujus inſignia faces l. 9. verſ. 60. q Τιμήεσσα γυναιξὶ καὶ ἀνδράσιν αἰδοίη τε Ἔσσεαι, &c. Apollon. 3. lib. verſ. 1122. & 992. καὶ σώτειραν Ἀργοῖ καὶ προπόλοις. Pindarus Olymp. 13. r Chalciopes, quæ Phryxo nupſerat, & de filiis patrimonium petentibus ſolicita, opem artemque ſororis Medeæ implorabat. ſ Symplegades, Cyaneæ, inſ. in maris Euxini oſtio, quæ longe navigantibus modò coire modò disjungi videntur. Pindarus Pyth. 4. συνδρόμων κινηθμὸν ἀμαιμάκετον ἐκφύγειν πετρᾶν. t Virg. 3. Æn. 420. verſ. & quæ nos ibi.

u Ibat



u Ibat ad antiquas x Hecates Perſëidos aras,
Quas nemus umbroſum, ſecretáque ſylva tegebat:
Et jam fractus erat, pulſúſque reſederat ardor.
Cùm videt Æſoniden, extinctáque flamma reluxit.
Erubuêre genæ, totóque recanduit ore.
Vt ſolet à ventis alimenta reſumere, quæque
Parva ſubinducta latuit ſcintilla favilla
Creſcere, & in veteres agitata reſurgere vires:
Sic jam lenis amor, quem jam languere putares,
Vt vidit juvenem, ſpecie præſentis inarſit.
y Et caſu, ſolito formoſior, Æſone natus
Illa luce fuit. Poſſes ignoſcere amanti.
Spectat: & in vultu, veluti tum denique viſo,
Lumina fixa tenet, nec ſe mortalia demens
Ora videre putat, nec ſe declinat ab illo.
Vt verò cœpitque loqui, dextrámque prehendit
Hoſpes, & z auxilium ſummiſſa voce rogavit,
Promiſítque torum, lacrymis ait illa profuſis:
Quid faciam video, nec me ignorantia veri
Decipiet, ſed amor: ſervabere munere noſtro,

u Admonuerat Iaſonem Argus filius Chalciopes, Medeam Ἑρείην Ἑκάτης ἱερὸν μετὰ νηὸν ἰοῦσαν ἐπεί ῥα θεῆς αὐτὴ πέλεν ἀρήτειρα Apol. 3. x Soli in Scythis duos fuiſſe filios refert Diodorus l. 5. Æetem & Perſen; Æeta in Colchis regnavit, in Taurica Perſes; crudeles ambo efferique. Ex Perſe Hecate orta eſt, immanitate patrem ſuperans, & venefica, patrio more advenas Dianæ ſacrificare ſolita, veneníque varias ſpecies à ſe miſtas in advenis experiri. Patre ſublato regni habenas ſumpſit, patruo Æetæ nupſit, cui tres peperit liberos, Circen, Medeam, Ægialeum qui aliis dictus Abſyrtus. Aliter Heſiodus in Theogonia. Ἠελίῳ τέκε κλυτὴ Περσηὶς Κίρκην τε καὶ Αἰήτην βασιλῆα, Αἰήτης δ' ἦγημε Ἰδυῖαν, Ἡ δέ οἱ Μήδειαν Γείνατο. Idem alio in loco Theog. ait, Aſterien ex Perſe peperiſſe Hecaten, τὴν περὶ πάντων Ζεὺς Κρονίδης τίμησε· πόρεν δέ οἱ ἀγλαὰ δῶρα, Μοῖραν ἔχειν γαίης, θαλάσσης τε οὐρανοῦ, &c. ita ut in ſacris invocetur Hecates nomine. Eandem eſſe volunt cum Diana, Proſerpina, Luna, dicique quod ἑκὰς i. longè radios jaciat, uti ſoror Apollinis. y Imò Iuno lumenque juventę Purpureum, & lætos oculis adflarat honores. Ἔνθ' οὔπω τις τοῖος ἐπὶ προτέρων γένετ' ἀνδρῶν Οἷον Ἰήσονα θῆκε Διὸς δάμαρ ἤματι κείνῳ Ἠμὲν ἐς ἄντα ἰδεῖν ἠδὲ προτιμυθήσασθαι. Appollon. 3. l. 918. z Πρός αὐτῆς Ἑκάτης μειλίσσομαι ἠδὲ τοκήων, Καὶ Διὸς ὃς ξείνοις ἱκέτῃσί τε χεῖρ' ὑπερίσχει. 985. verſ. & deinceps.

I 5 Serva-

*Servatus promiſſa dato. Per ſacra [a] triformis*
*Ille deæ, lucóque foret quod numen in illo,*
*Pérque [b] patrem ſoceri cernentem cuncta futuri*
*Eventúſque ſuos, & tanta pericula jurat.*
*Creditus accepit [c] cantatas protinus herbas,*
*Edidicitque uſum, lætúſque in tecta receſsit.*
*Poſtera depulerat ſtellas Aurora micantes:*
*Conveniunt populi ſacrum Mavortis in arvum*
*Conſiſtúntque jugis: medio rex ipſe reſedit*
*Agmine purpureus, ſceptróque inſignis eburno.*
*Ecce! [d] adamanteis Volcanum naribus efflant*
*[e] Æripedes tauri, tactæque vaporibus herbæ,*
*Ardent. útque ſolent pleni reſonare camini,*
*Aut ubi [f] terrena ſilices fornace ſoluti*
*Concipiunt ignem liquidarum aſpergine aquarum;*
*Pectora ſic intus clauſas volventia flammas,*
*Gutturáque uſta ſonant. Tamen illis Æſone natus*
*Obvius it. vertêre truces venientis ad ora*
*Terribiles vultus, præfixáque cornua ferro,*
*Pulvereumque ſolum pede pulſavêre biſulco,*
*Fumificiſque locum mugitibus implevêre.*
*[g] Diriguêre metu Minyæ, ſubit ille, nec ullos*
*Senſit anhelatus (tantum medicamina poſſunt)*
*Tenduláque audaci mulcet palearia dextrâ,*
*[h] Suppoſitóſque jugo pondus grave cogit aratri*
*Ducere, & inſuetum ferro proſcindere campum.*

a Vide quæ ad 417. v. 2. l b. & quæ ad Hippolytum Senecæ 417. verſ. b Solem. modò ad verſ. 74. c Φάρμακον προμήθειον, quo qui ungitur neque vulnerabilis fuerit, neque obnoxius igni, illo die ſuperior omni vi futurus. Apollonius 3. l. v. 843. Νάφθαν à Græcis dici Medeæ ol m refert Suidas. d Παμπήνας δ' ἀνὰ νειὸν ἴδε ζυγὰ χάλκεα ταύρων, Αὐτόγυόν τ' ἐπὶ τοῖς στιβαρὸν ἀδάμαντος ἄροτρον, &c. Apollon. 2. l. 1282. v. & Pindarus, 4. Pyth. Ἀλλ' ὅτ' Αἰήτας ἀδαμάντινον ἐν μέσσοις ἄροτρον σκίμψατο καὶ βόας οἳ φλόγ' ἀπὸ ξανθᾶν γενύων πνέον καιομένοιο πυρὸς---e--- Χαλκέαις δ' ὁπλαῖς ἀράσσεσκον χθόνα, &c. Habentes pedes ex ære ſolidos, à Vulcano ſc. factos: ut Χαλκόποδες ἵπποι Homero; non à curſu celeri ut æripides cervi. Ioſ. Scal. ad Auſon. l. 1. c 6. f Calcis coctæ periphraſis. g Al. Diriguere metu ſubito Minyæ; ille nec ullos Senſit anhelatus, alii *anhelantes*. h Tauros hoſce interpretatur Diodorus l. 5. ſatellitum regis Taurici excubias; draconem, ſacerdotem Martis, cuſtodiæ templi præfectum: Phrixi pædagogum appellat Arietem: vel etiam avectum narrat Phrixum navi, cujus inſigne erat aries.





*Mirantur Colchi; Minyæ clamoribus augent,*
*Adjiciúntque animos: galea tum ſumit ahenâ*
*[i] Vipereos dentes, & aratos ſpargit in agros.*
*Semina mollit humus valido prætincta veneno,*
*Et creſcunt, fiúntque ſati nova corpora dentes.*
*Vtque hominis ſpeciem materna ſumit in alvo,*
*Pérque ſuos intus numeros componitur infans,*
*Nec niſi maturus communes exit in auras:*
*Sic ubi viſceribus gravidæ telluris imago*
*Effecta eſt hominis, fœto conſurgit in arvo;*
*[k] Quódque magis mirum eſt, ſimul edita concutit arma.*
*Quos ubi viderunt præacutæ cuſpidis haſtas*
*In caput Æmonii juvenis torquere parantes;*
*Demiſere metu vultúmque animúmque Pelaſgi.*
*Ipſa quoque extimuit, quæ tutum fecerat illum;*
*Vtque peti vidit juvenem tot ab hoſtibus unum;*
*Palluit, & ſubitò ſine ſanguine frigida ſedit.*
*Nêve parum valeant à ſe data gramina, carmen*
*Auxiliare canit, ſecretáſque advocat artes.*
*[l] Ille gravem medios ſilicem jaculatus in hoſtes,*
*A ſe depulſum Martem convertit in ipſos.*
*Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres,*
*Civilique cadunt acie. Gratantur Achivi*
*Victorémque tenent, avidiſque amplexibus hærent.*
*Tu quoque victorem complecti barbara velles:*
*Obſtitit incepto pudor. At complexa fuiſſes:*
*Sed te, nè faceres, tenuit reverentia famæ.*
*Quod licet, affectu tacito lætaris. agiſque*
*Carminibus grates, & diis autoribus horum.*

i Partem dentium ſerpentis à Cadmo interfecti ad Æetem miſerunt Pallas & Mars. ὀδόντας Ἀονίοιο δράκοντος, ὃν Ὠγυγίῃ ἐνὶ Θήβῃ Κάδμος &c. Apollon. 3. l. v. 1176. vide verſ. 105. l. 3. Sopitus enim hic draco non interfectus eſt. k Legantur epiſtolæ Hypſipyles & Medeæ ad Iaſonem 6 & 12. Ovid. l Ita enim edoctus fuerat à Medeâ. Apollon. 3. l. 1055. verſ. Αἴκεν ὀρνυμένους πολέας νειοῖο δοκεύσῃς, Λάθρη λᾶαν ἄφες στιβαρώτερον· οἱ δ' ἂν ἐπ' αὐτῷ Καρχαλέοι κύνες ὥστε περὶ βρώμης ὀλέκοιεν ἀλλήλους. Conjectum ab Iaſone in vulgus ſeditionis ſemen innuitur, unde mutuo inter ſe civilique bello interierint. ut lib. 3. verſ. 118.

m *Pervigilem ſupereſt herbis ſopire draconem,*
*Qui criſta, linguiſque tribus præſignis, & uncis*
*Dentibus horrendus, cuſtos erat arboris aureæ.*
*Hunc poſtquam ſparſit* n *Lethæi gramine ſucci,*
*Verbáque ter dixit placidos facientia ſomnos,*
*Quæ mare turbatum, quæ concita flumina ſiſtunt;*
*Somnus in* o *ignotos oculos ubi venit, &* p *auro*
*Heros Æſonius potitur, ſpolióque ſuperbus,*
*Muneris autorem ſecum ſpolia altera portans,*
*Victor* q *Iolciacos tetigit cum conjuge portus.*

m Draco hic, ut habet Diodorus lib. 5. cuſtodiæ templi Martis dux erat, pelli aureæ uſque incubans. Erat autem templum longè ab urbe Sybari, ſtadiis 70. Medea itaque noctu accedens, corrupto vel veneno perempto Dracone, vigiles Tauricâ linguâ appellavit, quæ admiſſa introduxit ſimul Argonautas, qui erepta pelle aureâ, è veſtigio nave conſcensâ in patriam reverſi ſunt. n Somnum & oblivionem λήθην inducentis. o Qui ſomnum priùs non admiſerant, inaſſuetos ſomno. p Aureo vellere. Sed quid illud? Vtrumne aries verè aureo vellere inſignis ex Mercurii contactu? ut volunt Orpheus, Apollonius, Catullus. cujuſmodi à Simonide vocantur purpurea aut candida. Io. Tzetz. Πρόβατα χρυσόχροα φέροντα τὴν ἐρέαν? An nativo inſignia rutilo, qualia habet Iberia. quippe ibi talento ſingulos emi arietes εἰς τὰς ὀχείας refert Strab. 3. l. Spart. in vitâ Diadumeni inter imperii adipiſcendi omina recenſet in agro patris ejus oves purpureas natas. Vide quæ nos ad Thyeſten Senecæ verſ. 222. de arcano Tantalidarum ariete & ſceptro aurato. An fortè phiala erat aurea, cujus in medio prominebat caper, aut agnus aureus? ut habet Athenæus. l. 6. c. 4. An opulentia Scytharum, apud quos aurifodinæ, nec non ramenta auri fluminibus devecta & ab incolis excepta tabulis perforatis & velleribus tranſverſo flumine ſuſpenſis, Phrixo prius, deinde Iaſoni expeditionis cauſam, poetis fabulandi argumentum dederunt? An utique templum erat à Phrixo, qui Chalciopen regis Colchici filiam duxerat, conditum, auroque quod ex Græcia ſecum abſtulerat, aliiſque ἀναθήμασι ditatum, ad quod vel repetendum, vel etiam prædandum navigârunt Argonautæ. ſpoliatum id à Pharnace priùs, deinde à Mithridate Pergameno tradit Strabo lib. 11. An denique liber membraneus ex arietum pellibus contextus, auri per chymiam conficiendi artem continens? ut inter alios, in δέφας Suidas. De aureis malis τοῖς μήλοις, vide 4. l. verſ. 638. Qui ad mores fabulam referunt, Iaſonem volunt à Chirone educatum edoctúmque ἴασιν, artem medendi ſanandique tum mentis tum corporis morbos, accepiſſe. Medeæ itaque i. e. μήδεος, conſilii ope violentorum affectuum tauros, injuriæ, fraudis, avaritiæ, libidinis aliorumque vitiorum ſerpentes domuiſſe. q Theſſalicos, Iolcos enim opp. Theſſaliæ. Al. *Hæmonios* alii *Cecropios.*

De



## De novata Æſonis juventute.
## FAB. 2.

*ÆMoniæ matres pro natis dona receptis,*
*Grandævíque ferunt patres; congeſtáque flammâ*
*Thura liquefaciunt,* r *inductáque cornibus aurum*
*Victima* s *vota facit: ſed abeſt gratantibus Æſon,*
*Iam propior letho, feſſúſque ſenilibus annis.*
*Tunc ſic Æſonides, O cui debere ſalutem*
*Confiteor conjux, quanquam mihi cuncta dediſti,*
*Exceſſitque fidem meritorum ſumma tuorum:*
*Si tamẽ hoc poſſunt (quid enim non carmina poſſunt?)*
*Deme meis annis, & demptos adde parenti.*
*Nec tenuit lacrymas. Mota eſt pietate rogantis;*
t *Diſſimiléque animum ſubiit pater Æta relictus.*
*Non tamen affectus tales confeſſa, Quod, inquit,*
*Excidit ore tuo, conjux, ſcelus? Ergò ego cuiquam*
*Poſſe tuæ videor ſpatium tranſcribere vitæ?*
*Non ſinat hoc Hecate, nec tu petis æqua: ſed iſto,*
*Quod petis, experiar majus dare munus, Iaſon.*
*Arte mea ſoceri longum tentabimus ævum,*
*Non annis revocare tuis: modò diva triformis*
*Adjuvet, & præſens ingentibus annuat auſis.*
u *Tres aberant noctes, ut cornua tota coïrent,*
*Efficerentque orbem: poſtquam pleniſſima fulſit,*
*Et ſolida terris ſpectavit imagine Luna,*
*Egreditur tectis, veſtes induta recinctas,*
x *Nuda pedem, nudos humeris infuſa capillos,*
*Fértque vagos mediæ per muta ſilentia noctis*
*Incomitata gradus. Homines, volucréſque, feráſque*

r Hoſtiarum majorum in ſacris cornua inaurare moris erat. s Voti damnatos ſolvit. t Venitque Medeæ in mentem quàm diſſimili animo ab hoc Iaſonis tam pio, ipſa patrem ſuum ſenem prodiderit atque deſeruerit. Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago Æneid. 10. lib. 824. verſ. Nec diſſimulandum eſt hunc verſum in uno Ms. meo non reperiri.

u A plenilunio tres deerant noctes. Luna autem veneficiorum præſes, quæ plena efficacius *deſpumat in herbas.* & largius *virus lunare miniſtrat.* Lucan. 6. x Magarum Nudipedalia, Nyctelia ritus cet. habes apud Theocrit. Idyll. 2. Virg. 8. Eclog. & 4. Æneid. 518. Senec. in Medea. verſ. 751. Lucanum 6. l. verſ. 654. & quæ nos ad illos, nec pigeat adire quos citavi in Poëtico Indice noſtro titul. *Veneficia.*

 Solverat

Solverat alta quies, nullo cum murmure [y] ſerpens;
Immotæque ſilent frondes, ſilet humidus aër,
Sidera ſola micant; ad quæ ſua brachia tendens,
Ter ſe convertit, ter ſumptis flumine crinem
Irroravit aquis, ternis & hiatibus ora
Solvit, & in dura ſummiſſo poplite terrâ.
Nox, ait, arcanis fidiſſima, quæque diurnis
Aurea cum Luna ſucceditis ignibus aſtra,
Túque [z] triceps Hecate, quæ cœptis conſcia noſtris,
Adjutrixque venis, cantúſq; artéſq; magorum,
Quæque magos tellus pollentibus inſtruis herbis,
Auræque, & venti, montéſque, amnéſque, lacúſque,
Diique omnes nemorum, diique omnes noctis adeſte,
Quorum ope, cùm volui, [a] ripis mirantibus amnes
In fontes rediêre ſuos, concuſſáque ſiſto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubiláque induco, ventos abigóque, vocóque,
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,
Viváque ſaxa, ſuâ convulſaque robora terrâ.
Et ſylvas moveo, jubeóque tremiſcere montes,
Et mugire ſolum, manéſque exire ſepulcris.

y Sunt qui legunt ſepes *Sopito ſimilis nullo cum murmure ſerpit.* Sed poetę ipſius elegantia rejicit ineptam iterationem, & Ms. unus meus non admittit verſum illum ſecundum, nihil hîc de ſerpente, ſed de nocte quam noſter exprimere voluit ad illud Virgilii 2. Æneid. Tempus erat, cùm prima quies mortalibus ægris Incipit, & divûm dono gratiſſima ſerpit. z Τρικέφαλος, cui caput dextrum equinum, ſiniſtrum caninum, medium humanum, vel ſuillum. Vide Floridi Subciſiva. l. 3. c. 11. a Quid operari valeat Magia; Goetia ſit illa vel etiam Theurgia; quid per motum localem; vel per cauſſas naturales, applicando activa paſſivis, vel ſenſibus illudendo; quid per dæmonia, herbas, verba, figuras, characteres, numeros, &c. an poſſint naturæ curſum mutare, ſidera devocare, procellas excitare, &c. præter Platonicos Iamblichum, Plotinum, Porphyrium, Apuleium, præter Cornel. Agrippam de occulta Philoſophia, Wierum de Magis infam. Binsfieldum, & alios quos citavi ad 4. Æneid. Virg. verſ. 487. vide Magiam omnifariam Cigognæ. l. 3. & 4. Delrii diſquiſ. magic. Auguſtin. de natura dæmonum. Eund. lib. 10. de civitate Dei. cap. 9, 10, 11. Item lib. 18. cap. 17 & 18. Arnobium contra Gentes lib. 1. Tertullianum adverſus gentes & lib. de Anima. & adverſus Apollonium. Lactantium lib. 2. de orig. Erroris cap. 16, & 17. Euſebium præp. Evang. lib. 5. cap. 8. & 10. & contra Hieroclem. lib. 5. Bullingerum de licitâ & vetitâ Magiâ. Laertium in vita Empedoclis lib. 8. & quos autores citat. Index poeticus noſter ſub tit. *Magiæ vis.*





[b] Te quoque Luna traho; quamvis [c] Temeſæa labores
Æra tuos minuant: [d] currus quoq; carmine noſtro
Pallet, ac pallet noſtris Aurora venenis.
Vos mihi taurorum flammas hebetâſtis, & unco
Haud patiens oneris collum preſſiſtis aratro.
Vos ſerpentigenis in ſe fera bella dediſtis,
Cuſtodémque rudem ſomno ſopiſtis, & aurum
Vindice decepto Graias miſiſtis in urbes.
Nunc opus eſt ſuccis, per quos renovata ſenectus
In florem redeat, primóſque recolligat annos.
Et dabitis: neque enim micuerunt ſidera fruſtra,
Nec fruſtra volucrum tractus cervice draconum
Currus adeſt; aderat demiſſus ab æthere currus.
Quo ſimul aſcendit, frænatáque colla draconum
Permulſit, manibúſque leves agitavit habenas;
[e] Sublimis rapitur, ſubjectáque Theſſala [f] Tempe
Deſpicit, & [g] cretis regionibus applicat angues:
Et quas Oſſa tulit, quáſque altus Pelion herbas,
Othryſque, & Pindus, & Pindo major Olympus,
Perſpicit; & placitas partim radice revellit,
Partim ſuccidit curvamine falcis [h] ahenæ.
Multa quoque [i] Apidani placuerunt gramina ripis,

b Lib. 4. verſ. 333. c A Temeſa Brutiorum opp. ære claro 5. Faſtor. 471 *Temeſæaq; concrepat æra.* & Statius in ſylv. *Nuſquam Temeſæa notabis æra.* vulgò legitur *temeratis.* d Solis æquè ac tui. e An corpus aſſumptum, vel etiam non aſſumptum Dæmones per aëra ex loco in locum longinquum ferre poſſint, diſputant Theologi, & Phyſici. Vtrum hoc verè fiat an per illuſionem videntium maleficas, aut alienatâ & deceptâ ipſarum maleficarum mente, præter ſuprà citatos, vide Olaum Magnum l. 3. de ſuperſtitioſâ culturâ Dæmonum. Bulingerum 1. l. de Magiâ, cap. 25. de miniſterio Dæmonum, Cigognam lib. 4. Magiæ omnifariæ c. 4. f Lib. 1. v. 569. g Remotis, quaſi diſcretis, hoc autem quia in uſu non eſt, Alii legunt *viſis*, Alii, *certis*. quas mox nominat, herbarum potentium feraces. h Æris, utpote purioris metalli quàm ferri uſus in herbis ſecandis, ſpectris fugandis, Lunæ laboribus ſublevandis. Macr. 5. l. Saturn. 9. Cœl. Rhodig 19. lib. 10. cap. Virg. 4. Æn. Falcibus & meſſæ ad Lunam quæruntur ahenis Pubentes herbæ. Ἃς ἡ βοῶσ᾽ ἀλαλαζομένη γυμνὴ χαλκέοισιν ἤμα δρεπάνοις. Sophocl. i Hic etiam obtrudunt nobis lect. *Eridani*, ſed lege quæ dicta à nobis ad 580. verſ. lib. 1. quibus adde, Planudem hic melioribus exemplaribus vel ſaniori conſilio transtuliſſe: πολλαὶ δὲ αὐτῇ καὶ ταῖς ὄχθαις τοῦ Ἀπιδανοῦ ἤρεσαν.

Multa quoq; [k] Amphryſi; nec eras immunis Enipeu:
Nec non Penëus, nec non Sperchiades undæ
Contribuere aliquid, juncoſaque litora Bœbes.
Carpſit & Euboïca vivax [l] Anthedone gramen
[m] Nondum vulgatum mutato corpore Glauci.
Nona dies illam curru, penniſque draconum,
Nonáque nox omnes luſtrantem viderat agros,
Cùm rediit: nec erant tacti niſi odore dracones,
Et tamen annoſæ pellem poſuêre ſenectæ.
Conſtitit adveniens citra limenque foreſque,
Et [n] tantùm cœlo tegitur, refugitque viriles
Contactus, ſtatuitque aras de ceſpite binas.
Dexteriore Hecates, at læva parte juventæ.
Has ubi [o] verbenis, ſylváque incinxit agreſti;
Haud procul egeſta [p] ſcrobibus tellure duabus
Sacra facit: cultróſque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit ſanguine foſſas.
Tum ſuper invergens tepidi carcheſia lactis,
Alteráque invergens liquidi carcheſia mellis,
Verba ſimul fundit, terrenaque numina poſcit,
Umbrarúmque rogat rapta cum conjuge regem,
[q] Nè properent artus anima fraudare ſenili.
Quos ubi placavit precibúſque & murmure longo,
Æſonis effœtum proferri corpus ad aras
Juſſit, & in plenos reſolutum carmine ſomnos
Exanimi ſimilem ſtratis prorexit in herbis.
Hinc [r] procul Æſonidem, procul hinc jubet ire miniſtros,
Et monet arcanis oculos removere profanos.
Diffugiunt juſſi: ſparſis Medea capillis
Bacchantum ritu flagrantes circuit aras.
Multifidáſque faces in foſſa ſanguinis atrâ
Tingit, & infectas geminis accendit in aris:

k Paludis Theſſaliæ. l Bœotiæ oppido. m Lib. 13. verſ. 904. n Sub dio pernoctavit ſecubans à viro. o Verbena propriè dicta, vervain, eſt hierobotane περιστερεών. Sacra recta. uſurpatur tamen pro omni herbâ & fronde qua ſternuntur & coronantur aræ. de uſu ejus in ſacris & Magiâ, lege quæ Plinius habet. l. 25. c. 9. p Rite omnia. Diis Inferis nigræ pecudes, nocturno tempore, ſub terra nempe in ſcrobe, depreſſo victimæ capite, latice & omnibus inverſis immolabantur. q Ne anima ſenis intercipiatur, ne caput, cui diuturniorem vitæ uſum deſtinavit Medea, aut Orco damnet Pluto, aut tondeat Proſerpina. r Quod in ſacris fieri ſolet, proclamante ſacerdote ἑκὰς ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι. ne non initiati profanis oculis impediant myſteria, neve ipſi profanationem hanc luant. Diffugiunt ergo juſſi.

[s] Terque



[s] Terq; ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.
Interea calido poſitum medicamen aheno
Fervet, & exultat, ſpumiſque tumentibus albet.
[t] Illîc Æmonia radices valle reſectas,
Semináque, & flores, & ſuccos incoquit atros.
Adjicit extremo lapides oriente petitos,
Et quas Oceani refluum mare lavit arenas.
Addidit exceptas [u] Lunæ de nocte pruinas,
Et [x] Stygis infames ipſis cum carnibus alas,
[y] Inque virum ſoliti vultus mutare ferinos
Ambigui proſecta lupi: nec defuit illi
Squamea [z] Cinyphii tenuis membrana chelydri,
[a] Vivaciſque jecur cervi: quibus inſuper addit
Ora capútque [b] novem cornicis ſecula paſſæ,
His & mille aliis poſtquam ſine nomine rebus
Propoſitum inſtruxit mortali barbara munus;
Arenti ramo jampridem mitis olivæ
Omnia confudit, ſummiſque immiſcuit ima.
Ecce! vetus calido verſatus ſtipes aheno
Fit viridis primò, nec longo tempore frondes
Induit, & ſubito gravidis oneratur olivis.
At quacunque cavo ſpumas ejecit aheno
Ignis, & in terram guttæ cecidere calentes;
Vernat humus, floréſq; & mollia pabula ſurgunt.
Quæ ſimul ac vidit, ſtricto Medea recludit
Enſe ſenis jugulum, veterémque exire cruorem
Paſſa, replet ſuccis. quos poſtquam combibit Æſon,

s Τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται. Numero Deus impare gaudet. Virg. 8. ecl. & quæ nos ibi. t Variam magicę hujus farraginis ſupellectilem habes apud Senecam, Lucanum, & quos ſuprà citavi autores, locis dictis. u Verſ 197. x Eſſe maledictis jam antiquis ſtrigem convenit, inquit Plinius lib. 11 cap. 39. quòd ubera infantium labris immulgere dicuntur. quod tamen fabuloſum autumat. infantes etiam ſugere creduntur. Ovid. 6. Faſt. in has ſe ſagæ vertere putantur. Spenger in Malleo venefic. 2. par. & Alb. Spina quæſt. de Strigibus. y De lycanthropis dictum ad verſ. 236. lib. 1. z Libycæ natricis ſpolium. exuvias. Cinyps fl. Libyæ. a Τετρακορώνου. Nam quater egreditur cornicis ſecula cervus. Auſonius de ætat. anim. b Ætatem hominum novies ſuperat vivendo garrula cornix. ibidem ἐννεάγηρα κορώνη. Aratus in Phænomenis.

Aut

*Aut ore excepto, aut vulnere; [c] barba, comæque*
*Canitie poſita nigrum rapuêre colorem.*
*Pulſa fugit macies: abeunt pallórque, ſitúſque,*
*Adjectóque cavæ ſupplentur corpore rugæ,*
*Membráque luxuriant. Æſon miratur, & olim*
*Ante quater denos hunc ſe reminiſcitur annos*
*[d] Diſsimilémque animum ſubiit, ætate relictâ.*

c Medea, inquit Palæphatus, herbam invenit quæ canos capillos in nigros verteret. Prima quoque invenit lavacrum calidum, cujus vis medica vegetiores redderet homines, & ſanitati reſtitueret. compoſitioni illi παρέψησις nomen, ſeu decoctio, fabulæ occaſionem dedit. Diogenes (apud Stobæum) refert Medeam inveniſſe rationem quâ molles & inertes fortes & prudentes fierent. Quo alluſum videtur in Euthydemo Platonis. ὡς ἐγὼ ἐπειδὴ καὶ πρεσβύτης εἰμὶ παρακινδυνεύειν ἕτοιμος, καὶ παραδίδωμι ἐμαυτὸν Διονυσοδώρῳ τούτῳ ὥσπερ τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ· ἀπολλύτω με, καὶ εἰ μὲν βούλεται ἑψέτω, εἰ δ᾽ ὅ, τι βούλεται τοῦτο ποιείτω· μόνον χρηστὸν ἀποφηνάτω. d Verſum hunc in Mss. non apparere monet Aldus. quaſi ſuperfluum omiſit Giſelinus. Et ſane adulterinus ſurrepſiſſe videtur ex illo 170. ſuprà.

## Liberi nutrices in juventutem reductæ. FAB. 3.

*VIderat ex alto tanti miracula monſtri*
*Liber: & admonitus juvenes [e] nutricibus annos,*
*Poſſe ſuis reddi, capit hoc à Colchide munus.*

e Quas l. 3. verſ. 314. Nyſeidas dixit. Sed Faſt. 5. Hyadas. Pherecydes apud Homeri comment. Dodonæas.

## Pelias arte Medeæ à filiabus ſuis interemptus. FAB. 4.

ne

*[f] NEve doli ceſſent, odium cum conjuge falſum*
*Phaſias aſsimulat, Peliæque ad limina ſupplex*

f Aliter refertur hæc fab. ab aliis. Diodorus l. 5. ſcribit Medeam in anum ſe vertiſſe adduxiſſeque ſimulachrum Dianæ, & religionis ſpecie ſe Peliæ filiabus & populo inſinuaſſe. tum techna hac ultam eſſe Peliæ ſcelera & cædes in Iaſonem & ſuos, adeoque viam ſtruxiſſe Iaſoni ad recuperandum Theſſaliæ regnum. nec multò ab hoc Hyginus. 24. fab. Pauſanias item in Arcadicis. Μήδεια μὲν ἐπεβούλευσε τῷ Πελίᾳ, τῷ ἔργῳ μὲν συμπράσσουσα τῷ Ἰάσονι, τῷ λόγῳ δὲ ἀπεχθανομένη, &c. Idem II. Tzetzes in Lycophronem.

Con-



*Confugit, atq; illam (quoniam gravis ipſa ſenecta eſt)*
*Excipiunt natæ. quas tempore callida parvo*
*Colchis amicitiæ fallacis imagine cepit.*
*Dúmq; refert inter meritorum maxima, demptos*
*Æſonis eſſe ſitus, atq; hac in parte moratur;*
*Spes eſt virginibus Pelia ſubjecta creatis,*
*Arte ſuum parili revireſcere poſſe parentem;*
*Idq; petunt pretiúmq; jubent ſine fine paciſci.*
*Illa brevi ſpatio ſilet, & dubitare videtur,*
*Suſpenditq; animos, ficta gravitate, rogantum.*
*Mox ubi pollicita eſt, quò ſit fiducia major*
*Muneris hujus, ait: Qui veſtrî maximus ævo eſt*
*Dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet.*
*Protinus innumeris effœtus [g] laniger annis*
*Attrahitur, flexo circum cava tempora cornu;*
*Cujus & Æmonio marcentia guttura cultro*
*Fodit, & exiguo maculavit ſanguine ferrum;*
*Membra ſimul pecudis, validóſq; venefica ſuccos*
*Mergit in ære cavo: minuuntur corporis artus,*
*Cornuáq; [h] exuritur, nec non cum cornibus annos,*
*Et tener auditur medio balatus aheno.*
*Nec mora; balatum mirantibus, exilit agnus:*
*Laſcivitq; fuga, lactantiáq; ubera quærit.*
*Obſtupuêre ſatæ Pelia: promiſſaq; poſtquam*
*Exhibuêre fidem, tum verò impenſius inſtant.*
*Ter juga Phœbus equis in [i] Ibero flumine merſis*
*Dempſerat, & quarta radiantia nocte micabant*
*Sidera. cùm rapido fallax Æetias igni*
*Imponit purum laticem, & ſine viribus herbas.*
*Iámq; neci ſimilis reſoluto corpore, regem*
*Et cum rege ſuos cuſtodes ſomnus habebat,*
*Quem dederat cantus, magicæq; potentia linguæ.*
*Intrârant juſſæ cum Colchide limina natæ,*
*Ambierántq; torum: Quid nunc dubitatis inertes?*

g Aries reciprocicornis.

h Ex Ms. autoritate ita ſanitati reſtituendum contendit Pontanus. namque lectione vulg. Minuunt ea corporis artus, Cornuaque exurunt. luxata videtur conſtructio ſenſus inficetus.

i Mari Heſperio ſeu Atlantico, in quod Iberus fl. Hiſpaniæ ſe exonerat. ex ſenſu verò vulgi poëtis Sol dicitur ſe in occiduo æquore mergere, ibique diurnum emenſus iter equos reficere.

Stringitq;

*Stringite, ait, gladios, veteremq́ haurite cruorem,*
*Ut repleam vacuas juvenili ſanguine venas.*
*In manibus veſtris vita eſt, ætasq́ parentis.*
*Si pietas ulla eſt, nec ſpes agitatis inanes,*
*Officium præſtate patri, telisq́ ſenectam*
*Exigite, & ſaniem conjecto emittite ferro.*
*His, ut quæque* [k] *pia eſt, hortatibus,* [k] *impia prim*
*eſt,*
*Et, nè ſit ſcelerata, facit ſcelus: haud tamen ictus*
[l] *Ulla ſuos ſpectare poteſt, oculósq́ reflectunt,*
*Cæcaq́ dant ſævis averſæ vulnera dextris.*
*Ille cruore fluens ſubitò tamen allevat artus,*
*Semilacerq́ toro tentat conſurgere, & inter*
*Tot medios gladios pallentia brachia tendens;*
*Quid facitis natæ?* [m] *quis vos in fata parentis*
*Armat, ait? Cecidêre illis animique, manúſque.*
*Plura locuturo cum verbis* [n] *guttura Colchis*
*Abſtulit, & calidis laniatum merſit in undis.*

k Οξύμωρον. ſtultacutum, acutifatuum. cujuſmodi pronuncia ta primâ facie falſa, contraria & abſurda videntur. quæ tamen ſi examines & rectè perpendas, falſa, ingenioſa, & acuta reperiuntur. cujuſmodi erat illud lib. 3. verſ. 5. de Agnore. Facto pius & ſceleratus eodem. & lib. 9. verſ. 409. de Alcmæon l Omnes præter Alceſtin. Diodorus 5. lib. Nomina virginum inquit Pauſanias, poëtarum indicavit nemo, Micon pictor duarum imaginibus adſcripſit Alleropean, & Antinoën. Hyginus recenſet Alceſtin, Pelopeam Meduſam, Iſodocen, Hippothoën, & Meden. quæ pudore & metu ſe in Arcadiam recepere exilii causâ pelia ſublato, Iaſon dicitur Acaſto Peliæ filio regnum reliquiſſe. aliter tamen Diodorus lib. 5. m Eraſmus fabulam hanc interpretatur de Chymicis. Iunius de Monachis & librariis, qui dum vetera exemplaria corrigere volebant, corruperunt. n Peliæ jugulum Medea petiit feſtina, præſciditque.

## Cerambus in avem. FAB. 5. 6. 7. 8. & 9.

*Quæ niſi pennatis ſerpentibus iſſet in auras,*
*Non exempta foret pœnæ.* [o] *fugit alta, ſuperque*

o Ἀεὶ φύγας à Colchis, Corintho, Athenis. Verùm ſtratagema hoc lege apud Diodorum lib. 5.

p Pelion



[p] *Pelion umbroſum,* [p] *Philyræáque tecta, ſupérque*
[p] *Othryn, & eventu veteris loca nota* [q] *Cerambi.*
*Hic ope nympharum ſublatus in aëra pennis,*
*Cùm gravis infuſo tellus foret obruta ponto,*
*Deucalioneas effugit inobrutus undas.*
*Æoliam Pitanen à læva parte reliquit,*
[r] *Factaque de ſaxo longi ſimulacra draconis,*
*Idæúmque nemus, quo* [ſ] *nati furta, juvencum*
*Occuluit Liber falſi ſub imagine cervi.*
*Quaq́* [t] *pater Coryti parva tumulatus arenâ eſt,*
*Et quos* [u] *Mera novo latratu terruit agros*

p Montes Theſſaliæ, in quibus habitavit Chiron Saturni & Philyræ filius. lib. 1. v. 632. q In avem à Nymphis mutatus, ut alii, in ſcarabeum in Parnaſſum ſublatus ſuperfuit diluvio Deucalioneo. r Serpentem Lesbium in ſaxum. lib. 11. verſ. 60. ſ Thyonei, quem abigeum ubi inſequerentur bubulci, mutavit Bachus pater in venatorem, ut & bovem in cervum. t Paris ex Oenone ſuſcepit Corytum. Tzetz. in Lycophr. Paris. a. in Cebrina oppidulo Troadis ſepultus eſt. Strabo 13. l. u In figuram canis converſa. fab. minùs trita.

## Coæ matronæ in boves, & Ialyſii in ſcopulos. FAB. 10. 11. 12.

*Eurypylique urbem, qua* [x] *Coæ cornua matres*
*Geſſerunt, tunc cùm diſcederet* [y] *Herculis agmē:*
[z] *Phœbeámque Rhodon: &* [a] *Ialyſios Telchinas,*
*Quorum oculos ipſo vitiantes omnia viſu*
*Iuppiter exoſus, fraternis ſubdidit undis.*
*Tranſit & antiquæ* [b] *Carthæia mœnia Cææ,*
*Quà pater Alcidamas placidam de corpore natæ*
*Miraturus erat naſci potuiſſe columbam.*

x In vaccas mutatæ à Iunone, ut alii à Venere. y In Co inſulâ urbem cognominem expugnavit Hercules, cæſo Eurypilo, abductaque filiâ ejus Chalciope. z Lib. 4. v. 204. a Ialyſi opp. in Rhodo inſ. incolas, artifices peritos ſed faſcinatores, quos in Iunonis odium, mari ſubmerſit Iupiter. Diodor. 6. lib. b Carthea urbs inſ. Cææ. Ptol.

## Cycnus in avem, & Hyrie in ſtagnum. FAB. 13. & 14.

*Indè lacus Hyries videt, &* [c] *Cycneïa Tempe,*
*Quæ ſubitus celebravit olor. nam Phyllius illîc*

c Tempe, non Theſſalica illa, ſed Bœotica Teumeſia dicta à monte Teumeſo, ubi Cycnus filius Hyries in olorem verſus eſt.

Impe-

*Imperio pueri, volucréſque, ferúmque leonem*
*Tradiderat domitos: taurum quoq; vincere juſſus*
*Vicerat, & ſtricto toties iratus amori,*
*Præmia poſcenti taurum ſuprema negavit.*
*Ille indignatus, cupies dare, dixit, & alto*
*Deſiluit ſaxo; cuncti cecidiſſe putabant:*
*Factus olor niveis pendebat in aëre pennis.*
*At genitrix Hyriæ ſervatum neſcia, [d] flendo*
*Delicuit: ſtagnúmque ſuo de nomine fecit.*

d In lacum cognominem ſoluta, ut Cyane lib. 5. verſ. 427.

## Combe in avem, & Menephron in feram &c. FAB. 15. 16. 17. 18. & 19.

*ADjacet his * Pleuron: in qua trepidantibus alis*
*[e] Ophias effugit natorum vulnera Combe.*
*Indè [f] Calaureæ [g] Latoïdos aſpicit arva,*
*In volucrem verſi cum conjuge conſcia regis.*
*Dextera Cyllene eſt, in qua cum matre [h] Menephron*
*Concubiturus erat, ſævarum more ferarum.*
*[i] Cephiſon procul hinc deflentem fata nepotis*
*Reſpicit in tumidum Phocen ab Apolline verſi,*
*[k] Eumelique domum lugentis in aëre natam.*
*Tandem vipereis [l] Ephyren [m] Pirenida pennis*
*Contigit hic ævo veteres mortalia primo*
*Corpora vulgârunt pluvialibus edita fungis.*

* Pleuron Ætoliæ urbs cùm extra oleas in hoc Medeæ volatu longè ſit, Brauron legi volunt, qui Geographis notiſſimus, Atticæ vicus. e Ophii filia Combe. Planudi Ιαμβη.

f Inſ. ſinus Argolici contra Trœzenen. Demoſthenis letho nota. g Latonæ primùm præſide claræ, ſed quam poſteà pro Delo permutavit cum Neptuno. h Menephron cum Cyllene filiâ in Arcadiâ (ubi mons Cyllene) & cum Bli[…] de matre ſuâ concubuit. Hyginus fab. 253. i Sex fluvios Cephiſos & fontem hujus nominis unum recenſet Strabo lib. 9. fab. determinare non in[…] facile. k Patras in qua regnavit Eumelus, qui hoſpitio acceperat Triptolemum: cujus currum, dormiente illo, conſcendit Antheus Eumeli filius, unde dejectus interiit. natum itaque legendum volunt. ſed neque ſ[…] expedita eſt fabula. l Corinthum, ab Ephyre Oceani filiâ, quæ ibi habitavit prima. m A Pirene fonte ad radices Acrocorinthi, Pauſan. in Corinthiacis.

Sa



*Sed poſtquam [n] Colchis arſit nova nupta venenis*
*Flagrantémque domum regis malè vidit; utroque*
*Sanguine natorum perfunditur impius enſis;*
*[o] Ultáque ſe malè mater Iaſonis effugit arma.*
*Hinc [p] Titaniacis ablata Draconibus; intrat*
*[q] Palladias arces; quæ te juſtiſſime [r] Phineu,*
*Téque ſenex [r] Peripha, pariter vidêre volantes,*
*[r] Innexámque novis neptem Polyphemonis, alis.*

n Colchicis. Quomodo Medea repudiata ab Iaſone, qui Creuſam, ſive ut alii Glaucen, Creontis filiam duxerat, ulta ſit virum, nuptam, Creontem, notiora ſunt ex Euripidis & Senecæ Medeâ, quàm ut hic iis exundet margo. o Filiis à ſe cæſis. Quos tamen Pauſanias à Corinthiis lapidibus obrutos ſcribit. 2. 1. Euripidem verò accepiſſe pecuniam à Corinthiis ut cædem illam in Medeam transferret, ſcribit ipſius commentator. p Ex Titanum ſanguine natis. Pindarus in Theriacis. aut etiam quos à Titane, i. ſole acceperat: ut alii. q Athenas. r Obſcuriores ſunt hæ fabulæ. Polypemonis mentio in carmine in Ibin.

## Spuma Cerberi in aconitum. FAB. 20. 21. 22.

*EXcipit hanc Ægeus facto damnandus in uno;*
*Nec ſatis hoſpitiũ eſt, thalami quoq; fœdere jungit:*
*Iámque aderat Theſeus proles ignota Parenti,*
*Qui virtute ſua [ſ] bimarem pacaverat Iſthmon.*
*Hujus in exitium miſcet Medea quod olim*
*Attulerat ſecum Scythicis [t] aconiton ab oris.*
*Illud [u] Echidnææ memorant è dentibus ortum*
*Eſſe canis. [x] Specus eſt tenebroſo cæcus hiatu,*
*Et via declivis, per quam Tirynthius heros*
*Reſtantem, contraq; diem, radióſque micantes*
*Obliquantem oculos, nexis adamante catenis*
*[y] Cerberon attraxit: rabida qui concitus irâ*
*Implevit pariter [y] ternis latratibus auras,*
*Et ſparſit virides ſpumis albentibus agros.*
*Has concrêſſe putant, nactaſq; alimenta feracis*
*Fœcundíque ſoli vires cepiſſe nocendi.*
*Quæ quia naſcuntur dura vivacia [z] caute,*

ſ Peloponneſum intra, Achaiam & alias regiones extra Iſthmum Corinthiacum inter mare Ionium & Ægeum. t Inf. v. 418 u E ſpumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule, ortum narrant fabulæ, inquit Plin. 27. l. 2. cap. --x-- Ideoque apud Heracleam Ponticam, ubi monſtratur is ad inferos aditus, copioſè naſcitur, Plin, ibid. y Lib. 4. v. 450. z Quæ Græcis ἀκόνη.

a Agre-

*Agreſtes aconita vocant. Ea [a] conjugis aſtu*
*Ipſe parens Ægeus nato porrexit, ut hoſti.*
*Sumpſerat ignata Theſeus data pocula dextrâ;*
*Cùm pater [b] in capulo gladii cognovit eburno*
*Signa ſui generis, [c] facinúſque excuſſit ab ore.*
*Effugit illa necem, [d] nebulis per carmina motis.*

a Theſea ſublatum è medio cupientis, quo regni ſucceſſio ad fil. Medum quem Ægeo peperat, deſcenderet.

b Auream fortè cicadam capulo eburneo inſculptam, vide quæ ad Senecæ Hippolyt. verſ. 896. de enſe & calceis ab Ægeo relictis ſub ſaxo apud Trœzenen, legatur Plutarchi Theſeus. c Deſtinatum, venenatum ſcil. poculum. d Verum nebulis offuſis, ne conſpici poſſet? an per aëra ſolito curru avecta?

## Theſei geſta, & Scironis oſſa in ſcopulos. FAB. 23.

AT genitor, quanquam lætatur ſoſpite nato,
*Attonitus tamen eſt, ingens diſcrimine parvo*
*Committi potuiſſe nefas fovet ignibus aras,*
*Muneribúſque deos implet; feriúntque ſecures*
*Colla toroſa boum [e] vinctorum cornua vittis.*
*Nullus [f] Erechthidis fertur celebratior illo*
*Illuxiſſe dies. agitant convivia patres,*
*Et medium vulgus: Nec non & carmina, vino*
*Ingenium faciente canunt. Te, maxime Theſeu,*
*Mirata eſt [g] Marathon Cretæi ſanguine tauri;*
*Quódque ſuam ſecurus arat [h] Cremyona colonus,*
*Munus, opúſque tuum eſt. Tellus Epidauria per te*
*[i] Clavigeram vidit Volcani occumbere prolem:*
*Vidit & immitem [k] Cephiſias ora [l] Procruſten;*

e Victimarum frontes coronis ac vittis impediri ſolitas, cornua inaurati nemini non notum.

f Athenienſibus ab Erectheo rege vide l. 6. v. 677.

g Opp. ad 10 millia ab Athenis, cujus incolas & armenta infeſtavit taurus efferatus ab Hercule ex Cretâ ad Euryſthea ductus. h Opp. in agro Corinthiaco, ubi Theſeus ſuem peremit. i Periphetam latronem, Corynetam dictum à κορύνη clavâ. ſed de his vide Plutarchi Theſea. & Diodorum l. 5. k Qua Cephiſus præterfluit Eleuſin urbem Atticæ. l Latronem, qui, ad lectum hoſpites emenſus, breviores extendebat, longiores decurtabat.

m *Cercyo-*



*[m] Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleuſis.*
*Occidit ille Sinis, magnis malè viribus uſus;*
*Qui poterat [n] curvare trabes, & agebat ab alto*
*Ad terram latè ſparſuras corpora pinus.*
*Tutus ad [o] Alcathoën [p] Lelegëia mœnia limes*
*[q] Compoſito Scirone pater; ſparſiſque latronis*
*Terra negat ſedem, ſedem negat oſſibus unda;*
*Quæ jactata diu fertur duràſſe vetuſtas*
*In ſcopulos. ſcopulis nomen Scironis inhæret.*
*Si titulos annoſq; tuas numerare velimus;*
*Facta [r] prement annos. Pro te, fortiſſime, vota*
*Publica ſuſcipimus: Bacchi tibi ſumimus hauſtus.*
*Conſonat aſſenſu populi, precibúſque faventum*
*Regia: nec tota triſtis locus ullus in urbe eſt.*

m Latronis, qui viatores in palæſtrâ victos, aut etiam certare recuſantes interfecit. Pauſan. in Atticis.

n Hinc Πιτυοκάμπτης dictus. Pauſ. Corinth.

o Megaras, ab Alcathoö reſtauratas, poſtquam ſublato Niſo vaſtatæ fuiſſent à Minoë. Pauſ. Attic. p A Lelege ex Ægypto profecto condita. ibid. q Præcipitavit Theſeus Scyrona ex iiſdem ſcopulis, è quibus viatores à ſe ſpoliatos, & lavare pedes coactos ipſe pede in mare proculcaſſet. Plutarch. Theſ. Strabo. lib. 9. r Superabunt.

## Arne in monedulam, FAB. 24.

NEc tamē (uſq; adeò [ſ] nulla eſt ſincera voluptas,
Sollicitúmq; aliquid lætis intervenit) *Ægeus*
*Gaudia percepit nato ſecura recepto.*
*Bella parat Minos: qui quanquam milite, quanquam*
*Claſſe valet; patria tamen eſt [t] firmiſſimus irâ,*
*[u] Androgeíque necem juſtis ulciſcitur armis.*
*Ante tamen bello vires acquirit amicas:*
*Quáque patent aditus volucri freta claſſe pererrat.*
*Hinc [x] Anaphen ſibi jungit, & [y] Aſtypaleïa regna,*
*[z] Promiſſis Anaphen, regna Aſtypaleïa bello.*
*Hinc humilem Myconem, cretoſáque rura Cimoli,*

ſ Apoll. 4 l. Ἀλλὰ γὰρ οὔ ποτε φῦλα δυηπαθέων, &c. Semperque è fonte leporum Manat amari aliquid.

t Pertinaciſſimus. Alii leg. *fortiſſimus.*

u Filii Minois, quem in certaminibus victorem, ut Diodorus. 5. l. vel à patre miſſum qui tributum poſceret, vel ad ſtudia ut Philoſophos audiret, ut Plutarchus in Theſeo, inſidiis atque invidiâ Athenienſes ſuſtulerunt. x Inſ. Cretici pelagi. y Aſtypalæan inſ. Carpathii maris. z Deſideratur hic verſus in pleriſque lib. nec non Mſs. meis.

K a *Floren-*

<sup></sup>a Florentémq; Siphnon, Scyron, b planámq; Ser phō,
Marmoreámque Paron, quámq; impia prodidit Arne
c Cythnon, & accepto, quod avara popoſcerat, auro.
Mutata eſt in avem quæ nunc quoq; diligit aurum,
Nigra pedes, nigris velata monedula pennis.

a Inclino in Micylli conjecturam, ut legatur *Florentemque viris Siphnon*, quæ prius Meropia; vel *Florentemque auro Siphnon, planamque Ser.* namque auro aliquando claruit. Strab. Plin. Pauſan. ut ſingulis inſulis ſua conſtent epitheta. vide 251. verſ. l. 5. b Quæ tamen aſpera & petricoſa eſt, 242. v. lib. 5. c Ita mutandum cenſet Micyllus, cui ſubſcribo. ex Ciofani lib. *Sithon & accepto.* tum ut inſula hæc ab Arne prodita habeat nomen, tum conjungantur verba *prodidit* & *Mutata eſt.* & quia nihil ad has inſulas Ægæi maris facit *Sithonis.*

## Formicæ in homines ſive Myrmidonas mutatæ. FAB. 25.

AT non d Oliaros, d Didyméq; & d Tenos, & Andr
Et d Gyaros, nitidæque ferax d Peparethos olivæ,
Gnoſſiacas juvêre rates: latere indè ſiniſtro
Oenopiam Minos petit Æacideïa regna.
Oenopiam veteres appellavêre: ſed ipſe
Æacus e Æginam genitricis f nomine dixit.
Turba ruit, tantæq; virum cognoſcere famæ
Expetit: occurrunt illi, Telamónque, minorque
Quàm Telamon Peleus, & proles tertia Phocus.
Ipſe quoque egreditur tardus gravitate ſenili
Æacus, &, quæ ſit veniendi cauſa, requirit.
Admonitus patrii luctus g ſuſpirat: & illi
Dicta refert h rector populorum talia centum.
Arma juves oro pro nato ſumpta; piæque
Pars ſis militiæ: tumulo ſolatia poſco.
Huic i Aſopiades, Petis irrita, dixit, & urbi
Non facienda meæ: neque enim conjunctior ulla
Cecropidis hâc eſt tellus. Ea fœdera nobis.
Triſtis abit; ſtabúntq; tibi tua fœdera magno,

d Inſſ. hæ maris Ægei. de quibus cōſule Geographos. e Huc enim ex Phliunte rapuit Iupiter Æginam Aſopi filiam. σὲ δ' ἐς νᾶσον Οἰνοπίαν ἐνεγκὼν κοιμᾶτο, δῖον ἔνθα τέκες Αἰακόν. Pindar. 8. Iſthm. f Hinc orta Iunonis invidia, immiſſaque peſtilentia. g Condolens ſcil. h Minos, cujus imperio parebat Creta ἑκατόμπολις. i Æacus Æginæ filius, hæc autem filia erat Aſopi fl. Bœotiæ.





Dixit: & utilius bellum putat eſſe minari,
Quàm gerere, atq; ſuas ibi præconſumere vires.
Claſſis ab Oenopiis etiam nunc k Lyctia muris
Spectari poterat: cùm pleno concita velo
Attica puppis adeſt, & portus intrat amicos,
Quæ l Cephalum, patriæq; ſimul mandata ferebat.
Æacidæ longo juvenes poſt tempore viſum
Agnovêre tamen Cephalum, dextraſq; dedêre,
Inq; patris duxêre domum. Spectabilis heros,
Et veteris retinens etiam nunc pignora formæ
Ingreditur, ramúmque tenens m popularis olivæ,
n Et dextra, lævâque duos ætate minores,
Major habet Clyton, & Buten pallante creatos.
Poſtquam congreſſi, primi ſua verba tulerunt
Cecropidæ: Cephalus peragit mandata, rogátque
Auxilium, fœdúſque refert, & jura parentum,
Imperiúmq; peti totius Achaïdos addit.
Sic ubi mandatam juvit facundia cauſam:
Æacus, o in capulo regni nitente ſiniſtrâ,
Ne petite auxilium, ſed ſumite, dixit, Athenæ.
Nec dubiæ vires: quas hæc habet inſula, veſtras
Ducite, & omnis eat rerum ſtatus iſte mearum.
Robora non deſunt: p ſuperat mihi miles, & hoſti,
Gratia diis, felix & q inexcuſabile tempus.
Imò ità ſit Cephalus, creſcat tua civibus opto
Urbs, ait: Adveniens equidem modo gaudia cepi,
Cùm tam pulchra mihi, tam par ætate juventus
Obvia proceſſit: r multos tamen inde requiro,
Quos quondam vidi veſtra priùs urbe receptus.
Æacus ingemuit, triſtique ità voce locutus:

k Cretenſis. Lyctus urbs Cretæ eſt. Ita Cydonia, Dictæa, Gnoſſia, Gortynia: ab urbibus Cretæ. l Principem legationis. m Quæ Minervæ Atticæ munus in certamine de urbis nomine l. 6. v. 77. pacis item inſigne. Paciferæque manu ramum prætendit olivæ. Æneid. l. 8. Virg. n Medium Cephalum ſtipabant Clytus & Butes duo filii Pallantis, qui unus ex filiis Pandionis. o Sceptro innixus quam tenuit ſiniſtrâ. Simul alluſum ad etymon ſceptri, à σκήπτομαι. p Abundè mihi militum eſt, quibus me tuear, & amicos juvem auxiliis. q Quo non ſit neceſſe excuſare ſe aut negare copias auxiliares. r Παρεκβολὴ ad Peſtis deſcriptionem. cujus ἀρχέτυπον ex 2. lib. Thucydidis in ſextum ſuum tranſtulit Lucretius. Hos ut & Homerum 1. Iliad. ſequuti Virgil. 2. Georgic. v. 478. & Æn. 3. 137. v. Seneca in Oedip. verſ. 36. & 110. Lucan. 6. lib. 84. verſ. Statius 1. Theb. 630. verſ. Silius 14. lib. 582. verſ. quos comparat inter ſe Scaliger 5. lib. Poetices c. 11.

f Flebile principium melior fortuna ſecuta eſt.
Hanc utinam vobis poſſem memorare! ſine ullo
Ordine nunc repetam: neu longa ambage morer vos.
t Oſſa ciniſque jacent, memori quos mente requiris,
Et quota pars illi rerum periêre mearum!
Dira lues populis ira Iunonis iniquæ
Incidit u exoſæ dictas à pellice terras.
x Dum viſum eſt mortale malum, tantæque latebat
Cauſa nocens cladis, pugnatum eſt arte medendi:
Exitium ſuperabat opem, quæ victa jacebat.
y Principio z cœlum ſpiſſa caligine terras
Preſſit, & ignavos incluſit nubibus æſtus:
a Dúmque quater plenis explevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Lethiferis calidi ſpirârunt æſtibus Auſtri.
b Conſtat & in fontes vitium veniſſe, lacuſque,
Milliáque incultos ſerpentum multa per agros
Erraſſe, atque ſuis fluvios temeraſſe venenis.
c Strage canum primò, volucrumq́; ,oviúmque, boumq́;
Inque feris ſubiti deprenſa potentia morbi eſt.
d Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros, medióque recumbere ſulco.
d Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros,
Sponte ſua lanæque cadunt, & corpora tabent.
d Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ,
Degenerat; palmæ veterúmque oblitus honorum,
Ad præſepe gemit morbo moriturus inerti.
d Non aper iraſci meminit; nec fidere curſu
d Cerva; nec armentis incurrere fortibus urſi.

f Peſtem omnia populantem ſequuta reſtauratio ex formicis. t Illi quidem quos deſideras mortui ſunt. u Æginam inſulam à pellice quã oderat denominatam. v. 478 ſupra. x Quamdiu latebat nos cauſſa morbi, neſcios divinitus fuiſſe immiſſum, medicam experti artem contendebamus: ſed fruſtra. y Cauſſas morbi expromit, inox ſymptomata, miſeros poſtremò exitus. z Craſſæ nubes impediebant benignitatem Solis, quo minus valeret exhalare vapores, & aëra inertem attenuare. a Pigrum aëra triſtemque non purgabat non refrigerabat ventus alius, dum morbidus graviſque Auſter per 4. menſes continuos æſtu ſuo corrumpit cœli tractum. b Quin & aqua corrumpitur partim vitio aëris, partim à venenoſis ſerpentibus. c Pecudes, ad terram pronæ & cerebro minùs frigidæ quàm homines, τὰς νοσώδεις ἀτμοὺς hauriebant & ex his primùm quibus odora vis. Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς. Iliad. α. d Confer his Virgilium 3. Georg. & ſupra citatos ad verſ. 520, & comparationes Scaligerianas 5. l. poët. 11.6.

Omnis



Omnia languor habet: ſylvíſque, agríſque, viiſque
Corpora fœda jacent; vitiantur e odoribus auræ.
Mira loquor: Non illa canes, avidæque volucres,
Non cani tetigere lupi: f dilapſa liqueſcunt,
Afflatúque nocent, & agunt contagia latè.
h Pervenit ad miſeros damno graviore colonos
Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus urbis.
i Viſcera torrentur primò: flammæque latentis,
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus igni.
Aſpera lingua tumet, tepidiſque arentia ventis
Ora patent, auræque graves captantur hiatu.
k Non ſtratum, non ulla pati velamina poſſunt;
Dura ſed in terra ponunt præcordia: nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore fervet.
Nec l moderator adeſt: inque ipſos ſæva medentes
Erumpit clades, obſúntque autoribus artes.
Quò propior quiſque eſt, ſervitque fideliùs ægro,
In partem lethi citiùs venit: atque ſalutis
Spes abiit, finémque vident in funere morbi.
m Indulgent animis; & nulla, quid utile, cura eſt.
Utile enim nihil eſt. Paſſim, poſitóque pudore,
n Fontibus, & fluviis, puteíſque capacibus hærent:
Nec ſitis eſt extincta prius, quàm vita, bibendo.
Indè graves morbo nequeunt conſurgere, & ipſis
Immoriuntur aquis; aliquis tamen haurit & illas.

e Pecudum, jumentorum, ferarum peſte extinctarum, fœtore. f Τὰ γὰρ ὄρνεα καὶ τετράποδα, ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται, πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων, ἢ οὐ προσῄει, ἢ γευσάμενα διεφθείρετο. Thucyd. 2. g Cadavera intacta à canibus ac vulturibus tabes abſumebat. Liv. l. 41.

h Ἐπίεσε δὲ αὐτοὺς μᾶλλον καὶ ἡ ξυγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ, καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας. Thucyd. Nec minimum partim ex agris, &c. Lucret. 6. i Spectemus hic, inquit Scaliger, quid ad puritatem Lucretii addiderit Ovidius. Principio caput incenſum, &c. uterque ex Thucydide. Πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα καὶ φλόγωσις ἐλάμβανε. k Μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολάς. μήτε ἄλλό, τι, ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι. Thucyd. 2. l Medicus imperator. Senec. 6. de Benef. 16. c. m Sibi permiſſi, quod lubet faciunt. n Ἤδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτ[illegible] Καὶ πολλοὶ εἰς φρέατα, τῇ δίψῃ ἀπαύστῳ ξυνεχόμενοι. Thucyd. ibid.



Tantâ-

Tantáque ſunt miſeris inviſi tædia lecti;
Proſiliunt, aut, ſi prohibent conſiſtere vires,
Corpora devolvunt in humum, fugiuntq́; penates,
Quiſque ſuos: ſua cuique domus funeſta videtur:
Et, quia cauſa latet, locus eſt in crimine notus.
Semianimes errare viis, dum ſtare valebant,
Aſpiceres; o flentes alios, terráque jacentes;
p Laſſáque verſantes ſupremo lumina motu,
Membráque q pendentis tendunt ad ſidera cœli,
Hic, illic, ubi mors deprenderat, exhalantes.
Quid mihi tunc animi fuit? aut quid debuit eſſe?
Ni vitam odiſſem, & cuperem pars eſſe meorum.
Quo ſe cunque acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat ſtratum; veluti cùm putria motis
Poma cadunt ramis, agitatáque ilice glandes.
Templa vides contrà gradibus ſublimia longis:
Iuppiter illa tenet. Quis non altaribus illis
Irrita thura dedit? quoties pro conjuge conjux,
Pro nato genitor, dum verba precantia dixit,
r Non exoratis animam finivit in aris?
Inque manu thuris pars inconſumpta reperta eſt?
ſ Admoti quoties templis, dum vota ſacerdos
Concipit, & t fundit purum inter cornua vinum;
Haud expectato ceciderunt vulnere tauri?
Ipſe ego ſacra Iovi pro me, patriáque, tribúſque
Cùm facerem natis; mugitus victima diros
Edidit, & ſubitò collapſa ſine ictibus ullis
u Exiguo tinxit ſubjectos ſanguine cultros.
Fibra quoque ægra notas veri, monituſque deorum
Perdiderat: triſtes penetrant ad viſcera morbi.
Ante ſacros vidi projecta cadavera poſtes:
x Ante ipſas, quò mors foret invidioſior, aras.

o Lacrymas inter ſymptomata & notas peſtis ſtatuunt medicorum filii.
p Vide quæ ad verſ. 71. lib. 5.
q Suſpenſi undique, convexi.
r In aris & templis Deorum, quos non exoraverant.
ſ Sæpe in honore Deûm medio ſtans hoſtia ad aram, Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros. Virg. 3. Georg.
t Poſt libatam, avulſis ſetis; poſt immolatam, ſale & farre fronti inſperſis; probata eſt hoſtia, vino, eoque mero, inter cornua fuſo.
u At vix ſuppoſiti tinguntur ſanguine cultri, ſummaque jejuna ſanie infuſcatur arenâ. Virg. ibidem.
x Τά τε ἱερὰ ἐν οἷς ἐσκήνωντο, νεκρῶν πλέα ἦν αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων. Thucyd. 2.





Pars animam laqueo claudunt, y mortiſq́; timorem
Morte fugant, ultróque vocant venientia fata.
z Corpora miſſa neci nullis de more feruntur
Funeribus: neque enim capiebant funera portæ.
Aut inhumata premunt terras; aut dantur in altos
a Indotata rogos. b & jam reverentia nulla eſt:
Déque rogis pugnant, alieníſque ignibus ardent.
Qui lacryment, deſunt; indefletæque vagantur
Natorum, matrúmque animæ, juvenúmque, ſenúmque:
Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignes.
Attonitus tanto miſerarum turbine rerum,
Iuppiter ô, dixi, c ſi te non falſa loquuntur
d Iſſe ſub amplexus Æginæ Aſopidos olim,
Nec te, magne pater, noſtri pudet eſſe parentem:
Aut mihi redde meos; aut me quoque conde ſepulcro.
Ille notam fulgore dedit, tonitruque ſecundo:
Accipio, ſintque iſta precor felicia mentis
Signa tuæ, dixi, quæ das mihi pignoris omen.
Fortè fuit juxtà patulis e rariſſima ramis
Sacra Iovi quercus de ſemine Dodonæo.
Hic nos frugilegas aſpeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
Rugoſoq́; ſuum ſervantes cortice callem.
Dum numerum miror, totidem, pater optime, dixi,
Tu mihi da cives, & inania mœnia ſupple.
f Intremuit, ramiſque ſonum ſine flamine motis
Alta dedit quercus. Pavidò mihi membra timore
Horruerant, ſtabántque comæ; tamen oſcula terræ,
Roboribúſque dedi: nec me ſperare fatebar;
Sperabam tamen, atque animo mea vota fovebam.

y Annon hic furor eſt, ne moriare mori? Martial. 2. lib. epigr. 80. cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare juſſerit mergi, ne periret; claſſem cremari, ne incenderetur. Florus l. 2. cap. 12.
z Non ſolito debitoque honore efferebantur mortui, neque exportandis extra urbem ad ſepulturam ſatis patebant portæ aut numero aut ſpatio.
a Nec thure in rogum ingeſto, nec collatis muneribus ab amicis.
b Καὶ πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο σπάνει τῶν ἐπιτηδείων. Thucyd. 2.
c Si vera ſunt quæ narrantur de te & Æginâ.
d Variè corrumpitur hic verſus. Mariangelus ex Vaticano legit, Iſſe ſub amplexus Æginæ Aſopidos ignem. Iupiter in ignem mutatus compreſſit Æginam. verſ. 112. lib. 6.
e Virum antiqua adeoque ramis raris? an ipſa rara, ut de ſemine Dodonæarum quercuum?
f Firmando omini; exauditis precibus.

Nox ſubit, & g curis exercita corpora ſomnus
Occupat. ante oculos eadem mihi quercus adeſſe,
Et rami totidem, h totidémque animalia ramis
Ferre ſuis viſa eſt: paritérque tremiſcere motu,
i Graniferúmque agmen ſubjectis ſpargere in arvis;
Creſcere quod ſubitò majus majúſque videtur,
Ac ſe tollere humo, k rectóque aſſiſtere trunco,
Et maciem, numerúmque pedum, nigrumque colorem
Ponere, & humanam membris inducere formam.
Somnus abit, damno vigilans mea viſa; querórque
In ſuperis opis eſſe l nihil: ſed in ædibus ingens
Murmur erat, vocéſque hominum exaudire videbar
m Iam mihi deſuetas. Dum ſuſpicor has quoque ſomni
Eſſe, venit Telamon n properus, foribúſque recluſis,
Spéque fidéque, pater, dixit, majora videbis;
Egredere: Egredior, qualéſque in imagine ſomni
Viſus eram vidiſſe viros, ex ordine tales
Aſpicio, noſcóque. Adeunt, regémque ſalutant.
Vota Iovi ſolvo, populíſque recentibus urbem
Partior, & vacuos priſcis cultoribus agros:
o Myrmidonaſq́; voco, nec p origine nomina fraudo.
Corpora vidiſti: mores, quos ante gerebant,
Nunc quoque habent. Parcum genus eſt, patiénſque laborum,
Quæſitique tenax, & quod quæſita reſervet.
Hi te ad bella pares annis animiſque ſequentur:
Cùm primùm, qui te feliciter attulit, Eurus
(Eurus enim attulerat) fuerit mutatus in Auſtros,

g Laboribus. h Ὅσοι ἔσαν μύρμηκες ἐπηράτε ἔνδοθι νήσε, Τὲς ἄνδρας ποίησε. Heſiodus in Theogonia. i Formicas. It nigrum campis agmen, prædamque per herbas Convectat. Æneid. 4. k Erecto aſſurgere corpore. l Cioſanus ex omnium librorum fide, contendit legendum eſſe, *nihil. at in ædibus* quod & Mss. mei agnoſcunt. m Cujuſmodi jam diu non audieram. n Alii *properans*, alii *properè*. o Μυρμιδόνας ὃ κληθῆναι φασὶν, ἐχ᾽ ὡς ὁ μῦθος, &c. Æginetæ non, ut eſt in fabulis, vocantur Myrmidones, quòd populo peſte abſumpto, ex voto Æaci, Iupiter formicas in homines mutârit: ſed quòd formicarum in morem terram fodiant, cùm agriculturam exercentes, tum lateribus coctis deſtituti in antris ſubterraneis habitantes. Strabo lib. 8. p Gentem de formicis natam non fraudo nativo nomine. Myrmidonas ἐκ μυρμήκων voco.





## Cephalus & Procris. FAB. 26.

TAlibus, atque aliis longum ſermonibus illi
Implevêre diem. q Lucis pars optima menſæ
Eſt data, nox ſomno. Iubar aureus extulerat Sol:
Flabat adhuc Eurus redituráque vela tenebat.
r Ad Cephalum Pallante ſati, cui grandior ætas;
Ad regem Cephalus, ſimul & Pallante creati
Conveniunt: ſed ad huc regem ſopor altus habebat.
Excipit Æacides illos in limine Phocus:
Nam Telamon, ſ fratérque viros ad bella parabant.
Phocus in interius ſpatium, pulchróſque receſſus
Cecropidas duxit, cum quîs ſimul ipſe reſedit.
Aſpicit Æoliden, ignota ex arbore factum
Ferre manu jaculum, cujus fuit aurea cuſpis.
Pauca priùs mediis ſermonibus ille locutus,
Sum t nemorum ſtudioſus, ait, cædiſque ferinæ.
u Qua tamen è ſylva teneas haſtile reciſum,
Iamdudum dubito: certè, ſi fraxinus eſſet,
Fulva colore foret; ſi cornus, nodus ineſſet.
Unde ſit ignoro: ſed non formoſius iſto
Viderunt oculi telum jaculabile noſtri.
Excipit Actæis è fratribus x alter: &, uſum
Majorem ſpecie mirabere, dixit, in iſto
y Conſequitur quodcunque petit: fortunáque miſſum
Non regit; & revolat nullo referente cruentum.
Tum verò juvenis z Nereïus omnia quærit:
Cur ſit, & unde datum, quis tanti muneris autor.
a Quæ petit ille refert, & cætera nota; pudore,
Quâ tulerit mercede, ſilet; tactúſque dolore

q Dici pars major. Mariangelus leg. *pars ultima*. r Clytus & Butes ad manè adeunt Cephalum utpote majorem natu; omnes ſimul regem. ſ Et Peleus. t Venationis. u E quo ligno. x Clytus, vel Butes. y Videtur ex aquifolia factum, cujus meminit Plinius l. 24. cap. 13. Baculum, inquit, vel jaculum, ex eâ factum, in quodvis animal emiſſum, etiam citrà ceciderit defectu mittentis, ipſum per ſeſe recubitu propius adlabi. z Phocus, quem ſuſtulit Æacus ex Pſamathe filiâ Nerei. Peleum enim & Telamonem ex Endeide Chironis vel Scironis filiâ habuit. a Cephalus reſpondet ad ea quæ petit & cætera nota, ſed quâ mercede acceperit, præ pudore tacet.

*Conjugis amiſſæ, lacrymis ità fatur obortis:*
*Hoc me, nate dea, (quis poſſet credere?) telum*
*Flere facit faciétque diu, ſi vivere nobis*
*Fata diu dederint. hoc me cum conjuge charâ*
*Perdidit; hoc utinam caruiſſem munere ſemper!*
b *Procris erat; ſi fortè magis pervenit ad aures*
*Orithyia tuas,* c *magnæ ſoror Orithyiæ:*
*Si faciem, moréſque velis conferre duarum,*
*Dignior iſta rapi. Pater hanc mihi junxit Erechtheus:*
*Hanc mihi junxit amor. Felix dicebar, erámque.*
*Non ità diu viſum eſt: at nunc quoque forſitan eſſem.*
*Alter agebatur* d *poſt ſacra jugalia menſis;*
*Cùm me cornigeris tendentem retia cervis*
*Vertice de ſummo ſemperflorentis* e *Hymetti*
*Lutea mane videt pulſis Aurora tenebris,*
f *Invitúmque rapit. Liceat mihi vera referre*
*Pace deæ, quòd ſit roſeo ſpectabilis ore,*
*Quòd teneat lucis, teneat confinia noctis,*
*Nectareis quòd alatur aquis. Ego Procrin amabam,*
*Pectore Procris erat, Procris mihi ſemper in ore.*
*Sacra tori coitúſque novos, thalamóſque recentes,*
*Primáque deſerti referebam fœdera lecti.*
*Mota dea eſt; &, ſiſte tuas, ingrate, querelas,*
*Procrin habe, dixit: quòd ſi mea provida mens eſt,*
*Non habuiſſe voles; méque illi irata remiſit.*
*Dum redeo, mecúmque deæ memorata retracto,*
*Eſſe metus cœpit, nè jura jugalia conjux*
*Non bene ſervâſſet: Facies ætáſque jubebant*
*Credere adulterium; prohibebant credere mores.*
*Sed tamen abfueram;* g *ſed & hæc erat, unde redibam,*
*Criminis exemplum: ſed cuncta timemus amantes.*

b Redi ad lib. 6. verſ. 481. c Al. rapta. d Poſt celebratas nuptias. e Montis Atticæ propè Athenas. f Κέφαλος τοῦ κάλλους ἕνεκα ὑπὸ Ἡμέρας ἡρπαγμένος. Pauſanias in Laconicis. Formoſiſſimos autem quoſque à Diis raptos legere eſt apud Deipnoſophiſtam lib. 13. cap. 2.

g Sed & Aurora, à qua veniebam, ipſa erat exemplum adulterii.

*Quæ-*



h *Quærere quod doleam ſtatuo, doníſque pudicam*
*Sollicitare fidem. favet huic Aurora timori,*
*Immutátque meam (videor ſenſiſſe) figuram,*
*Palladiaſque ineo non cognoſcendus Athenas,*
*Ingrediórque domum. Culpa domus ipſa carebat,*
*Caſtáque ſigna dabat, dominóque erat anxia rapto.*
*Vix aditus, per mille dolos, ad Erechthida factus.*
*Ut vidi, obſtupui, meditatáque pene reliqui*
*Tentamenta* i *fidè: malè me, quin vera faterer,*
*Continui; malè quin, ut oportuit, oſcula ferrem.*
*Triſtis erat: ſed nulla tamen formoſior illâ*
*Eſſe poteſt triſti, deſiderióque dolebat*
*Conjugis erepti. Tu collige, qualis in illa*
*Phoce, decor fuerit, quam ſic dolor ipſe decebat.*
*Quid referam, quoties tentamina noſtra pudici*
*Reppulerint mores? quoties, Ego, dixerit, uni*
*Servor, ubicunque eſt? uni mea gaudia ſervo.*
*Cui non iſta* k *fide ſatis experientia ſano*
*Magna foret? Non ſum contentus, & in mea pugno*
*Vulnera; dum cenſus dare me promitto, loquendo,*
*Muneráque augendo, tandem dubitare coëgi.*
l *Exclamo, Mala! pectora detego; tectus adulter,*
*Verus eram conjux: me perfida teſte teneris.*
*Illa nihil: tacito tantummodo victa pudore*
m *Inſidioſa malo cum conjuge limina fugit,*
*Offenſáque mei genus omne peroſa virorum,*

h Aliter narratur hæc fabula ab Antonino Liberali. Κέφαλος inquit, ὁ Δηΐονος ἔγημεν, &c. Cephalus Deionis filius Procrin Erechthei filiam in Thorico Atticæ duxit. Erat is Cephalus juvenis formâ & fortitudine excellens: cujus pulchritudine mota Aurora eum rapuit, ſibique maritum adſcivit. Tum igitur Cephalus Procrin tentavit, an matrimonii
fidem & illa ſervatura eſſet. Venatum aliquando ſe ire ſimulat, ad Procrin
autem mittit ſervum ignotum; qui magnam auri vim ferens, hoc ei à pere-
grino quodam ipſius amore capto, dari ait, ſi ſui copiam faceret. Procris
tenuit, ſed cùm duplum mitteretur, conſenſit. Cephalus ubi eam domum
ingredi animadvertit, jamque ad ſe, quem alium putabat, accumbere: facem
ardentem infert, facinuſque ejus arguit. 41. fab. Tzetzes 1. Chil. 20. narrat
deprehenſam à Cephalo cum Pteleonte juvene, à quo acceperat auream co-
ronam. Hyginus fab. 189. i Pro *fidei* Archaiſmus. Agellius l. 9. cap. 14.
Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas. Virg. 1. Georgic. reſpice v. 341.
lib. 3. k Vt modo verſ. 733. niſi audire malis Cioſanum ex Vaticano,
Cui non iſta ſatis fidei. l Varias hujus verſus lectiones adfert Cioſanus,
inter alias hanc probat, quam ex meis unus habet. Exclamo, malè pacta
nego: malè pactus adulter. m Procris ut habet Ant. Liberalis fab. 41.
ptæ pudore Cephalum deſerit, & ad Minoem Cretæ regem confugit, &ce-
Ab eo jaculum & canem accipit, quæ nulla fera poterat evitare, verùm om-
nes iis capiebantur.

 n *Monti-*

n Montibus errabat,ſtudiis operata Dianæ.
Tum mihi deſerto violentior ignis ad oſſa
Pervenit:orabam veniam,& peccâſſe fatebar,
Et potuiſſe datis ſimili ſuccumbere culpæ
Me quoque muneribus,ſi munera tanta darentur.
Hæc mihi confeſſo læſum priùs u'ta pudorem
Redditur,& dulces concorditer exigit annos.
Dat mihi præterea,tanquam ſi parva dediſſet
Dona,canem munus: quem cùm ſua traderet illi
Cynthia,Currendo ſuperabit,dixerat,omnes.
Dat ſimul & jaculum, o manibus quod cernis habere.

n-- His ſumptis, Procris Thoricum Atticæ venit ubi Cephalus habitabat, & ei in venatione occurrit; ſed mutato, ita ut à nemine agnoſceretur, habitu. Cephalus animadvertens ſe venando nihil conſequi, Procrin omnia, jaculi iſtius deſiderio captus eſt. Procris id ei promiſit concubitus conditione. Quam ubi ille accepiſſet, Procris ſe prodidit, eique exprobravit, quod æquè ac ipſa peccâſſet. Canem quidem & jaculum Cephalus accepit. Liberalis ibidem. o And. Naugerius edidit, Quod nos,ut cernis, habemus.

## Fera & canis in ſaxum. FAB. 27.

MUneris alterius quæ ſit fortuna requiris?
Accipe mirandum:novitate movebere facti.
Carmina p Naiades non intellecta priorum
Solvunt ingeniis:& præcipitata jacebat,
Immemor ambagum vates obſcura ſuarum,
Scilicet alma Themis;nec talia liquit inulta,
Protinus Aoniis immiſſa eſt bellua Thebis.
q Ceſſit & exitio multis:pecorique,ſibique
r Ruricolæ pavêre feram. Vicina juventus

p Naïadas, aut Thrias nymphas Apollinis nutrices, aut etiam Nymphas Citheronidas (quæ in antro Sphragidio vaticinabantur, ut Pauſanias in Bœoticis) conſultas de oraculorum reſponſis. ideoque ſuas ſortes neglectas, fanumque dejectum indignata Themis vulpem immiſit quæ Thebanorum agros & pecora infeſtaret. à Baccho immiſſam refert Pauſanias in Bœoticis. de Themidis oraculo, vide quæ ad 320. verſ. lib. 1. q Alii leg. *Ceſſit & exitio multis pecorique ſibiq;, Ruricolæ pavere feram.* Planudis verſio Græca agnoſcit lectionem, *pecorumq; ſuumq;*. καὶ πολλοῖς εἰς ὄλεθρον προβάτων καὶ χοίρων γέγονεν, interpretati. narrat Ant. Liberalis fab. ult. rapuiſſe pueros Cadmæorum: eique puerum trigeſimo quoque die expoſitum, quem illa ablatum devorabat, ὡς ἐπ' ὀλέθρῳ Τεαφείη θηβαίων. Pauſ. Bœotic. r Al. *Rurigenæ*. hinc Planudi *Indigenæ*. ἔδεισαν δὲ καὶ οἱ ἰθαγενεῖς θηρίον.

Venimus



Venimus,& latos ſ indagine cinximus agros.
Illa levi velox ſuperabat retia ſaltu:
Summáque tranſibat poſitarum lina plagarum.
Copula detrahitur canibus. quos illa ſequentes
Effugit,& cœtum non ſegnior alite ludit.
Poſcor & ipſe meum conſenſu Lælapa magno:
(Muneris hoc nomen) Iamdudum t vincula pugnat
Exuere ipſe ſibi colloque morantia tendit.
Vix bene miſſus erat;nec jam poteramus,ubi eſſet,
Scire; pedum calidus veſtigia pulvis habebat:
Ipſe oculis ereptus erat. Non ocyor illo
Haſta;nec exutæ contorto verbere glandes:
Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.
Collis apex medii ſubjectis imminet arvis:
Tollor in hunc,capióque novi ſpectacula curſus.
Quo modò deprendi,modò ſe ſubducere ab ipſo
Vulnere viſa u fera eſt; nec limite callida recto,
In ſpatiúmque fugit;ſed decipit ora ſequentis,
Et redit in gyrum,nè ſit ſuus impetus hoſti.
Imminet hic,ſequitúrque parem; ſimiliſque tenenti
Non tenet,& vanos exercet in aëre morſus.
Ad jaculi vertebar opem;quod dextera librat
Dum mea, dum digitos amentis addere tento;
Lumina deflexi,revocatáque rurſus eôdem
Rettuleram:& medio(mirum) duo marmora campo
Aſpicio;fugere hoc,illud latrare putares.
Scilicet invictos ambos certamine curſus
Eſſe deus voluit, ſi quis deus affuit illis.

ſ Hominum, plagarum, retium, formidinum circumductu. vide quæ nos ad primam ſcen. Hippolyti Senecæ. t Lorum quo tenebatur. vel ipſam copulam. u Vulpem hanc Theumeſſiam à Thebanorum vico Teumeſſo vocat Pauſan. in Bœot. Palephatus & Tzetzes 1. Chil. 20. Hi virum aiunt fuiſſe cui nomen Alopex. qui à Thebanorum rege propter aſtutiam ſuſpectus & urbe expulſus validâ militum manu Teumeſſum collem occupavit. hunc Cephali auxilio adjutos Thebanos tandem deviciſſe. Tzetzes addit Canem hunc virum fuiſſe quo uſus eſt conciliatore Cephali & Procridis Minos. eundem, cùm triremi veloci inſequeretur Alopeca, utrunque fractis navibus periiſſe in petris marinis.

## Procris à Cephalo imprudenter interempta. FAB. 28.

HActenus,& tacuit. jaculo quod x crimen in ipſo eſt?
Phocus ait. Iaculi ſic crimina reddidit ille.

x Dixerat ſuprâ verſ. 695. Hoc telum me flere facit.

y Gaudia principium noſtri ſunt, *Phoce*, doloris.
*Illa priùs referam. juvat ô meminiſſe beati*
*Temporis, Æacide: quo primos ritè per annos*
*Conjuge eram felix, felix erat illa marito;*
*Mutua cura duos, & amor ſocialis habebat.*
[z] *Nec Iovis illa meo thalamos præferret amori,*
*Nec me quæ caperet, non ſi Venus ipſa veniret,*
*Ulla erat: æquales urebant pectora flammæ.*
*Sole ferè radiis feriente cacumina primis.*
*Venatum in ſylvas juveniliter ire ſolebam:*
a *Nec mecum famuli, nec equi, nec naribus acres*
*Ire canes, nec* [b] *lina ſequi nodoſa ſolebant.*
*Tutus eram jaculo: ſed cùm ſatiata ferinæ*
*Dextera cædis erat; repetebam frigus, & umbram,*
*Et quæ de gelidis exibat vallibus, auram.*
*Aura petebatur medio mihi lenis in æſtu,*
*Auram expectabam: requies erat illa labori.*
*Aura (recordor enim) venias, cantare ſolebam,*
*Méque juves, intréſque ſinus gratiſſima noſtros,*
*Utque facis,* [c] *relevare velis, quibus urimur, æſtus.*
*Forſitan addideram (ſic me mea fata trahebant)*
*Blanditias plures, &, Tu mihi magna voluptas,*
*Dicere ſum ſolitus, Tu me reficiſque, fovéſque;*
*Tu facis, ut ſylvas, ut amem loca ſola, meóque*
*Spiritus iſte tuus ſemper capiatur ab ore.*
[d] *Vocibus ambiguis deceptam præbuit aurem*
*Neſcio quis, noménque auræ tam ſæpe vocatum,*
*Eſſe putat Nymphæ: Nympham mihi credit amari.*
*Criminis extemplo ficti temerarius index*
*Procrin adit, linguáque refert audita ſuſurra.*

y Ita Diis placitum, voluptati, ut mœror comes conſequatur. Plautus in Amphitryone. & verſ. 457. ſutura, Sollicitumque aliquid lætis intervenit. z Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle, Quàm mihi; non ſi ſe Iupiter ipſe petat. Dicit: ſed mulier cupidè quod dicit amanti, in vento & rapida ſcribere oportet aquâ. Catullus 71. epigr. a Herc. Ciofanus ex uno ſuo, duobus Vaticanis & uno Celeſt. in lectionem hanc aſſerit. Nec mecum famulos, nec equos, nec naribus acres Ire canes, nec lina ſequi nodoſa ſinebam. Quam lect. in ver. quibuſdam Mariangelus invenit. & ego in uno Ms. meo, quam ingenuam credo; neque enim voluiſſe noſtrum tot in eadem viciniâ verſus claudere uno verbo *ſolebant*. 814. 816: 822. *b* Retia rara, plagæ. 4. Æn. *c* Quæque meos releves æſtus, cantare ſolebam, Accipienda ſinu mobilis aura veni. Ovid. 3. de Arte. *d* Conjugis ad timidas aliquis malè ſedulus aures Auditos memori detulit aure ſonos. ibid.





Credula res amor eſt. e *Subito collapſa dolore,*
*Ut mihi narratur, cecidit; longóque refecta*
*Tempore, ſe miſeram, ſe fati dixit iniqui:*
*Déque fide queſta eſt, &, crimine concita* * *vano,*
*Quod nihil eſt, metuit, metuit ſine corpore nomen,*
*Et dolet infelix, veluti de pellice verâ.*
*Sæpe tamen dubitat, metuítque miſerrima falli,*
*Indicióque fidem negat: &, niſi viderit ipſa,*
*Damnatura ſui non eſt delicta mariti.*
*Poſtera depulerant* [f] *Auroræ lumina noctem:*
*Egredior, ſylvaſque peto,* [g] *victórque per herbas,*
*Aura veni, dixi, noſtróque medere labori.*
*Et ſubitò gemitus inter mea verba videbar*
*Neſcio quos audiſſe: veni tamen optima dicens,*
h *Fronde levem rurſus ſtrepitum faciente caducâ*
*Sum ratus eſſe feram, telúmque volatile miſi.*
*Procris erat; medióque tenens in pectore vulnus,*
i *Hei mihi! conclamat. Vox eſt ubi cognita fidæ*
*Conjugis: ad vocem præceps, améńſque cucurri,*
*Semianimem, & ſparſas fœdantem ſanguine veſtes,*
*Et ſua (me miſerum!) de vulnere dona trahentem*
*Invenio, corpúſque meo mihi charius ulnis*
*Mollibus attollo, ſciſſaque à pectore veſte*
*Vulnera ſæva liga, conórque inhibere cruorem:*
*Neu me morte ſua ſceleratum deſerat, oro.*
*Viribus illa carens, & jam moribunda, coëgit*
*Hæc ſe pauca loqui; Per noſtri fœdera lecti,*
*Pérque deos ſupplex oro, ſuperóſque,* k *meóſque,*
l *Per ſi quid merui de te bene, perque manentem*
m *Nunc quoque, cùm pereo, cauſam mihi mortis amorem,*

e Procris ut accepit nomen, quaſi pellicis, auræ; Excidit, & ſubito mota dolore fuit. * F ctо & ementito. *f* Auræ, quod non minùs illi fatale, quàm Auroræ priùs; namque Procris timens Auroram, ut habet Hyginus fab. 189 montino tempore ſecuta eum, ut obſervaret, inter virgulta delituit. quæ virgulta cùm Cephalus moveri vidit, jaculum inevitabile miſit, & Procrin conjugem ſuam interfecit. g Voti compos, ſatiatus cæde ferarum. *h* Surgit, & Oppoſitas agitato corpore frondes Movit in amplexus uxor itura viri. Ille feram ſonuiſſe ratus, juveniliter arcum Corripit. *i* Hei mihi, conclamat, fixiſti pectus amicum; Hic locus à Cephalo vulnera ſemper habet. *k* Inferos, ad quos jam moritura hinc migro. *l* Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam Dulce meum. Dido Virgiliana. 4. Æneid. *m* Nomine ſuſpectam mihi ſpiritus exit in auram: Iam morior.

*Nè thalamis auram patiare* [n] *incumbere noſtris.*
*Dixit:& errorem tum denique nominis eſſe*
*Et ſenſi,& docui. Sed quid docuiſſe juvabat?*
*Labitur,& parvæ fugiunt cum ſanguine vires:*
*Dúmque aliquid ſpectare poteſt, me ſpectat,* [o] *& in me*
*Infelicem animam,noſtróque exhalat in ore:*
*Sed vultu* [p] *meliore mori ſecura videtur,*
*Flentibus hæc lacrymans heros memorabat: & (ecce!)*
*Æacus ingreditur duplici cum prole novóque*
*Milite;quem Cephalus cum fortibus accipit armis.*

n Al. incubere. o Et pectore lapſus Excipitur miſeri ſpiritus ore viri. Hoc autem ex more veterum apud quos parens, conjux, amicus ut quiſque erat charior, expirantem deoſculatus, extremum halitum & fugientem animam ore excipiebat. Et extremus ſi quis ſuper halitus errat, Ore legam. Anna Didonis ſoror 4. Æneid. p Ante diem morior, ſed nulla pellice læſa; Hoc faciet poſitam te mihi terra levem. Hæc eadem Procris. 3. de Arte.

LIBER



# LIBER VIII.

## Niſus rex in Haliæetum, & Scylla in Cirim. FAB. I.

*IAm nitidum retegente diem, noctiſque fugante*
*Tempora Lucifero, cadit Eurus, & humida ſurgunt*
*Nubila. dant placidi curſum redeuntibus Auſtri*
[a] *Æacidis, Cephalóque, quibus feliciter acti*
*Ante expectatum portus tenuêre petitos.*
*Interea Minos* [b] *Lelegeia litora vaſtat,*
*Prætentátque ſui vires Mavortis in urbe*
[c] *Alcathoë, quam Niſus habet: cui ſplendidus oſtro*
*Inter honoratos medio de vertice canos*
*Crinis inhærebat, magni fiducia regni.*
*Sexta reſurgebant orientis cornua Lunæ:*
*Et pendebat adhuc belli fortuna, diúque*
[d] *Inter utrumque volat dubiis victoria pennis.*
*Regia turris erat* [e] *vocalibus addita muris,*
*In quibus auratam proles Latonia fertur*
*Depoſuiſſe lyram: ſaxo ſonus ejus inhæſit.*
*Sæpe illuc ſolita eſt aſcendere filia Niſi,*
*Et petere exiguo reſonantia ſaxa lapillo,*
*Tunc cùm pax eſſet: bello quoque ſæpe ſolebat*
*Spectare ex illa rigidi certamina Martis.*
*Iamque mora belli, procerum quoque nomina nôrat,*
*Armaque, equóſque, habituſque,* [f] *Cydoniaſque pharetras.*

a Æginenſi militi ab Æaci filiis conſcripto. Nam Telamon fraterque viros ad bella parabãt. 674. v. lib. præced. b Megarenſia à Lelege qui ab Ægypto advena Megaras reſtauravit, incolaſque à ſe Lelegas nominari voluit, cujus nepotem Scironem & Niſum de regno diſceptantes arbitrum delegerunt Æacum, is regnum Niſo adjudicavit. Pauſan. in Atticis. c Megaris, etiam ab Alcathoo reſtauratis & munitis. d Νίκη ἑτεροκλινὴς, Ἄλλοτε μὲν Μινῶ' ἐπαμείβεται, ἄλλοτε Νίσῳ. Romanæ victoriæ optimè conſuluit fulmen, alas illi decutiens. Νίκη γὰρ φεύγειν ἄπτερος οὐ δύνατο. Anthol. 4. e Alchathoo Megaras mœnibus cingenti operam navans Apollo lyram depoſuit. ſonus autem lyræ in lapides ſubjectos tranſiit. ita ut ſi quis calculo eos percuſſerit, eundem, quem pulſæ fides, ſonum reddunt. Pauſan. Att. Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulſus, Et veterem ſonitu Phœbi teſtatur amorem. Ciris. f Cretenſes à Cydone Cretæ urbe, infra ad verſ. 40.

Noverat

Noverat ante alios faciem [g] ducis Europæi;
Plùs etiam, quàm nôſſe ſat eſt. Hac judice, Minos,
Seu caput abdiderat criſtata caſſide pennis,
In galea formoſus erat; ſeu ſumpſerat ære
Fulgentem clypeum; clypeum ſumpſiſſe decebat;
Torſerat adductis hoſtilia lenta lacertis,
Laudabat virgo junctam cum viribus artem;
Impoſitis calamis patulos ſinuaverat artus,
Sic Phœbum ſumptis jurabat ſtare ſagittis.
Cùm verò faciem dempto nudaverat ære,
Purpureúſque albi [h] ſtratis inſignia pictis
Terga premebat equi, ſpumantiáque ora regebat.
[i] Vix ſua, vix ſanè virgo Niſëia compos
Mentis erat. felix jaculum, quod tangeret ille;
Quæque manu premeret, felicia fræna vocabat.
Impetus eſt illi (liceat modò) ferre per agmen
Virgineos hoſtile gradus: eſt impetus illi
Turribus è ſummis in [k] Gnoſſia mittere corpus
Caſtra, vel æratas hoſti recludere portas,
Vel ſi quid Minos aliud velit. Utque ſedebat
Candida [k] Dictæi ſpectans tentoria regis,
Læter, ait, doleámne geri lacrymabile bellum,
In dubio eſt. Doleo: quod Minos hoſtis amanti eſt;
Sed niſi bella forent, nunquam mihi cognitus eſſet:
[l] Me tamen accepta poterat deponere bellum
Obſide; me comitem, me pacis pignus haberet.
Si [m] quæ te peperit talis, pulcherrime regum
Qualis es ipſe, fuit; meritò Deus arſit in illâ.
O ego [n] ter felix! Si pennis lapſa per auras
Gnoſſiaci poſſem caſtris inſiſtere regis.
Faſſaque me, flammáſque meas, Qua dote, rogarem,

g Minois, Iupiter enim ex Europa ſuſcepit Minoa, Radamanthum, & Sarpedonem, ut habet Herodotus in Clio. quem tamen Homerus Iovis & Laodamiæ filium fuiſſe ſcribit Il. 16. h Ephippiis variorum colorum. i Vix ſui juris & arbitrii, vix mentis compos erat Scylla, cui omnis cultus, geſtus omnis placebat, ipſa arma pronunciabantur felicia. k Cretæ ἑκατομπόλεως eximiæ fuerunt urbes Cydon, Cnoſſus, Gortyn, Lyctus, mons Dicte. atque hinc poëtis Cretæ epitheta. l Et ſanè regum liberi obſides plerunque, pacis & fœderum pignora poſcebantur olim & dabantur. m Europa, ad verſ. 23. ſupra. n Perfectè felix. Ternarius quippe numerus perfectus habebatur.





Vellet [o] emi; tantùm patrias ne poſceret arces:
Nam pereant potiùs ſperata cubilia, quàm ſim
Proditione [p] potens; quamvis ſæpe utile vinci
Victoris placidi fecit clementia multis.
Iuſta gerit certè pro [q] nato bella perempto:
Et cauſaque valet, cauſamque tuentibus armis.
Ut puto vincemur. Qui ſi manet exitus urbem;
Cur ſuus hæc illi referet mea mœnia Mavors,
Et non noſter amor? Melius ſine cæde, moráque,
Impensâque ſui poterit ſuperare cruoris.
Nam metuo certè, nè quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens. quis enim tam durus, ut in te
Dirigere immitem non inſcius audeat haſtam?
Cœpta placent: & ſtat ſententia tradere mecum
Dotalem patriam, finêmque imponere bello.
Verùm Velle parum eſt. Aditus cuſtodia ſervat,
Clauſtraq; portarum genitor tenet: hunc ego ſolum
Infelix timeo, ſolus mea vota moratur.
Dii facerent ſine patre forem! [r] Sibi quiſq; profectò
Eſt deus: [ſ] ignavis precibus fortuna repugnat.
Altera jamdudum, ſuccenſa Cupidine tanto,
Perdere gauderet quodcunque obſtaret amori.
Et cur ulla foret me fortior? Ire per ignes,
Et gladios auſim; nec in hoc tamen ignibus ullis,

o Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant. 1. Vſu, ſi mulier per annum unum cum viro, licet ſine legibus fuiſſet: 2 Farre vel Confarreatione, cùm per Pontificem Max. & Dialem Flaminem per fruges & molam ſalſam conjungebantur: ex quibus nuptiis Patrimi & Matrimi appellabantur. 3 Coëmptione, atque in manum conventione, cùm illa ut ſi quis prior fuerit defunctus, in filiæ locum, maritus in patris veniebat; Servius Petri Danielis. Formulas locum hereditatis juſtum alteri faceret. ut verſ. 80. infrà, & 751. vide apud Briſſonium lib. 6. p Voti compos. 7. lib. verſ. 461. q Androgeo ab Athenienſibus ex invidiâ & inſidiis cæſo. ut Euripides audet dicere, r Ergo animus, qui, ut ego dico, divinus eſt, mentibus addunt Euryale? an ſua cuique Deus ſit dira cupido? Niſus Virgilianus 9. Æneid. Deus eſt. Cic. 1. Tuſc. quæſt. Diine hunc ardorem Animus humanus etiam nunc in corpore ſitus Dæmon nuncupatur. Apuleius de Deo Socratis. Prope eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt. Seneca 41. Epiſt. Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad homines venit. Imò, quod propius eſt, in homines venit. Nulla ſine Deo mens bona eſt. Seneca epiſt. 73. Dextra mihi Deus eſt & telum quod miſſile libro. Mezentius 10. Æn. ſ Fortunam Lacedæmonii admotâ manu invocabant. Heſiodus præcipit agricolæ, ut ſtivam manu tenens vota nuncupet Diti ac Cereri. Ajax ſeſe ad arma componens invocat Deos. Iliad. η. non Perſeum fugientem in Pydnen ex prælio, hoc prætextu, ut Diis ſacrificaret; ſed Paulum Æmylium ſtricto enſe precantem pugnantem exaudivere Dii, illique victoriam conceſſere. Plutarchus in Æmylio. Fortuna fortes metuit, ignavos premit. Seneca Med. 159.

t Niſus Martis, ſive ut alii Deionei, filius (inquit Hyginus 198. fab.) rex Megarenſium, in capite crinem purpureum habuiſſe dicitur. Cui ab oraculo reſponſum fuit, tandiu eum regnaturum, quamdiu eum crinem cuſtodiſſet. Eruditus neſcio quis, Pierio ſuffectus, addit Hieroglyphicum virginis cui abſciſſi capilli: meminitque Samſonis cujus robur in capillis: & Niſus, inquit, non prius à Minoë interfici potuit, quàm illi à filia ejus fatalis pilus abſcinderetur.

Aut gladiis opus eſt: opus eſt mihi [t] crine paterno.
Ille mihi eſt auro pretioſior, illa beatam
Purpura me, votiq; mei factura potentem.
Talia dicenti curarum maxima nutrix
Nox intervenit: tenebriſque audacia crevit.
Prima quies aderat, qua curis feſſa diurnis
Pectora ſomnus habet. Thalamos taciturna paternos
Intrat & (heu facinus) [u] fatali nata parentem
Crine ſuum ſpoliat, prædáq; potita nefandâ
Fert ſecum ſpolium ſceleris, progreſſáq; portà
Per medios hoſtes (meriti fiducia tanta eſt)
Pervenit ad regem; quem ſic affata paventem eſt:
Suaſit amor facinus, proles ego regia Niſi
Scylla tibi trado patriamq; meóſque penates.
Præmia nulla peto, niſi te. Cape pignus amoris
Purpureum crinem, nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi, crede, caput: ſceleratáque dextrâ
Munera porrexit. Minos porrecta refugit,
Turbatúſque novi reſpondit imagine facti:
Dii te ſummoveant, ô noſtri infamia ſecli!
[x] Orbe ſuo tellúſq; tibi, pontúſque negetur!
Certè ego non patiar [y] Iovis incunabula Creten.
Qui meus eſt [z] orbis, tantum contingere monſtrum.
Dixit: &, ut leges captis juſtiſſimus autor
Hoſtibus impoſuit, claſſis retinacula ſolvi
Iuſſit, & æratas [a] impleri remige puppes.
Scylla, freto poſtquam deductas nare carinas,
Nec præſtare ducem ſceleris ſibi præmia vidit,
Conſumptis precibus violentam tranſit in iram,
Intendenſq; manus paſſis furibunda capillis,

u Crinis hic fatalis ſignificat ſecretum Niſi conſilium, quod in capite ſummo. Hoc autem hoſtibus prodito, quid ſupereſt, niſi urbis expugnatio? Georg. Sabinus, apud quem vide ſimilem hiſtoriam de Romilda Foro Iulienſi. x Ad parricidarum ſupplicium alluſum volunt. de eo Cicer. in oratione pro Roſcio Amerino. y Mons Ideus ubi, & gentis cunabula noſtræ. Æneid. 3. Callimachus hymno ad Iovem. Gyrald. Syntagm. 1. z Orbis pro imperio & ditione ſumitur. a Non nihil eſt quod Ciofanus ſuggerit, impelli remige puppes.

b Quo



[b] Quò fugis, exclamat, meritorum autore relictâ?
O patriæ prælate meæ, prælate parenti!
Quò fugis immitis? cujus victoria noſtrum
Et ſcelus, & meritum eſt. [b] Nec te data munera, nec te
Noſter amor movit, nec, quòd ſpes omnis in unum
Te mea congeſta eſt? [c] Nam quò deſerta revertar?
In patriam? Superata jacet. Sed finge manere:
Proditione mea clauſa eſt mihi. Patris ad ora,
Quæ tibi donavi? Cives odêre merentem,
Finitimi exemplum metuunt. [d] obſtruximus orbem
Terrarum nobis, ut Crete ſola pateret.
Hanc quoque ſi prohibes, & nos, ingrate, relinquis,
[e] Non genitrix Europa tibi eſt, ſed inhoſpita Syrtis,
Armeniæq; tigres, Auſtróque agitata Charybdis.
Nec Iove tu natus, nec mater imagine tauri
Luſa tua eſt; generis falſa eſt ea fabula: verùm
Et ferus, & captus nullius amore juvencæ,
Qui te progenuit, taurus fuit. Exige pœnas,
Niſe pater; gaudete malis modò prodita noſtris
Mœnia: nam, fateor, merui, & ſum digna perire,
Sed tamen ex illis aliquis, quos impia læſi,
Me perimat: cur, qui viciſti crimine noſtro,
Inſequeris crimen? ſcelus hoc patriæq;, patriq;
Officium tibi ſit. Te vero conjuge digna eſt,
Quæ torvum [f] ligno decepit adultera taurum,
Diſcordémque utero fœtum tulit. Ecquid ad aures
Perveniunt mea dicta tuas? an inania venti
Verba ferunt, iidemque tuas, ingrate, carinas?
Iam Iam Paſiphaën non eſt mirabile taurum
Præpoſuiſſe tibi: plus tu feritatis habebas:
Me miſeram! properare juvat, divulſaque remis

b Veſtigia planè Virgiliana. Mene fugis? & mox. Nec te noſter amor, nec te data dexte a quondam, Nec moritura, &c. 4. Æn. c Nam quo me referam? quali ſpe perdita nitar? Idæoſne petam mõtes? an gurgite vaſto, &c. An patris auxilium ſperem? Ariadne apud Catullum. Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater Deſtruat? aut captam ducat Getulus Iarbas? Dido Virg. d Hinc Medea Senecæ: Quaſcunque aperui tibi vias, cloſi mihi. Quo me remittis? verſ. 458. e Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus autor, Perfide; ſed duris genuit te cautibus horrens Caucaſus, Hyrcanæque admôrunt ubera tigres. Æneid. 4. Quænam te genuit ſola ſub rupe leæna? Quod mare conceptum ſpumantibus expuit undis? Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vaſta Charibdis? Catul. 65. epigr. Homerum ſecuti omnes; Νηλεὲς οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν, &c. Il. 16. f Infra verſ. 156.

Unda

*Unda ſonat, mecúmque ſimul mea terra* [g] *recedit.*
*Nil agis, ô fruſtra meritorum oblite meorum!*
*Inſequar invitum, puppímque amplexa recurvam*
*Per freta longa trahar. Vix dixerat:* [h] *inſilit undis,*
*Conſequitúrq; ratem, faciente Cupidine vires,*
*Gnoßiacæq; hæret comes invidioſa carinæ.*
*Quam pater ut vidit, (nam jam pendebat in auras,*
*Et modò factus avis fulvis Haliætus in alis)*
*Ibat, ut hærentem roſtro laceraret adunco.*
*Illa metu puppim dimiſit, & aura cadentem*
*Suſtinuiſſe levis, nè tangeret æquora, viſa eſt.*
[i] *Pluma fuit: plumis in avem mutata vocatur*
*Ciris, & à* [k] *tonſo eſt hoc nomen adepta capillo.*

g Lib. 6. verſ. 512. h Tunc ſuſpenſa novo ritu crine, ut cenſet Ant. Delrius de navibus altis, Per mare cœruleum trahitur Niſeïa virgo. Neſcio cujus Ciris. Sed Apollodorus 3. l. Minos Megaris potitus virginem vinctam pedibus è puppi in mare dejectam merſit. Illa, inquit Hyginus, ſe in mare præcipitavit. fab. 198. i Niſus dum filiam perſequitur, ut habet Hyginus dict. fab. in haliæeton i. e. aquilam marinam verſus eſt. Scilla filia in piſcem quem Cirin vocant. hodie ſi quando avis ea piſcem illum natantem conſpexerit, mittit ſe in aquam, raptumque unguibus dilaniat. In avem alii. Virg. 1. Georg. Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo. Quacunq; illa levem fugiens ſecat æthera pennis, &c. k Ἀπὸ τῦ κείρειν.

## De Ariadnes corona in ſidus cœleſte.

### FAB. 2.

*VOta Iovi Minos taurorum ſanguine centum*
*Solvit, ut egreſſus ratibus* [l] *Curetida terram*
*Contigit, &* [m] *ſpoliis decorata eſt regia fixis.*
*Creverat* [n] *opprobrium generis; fœdúmque patebat*
*Matris adulterium monſtri novitate biformis,*
*Deſtinat hunc Minos thalami removere pudorem,*

l Cretam, quam incolebant olim Curetes nutritii Iovis, cujus vagitum cymbalis pulſatis atque æris crepitu diſſimulabant. vide quæ nos ad Herc. Oetœum Senecæ verſ. 1876. unde orti ſint, unde dicti, an iidem qui Corybantes, Cabiri, Idæi, Telchines, Dactyli. videatur Strabo lib. 10. Diodorus 4. l. c. de Saturno l. 5. c. de Creta, Gyrald. 1. Syntagm. Athenæus 12. l. 6. c. Pauſan. Eliac. priorib. m Ex more victoris. adi Virg. 7. Æn. v. 183. & 11. l. 4. v. Iuvenal. 10. Sat. 5. n Minotaurus, miſtumque genus, prolesque biformis 6. Æneid. aliis βȣκέφαλος tantùm aliis ſupernè homo, infernè bos. ſanè filius Paſiphaës ex Tauro Minois duce vel ſcribâ, de quo fusè Natalis Comes l. 6. c. 5. Tzetzes 1. Chiliad. 19.

o *Multi-*



[o] *Multiplicíque domo cæciſq; includere tectis.*
*Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis*
*Ponit opus, turbátque notas, & limina flexu*
*Ducit in errorem variarum ambage viarum.*
*Non ſecùs ac liquidis Phrygius Mæander in undis*
*Ludit, & ambiguo lapſu refluitque fluitque,*
*Occurrénſque ſibi venturas aſpicit undas,*
*Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum*
*Incertas exercet aquas: ità Dædalus implet*
*Innumeras errore vias, víxque ipſe reverti*
*Ad limen potuit. Tanta eſt fallacia tecti.*
*Quo poſtquam geminam tauri juveniſque figuram*
*Clauſit &* [p] *Actæo bis paſtum ſanguine monſtrum*
*Tertia ſors annis domuit repetita novenis,*
*Utque ope virginea nullis iterata priorum*
*Ianua difficilis filo eſt inventa relicto:*
*Protinus Ægides rapta* [q] *Minoïde* [r] *Diam*
*Vela dedit, comitémque ſuam crudelis in illo*
*Litore deſtituit. Deſertæ, & multa querenti,*
*Amplexúſque, & opem Liber tulit; útque perenni*
*Sidere clara foret,* [ſ] *ſumptam de fronte coronam*
*Immiſit cœlo: tenues volat illa per auras;*
*Dúmque volat, gemmæ nitidos vertuntur in ignes;*
*Conſiſtúntque loco, ſpecie remanente coronæ,*
[t] *Qui medius nixique genu eſt, anguemque tenentis.*

o De Cretici hujus Labyrinthi à Dædalo conditi, nec non Ægyptiaci, Lemniaci, Italique porteniosâ mole, artificio, ſinuoſis erroribus, &c. Plinius 36. l. 13. cap. Virg. 5. Æn. Vt quondam Creta fertur Labyrinthus, &c. Cl. Baconi Dædalus. p Virgil. 6. Æn. & Hyginus 41. fab. quotannis ſeptem Athenienſium liberorum corpora ſorte electa mitti devoranda à Minotauro ſcribunt. noſter & Plutarchus in Theſeo, puberes ſeptem mares, totidem virgines nono quoque anno. Theſeus verò miſeratus patriæ conditionem (ut Plutarchus habet ibid. & Catullus in nuptiis) extra ſortem ire voluit. Ibi coram rege negavit tributum aut ſtipendium illud deberi jure. Taurus Minois dux, dextrâ ſua ſe illud aſſerturum dixit. Qui in certamine à Theſeo ſuperatus occubuit. Minos lætus, oderat quippe hunc Taurum ut adulterum, remiſit Athenienſibus tributum. q Ariadne, à qua gladium acceperat, & filum exitus ſui ducem. r Inſ. maris Cretici, in qua Ariadne à Theſeo relicta eſt. Sunt qui in Naxo inſ. relictam ferant. Deſertam ibi offendens Bacchus ab Indis reverſus in uxorem duxit. Faſt. 3. l. epiſt. Phœdræ. Catullus in nuptiis. ſ Sintque tuæ tecum faciam monumenta Coronæ, Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi. Dicta facit: gemmáſque novem transformat in ignes: Aurea per ſtellas nunc micat illa novem. Faſtor. 3. & Catul. in nuptiis & in Corona Berenices. t Inter Engonaſin & Ophiuchum.

De

## De Icaro in mare decidente, & Perdice in avem mutato. FAB. 3.

DÆdalus interea Creten, longúmque peroſus
Exilium, tactúſque loci natalis amore,
u Clauſus erat Pelago. Terras licet, inquit, & undas
Obſtruat; at cœlum certè patet, ibimus illàc:
Omnia poſſideat; non poſſidet aëra Minos.
Dixit: & ignotas animum dimitit in artes;
x Naturámque novat. Nam ponit in ordine pennas
A minima cœptas longam breviore ſequente,
Ut clivo creviſſe putes: ſic ruſtica quondam
y Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit avenis.
Tunc lino medias, & ceris alligat imas:
Atque ita compoſitas parvo curvamine flectit;
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus unà
Stabat, & ignarus ſua ſe tractare pericla;
Ore renidenti, modò, quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modò pollice ceram
Mollibat, luſúque ſuo mirabile patris
Impediebat opus. poſtquam manus ultima cœpto
Impoſita eſt, geminas opifex libravit in alas
Ipſe ſuum corpus, motáque pependit in aurâ.
Inſtruit & natum; medióque ut limite curras,
Icare, ait, moneo: z ne, ſi demiſſior ibis,
Unda gravet pennas: ſi celſior, ignis adurat.

u Cretâ inſ. cinctâ mari. Carceris item cuſtodiâ clauſus perhibetur, tum quia Paſiphaes amores promoverat, tum quòd Ariadnæ & Theſeo labyrinthi veſtigia & exitus retexerat. Ὡς τῇ μοιχείᾳ γυναικὸς αὐτοῦ συνεργηκότας Ἔμελλε πάντως ἀνελεῖν, δεσμωτηρίῳ κλείσας. Tzetz. 1. Chil. 19. x Novitatem in natura excogitat, negatum ſc. per aëra iter, pennis non homini datis. y Vide quæ ad 2. eclog. Virgilii, Eſt mihi diſparibus, &c. & Tibul. 2. l. 5. el. quin & formam paſtoritiæ fiſtulæ, dabit Panos Syrinx. z Præcepta hæc, inquit Natales Comes, ſi quis diligentiùs conſideret, parum ſanè ad navigationem pertinent, ad inſtitutionem vitæ plurimùm. l. 7. c. 16. lubricus quippe eſt ſummæ fortunæ locus, unde altior Caſus & impulſæ præceps immane ruinæ: locus infimus contemptui exponitur: medius tutus. Ergo, qui neque ſerpit humi, neque ſidera vertice tangit, Arbitrio ſapiet Dædalus ille meo. Videatur Cl. Baconi Scylla & Icarus in Sapientia vet.





a Inter utrumque vola. a Nec te ſpectare Booten,
Aut Helicen jubeo, ſtrictúmque Orionis enſem;
Me duce carpe viam: pariter præcepta volandi
Tradit, & ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus, monitúſque genæ maduêre ſeniles,
Et patriæ tremuêre manus: dedit oſcula nato
Non iterum repetenda ſuo, penniſque levatus
b Antè volat, comitíque timet, (velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aëra nido)
Hortatúrque ſequi, damnoſáſque erudit artes,
Et movet ipſe ſuas, & nati reſpicit alas.
Hos aliquis, tremula dum captat arundine piſces,
Aut paſtor baculo, ſtivæque innixus arator
Vidit, & obſtupuit: quique æthera carpere poſſent,
Credidit eſſe Deos. Et jam Iunonia lævâ
Parte Samos fuerat, Delóſque Paróſque relictæ;
Dextra Lebinthos erat, fœcundáque melle Calydne.
Cùm puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deſeruítque ducem, cœlique cupidine tactus
Altius egit iter. Rapidi vicinia ſolis
Mollit odoratas pennarum vincula ceras;
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos.
c Remigióque carens non ullas concipit auras:
Oráque cærulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua, quæ nomen traxit ab illo.

a Neque ad ſiniſtram declina, neque ad dextram, uti Phaëthonta ſuum monuit pater l. 2. verſ. 137. quod & ibi etiam per ſidera Borealia & Auſtralia deſignabat. b Fabulam hanc, ipſis penè verbis, verſibus non paucis iiſdem habes 2. de Arte, ſi conferre libeat. videantur Virg. 2. Æn. Senec. Oedip. verſ. 891. & Herc. Oet. 663. Sil. Ital. 12. l. 88. verſ. c Appoſitè ut etiam Virgilius 6. Æn. Remigium alarum, in eadem tralatione reciproca à navibus ad volatum; & contra πτερύγων ἐρετμοῖσι ἐρεσσόμενοι. Æſchylus in Agamemn. de accipitribus. Et hæc ſanè fuga erat navalis. Dædalus, ut habet Pauſanias in Bœoticis, è Creta fugiens, ubi non magna ſibi & filio ædificâſſet navigia, primúſque omnium velificationem inveniſſet, quo Minoïs claſſem, quæ remis tantùm impellebatur, antevertterent, ipſe quidem incolumis appulit: Icari verò navem imperitiâ gubernatoris everſam tradunt. ego eum, novo genere veli dolone invento, prævertiſſe regis claſſem arbitror. & Tzetzes, Πτερὰ δὲ τούτων γίνωσκε τὰ λαίφη τῶν ὁλκάδων. Lucianus de Aſtrologia interpretator. Ἴκαρος δὲ, νεότητι καὶ ἀτασθαλίῃ χρεόμενος, εἰς πόλον ἀερθεὶς τῷ νῷ, ἐξέπεσε τῆς ἀληθείας, καὶ ἐς πέλαγον κατηνέχθη ἀβύσσων πρηγμάτων. repræſentatum Icari volatum exhibuit Nero. Sueton. 12. c.

*At pater infelix, nec jam pater, Icare, dixit,*
*Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?*
*Icare, dicebat: pennas aſpexit in undis,*
*Devovitque ſuas artes, corpúſque ſepulcro*
*Condidit; & tellus à nomine dicta ſepulti eſt.*
*Hunc miſeri tumulo ponentem corpora nati*
*Garrula ramoſa proſpexit ab ilice perdix,*
*Et plauſit pennis, teſtatáque gaudia cantu eſt:*
*Unica tum volucris, nec viſa prioribus annis,*
*Factáque nuper avis, longum tibi Dædale crimen.*
*Námque huic tradiderat fatorum ignara docendam*
[d] *Progeniem germana ſuam, natalibus actis*
*Bis puerum ſenis, animi ad præcepta capacis.*
*Ille etiam medio ſpinas in piſce notatas*
*Traxit in exemplum, ferróque incidit acuto*
*Perpetuos dentes, & ſerræ repperit uſum*
*Primus: & [e] ex uno duo ferrea brachia nodo*
*Iunxit, ut æquali ſpatio diſtantibus illis*
*Altera pars ſtaret, pars altera duceret orbem.*
*Dædalus invidit, ſacráque ex arce Minervæ*
*Præcipitem miſit, lapſum mentitus. at illum,*
*Quæ favet ingeniis, excepit Pallas, avémque*
*Reddidit, & medio velavit in aëre pennis.*
*Sed [f] vigor ingenii quondam velocis, in alas,*
*Inque pedes abiit: nomen, quod & ante, remanſit.*
*Non tamen hæc altè volucris ſua corpora tollit,*
*Nec facit in ramis altóque cacumine nidos:*
*Propter humum volitat, ponitque in ſepibus ova,*
*Antiquique memor, metuit ſublimia, caſus.*

d Sororis ſuæ Perdices filium (aliis Talum, aliis Attalum vel Acalum, Pauſanias Calum vocat *tumulum*que ejus oſtendit, noſter infrà Perdicem nominat, *Nomen avi quod & ante, remanſit*) artis ſuæ ſibi diſcipulum de tecto per invidiam dejecit, quia ſerram & circinum invenerat. judicii ſeveritatē Athenis metuens ad Minoēn Cretæ regem confugit; inde jam ad Cocalum in Siciliam. e Circini periphraſis. *f* De aſtu perdicis, Ariſtoteles, Plinius, Plutarchus, Ælianus Athenæus, alii. Aldrovandus in Ornothologia.

Apes



## Aper Calydonius, Atalanta, Meleager, ſorores Meleagri in aves, FAB. 4.

*IAmq́; [g] fatigatum tellus Ætnæa tenebat*
*Dædalon; & ſumptis pro ſupplice Cocalus armis*
*Mitis habebatur. Iam [h] lamentabile Athenæ*
*Pendere deſierant Theſea laude tributum.*
*Templa coronantur, bellatricémque Minervam*
*Cum Iove, diiſq́; vocant aliis, quos [i] ſanguine voto,*
*Muneribuſq́; datis, & acerris thuris honorant.*
*Sparſerat Argolicas nomen vaga fama per urbes*
*Theſeos: & populi, quos dives Achaïa cepit,*
*Hujus opem magnis imploravēre periclis.*
*Hujus opem Calydon, quamvis Meleagron haberet,*
*Sollicita ſupplex petiit prece: cauſa petendi*
*Sus erat, infeſtæ famulus vindéxque Dianæ,*
*Oenea námque ferunt plenis ſucceſſibus anni*
*Primitias frugum Cereri, ſua vina Lyæo,*
*Palladios flavæ latices libâſſe Minervæ.*
*Cœptus ab agricolis ſuperos pervenit ad omnes*
*Ambitioſus honor: ſolas ſine thure relictas*
*Præteritas ceſſâſſe ferunt Latoïdos aras.*
Tangit & ira deos. *At non impunè feremus,*
*Quæque inhonoratæ, non & dicemur inultæ,*
*Inquit: & [l] Oeneos ultorem ſpreta per agros*
*Miſit aprum, quanto majores herbida tauros*
*Non habet Epirus; ſed habent Sicula arva minores.*
[m] *Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix,*

g Fugientem ex Cretâ in Siciliam inſequutus eſt Minos, profugum repoſcens ſupplicem hoſpitem tuebatur Cacalus rex, qui & Minoëm benignè excepit. filiæ tamen Cocali Minoëm in balneo ſuffocâſſe dicuntur. Virgil. 6. Æneid. Dædalum Cumas Italas appuliſſe primùm canit. Vide Fr. Baconi Dædalum. *h* Verſ. 170. ſupra. *i* Victimarum quas voverant.

interierat tamen Ægeus oblito gubernatore vel à polla albis mutare in reditu ex mandato pactoque. Plutarch. in Theſeo. *k* Ab honore numinibus ruſticis incepto, ad ſuperiora quoque ſuus cuique habitus eſt honor, omiſſâ tantùm Dianâ. *l* Ἐκ τῶν Οἰταίων λόφων. Tzetzes 7. Chil. 102. *m* Χαίτας αὐχενίας πεφρικότα, θηκτὸν ὀδόντα βρύχοντα, γλήναις φρικτὸν ἱέντα σέλας. Ἀφρῷ χείλεα πάντα δεδευμένα. Antholog. 4. l. 7. c. de apri hujus agalmate.

 Et

n Et ſetæ ſimiles rigidis haſtilibus horrent;
Stántque velut vallum, velut alta haſtilia ſetæ:
Fervida cum rauco latos ſtridore per armos
Spuma fluit, dentes æquantur o dentibus Indis,
p Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent.
Is modo creſcentes ſegetes proculcat in herbâ,
Nunc matura metit fleturi vota coloni,
Et Cererem in ſpicis intercipit. area fruſtra,
Et fruſtra expectant promiſſas horrea meſſes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite fœtus,
Baccáque cum ramis ſemper-frondentis olivæ.
Sævit & in pecudes: non has paſtórve, caniſve;
Non armenta truces poſſunt defendere tauri.
Diffugiunt populi, nec ſeſe in mœnibus urbis
Eſſe putant tutos: donec Meleager, & unà
q Lecta manus juvenum caluêre cupidine laudis.
r Tyndaridæ gemini præſtantes, ſ cæſtibus alter,
Alter equo; t primæq; ratis molitor Iäſon,
Et u cum Pirithoo felix concordia Theſeus.
Et duo x Theſtiadæ, & proles Aphareïa Lynceus,
Leucippúſque ferox, jaculóque inſignis Acaſtus,
Et velox Idas, & y jam non fœmina Cæneus,
Hippothoúſque, Dryáſque, & cretus Amyntore z Phœnix,
a Actoridæque pares, & miſſus ab Elide Thileus.
Nec Telamon aberat, magnique b creator Achilis,
Cùmque c Pheretiade, & d Hyanteo Iolaö
Impiger Durytion, curſúque invictus Echion,

n Sic Mss. cui ſubſequens verſus ὑποβολομαῖος videtur.

o Elephantinis. Calidonii apri dentes aſportavit Cæſar Auguſtus devicto Antonio. Pauſan. Arcad. è quibus unus in templo Liberi patris ſuſpenſus in hortis Cæſaris erat unius pedis & quadrantis. Natal. Comes. l. c. 4. Τοῦτου δὲ εἷς ἕκαστος ὀδοὺς πήχεως εἶχε πλέον. Tzetzes.

p Ab impete, credo, ardenti & calido oris afflatu. namque *frondes afflatibus ardent.* & l. 10. v. 550. *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.* & Faſtor. 2. *Fulmineo celeres diſſipat ore canes.* & Martialis 11. l. 70. epigr. *Fulmineo ſpumantis apri ſum dente petita.* Oppian. 3. Cyneg. καὶ περ ἐοῖο ὀδόντι λάτρειον ἐντὸς ἔθηκε μαλερὴν πυρὸς ἔσασαν ἀϋτμήν. vide quæ ad verſ. 305. lib. 1. q Nominantur ab Hygino 273. fab. & Nat. Comite. 7. l. c. 3. r Κάστωρ ἱππόδαμος, καὶ πὺξ ἀγαθὸς Πολυδεύκης. Il. 3. ſ Lib. 5. verſ. 107. t Lib. 6. verſ. ult. u Feliciter concordes Theſ. & Pirithous. x Toxeus & Plexippus Theſtii filii, avunculi Meleagri. y Lib. 12. verſ. 202. z Achillis poſtea pædagogus. a Creatus & Eurytus. Parrhaſii epiſt. 41. Al. *Actoridæque parens.* b Peleus. c Admeto. d Bœotio Iolao.

e Narcy-



e Narycióſque Lelex, Panopeus, Hyleúſque, feróxque
Hippaſus, & f primis etiam nunc Neſtor in annis,
Et g quos Hippocoon antiquis miſit Amyclis,
h Penelopéſque ſocer cum i Parrhaſio Ancæo,
k Ampycidéſque ſagax, & l adhuc à conjuge tutus
Oeclides, nemoriſque decus m Tegeæa Lycei
n Venit Atalante Schœnei pulcherrima virgo.
o Raſilis huic ſummam p mordebat fibula veſtem,
Crinis erat ſimplex nodum collectus in unum:
Ex humero pendens reſonabat eburnea lævo
q Telorum cuſtos, arcum quoque læva tenebat.
Talis erat cultu facies, quam dicere verè
r Virgineam in puero, puerilem in virgine poſſes.
Hanc pariter vidit, pariter Calydonius heros,
Optavit renuente ſ deo, flammáſque latentes
Hauſit; &, O felix, ſi quem dignabitur, inquit,
Iſta virum! nec plura ſinit tempúſque pudórque
Dicere; majus opus magni certaminis urget.
Sylva frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas,
Incipit à plano, devexáque proſpicit arva.
Quo poſtquam venére viri, pars retia tendunt,
Vincula pars adimunt canibus, pars preſſa ſequuntur
Signa pedum, cupiúntque ſuum reperire periclum.
Concava vallis erat, quò ſe demittere rivi
Aſſuerant pluvialis aquæ: tenet ima lacunæ
Lenta ſalix, ulvæque leves, juncique paluſtres,

e Locrenſis. Naryx enim urbs eſt Locridis.

f Primam jam, ex tribus quas vixit, ætatem agens. & ex his nonnullos ipſe recenſet Iliad. 1.

g Filios ſuos 4. quos Alcimum, Enarephorum, Dorceum, Sebrum Pauſanias nominat in Laconicis. Alii, Enæſimum de quo infra 362. verſ. Alcona, Amycum & Dexippum. Hygin. fab. 273.

h Laërtes.

i Arcade infra verſ. 391.

k Mopſus vates, Ampyci filius. l Nondum ex Eriphyle uxore proditus Adraſto Argivorum regi Amphiaraus vates, præſcius ſe non rediturum à bello Thebano. m Atalanta ex Tegeâ urbe Arcadiæ. n Non legitur, inquit Herc. Ciofanus, hic verſus in libris quotquot vidi, adulterinus procul dubio & expungendus, &c. In uno ex Mss. meis, qui opt. nullum ejus apparet veſtigium. Quin & ipſe præterquam quòd claudicat, malæ eſt fidei. Namque hæc Atalanta Iaſii filia fuit: altera illa, quæ pernicitate pedum claruit, & de qua l. 12. erat Schœnei filia. Κούρην Ἰασίοιο συοκτόνον Ἀρκασίδαο. Callimach. hymn. in Dianam. o Levis, polita. p Morſu connectebat. τῆς ἐσθῆτος ἔχει εἰς γαστρόνας ξυνεχομένης. Philoſtratus Icon. Atalantæ. q Pharetra. r Τὸ δὲ κάλλος ἀρρενωπὸν ἐκ φύσεως ὄν, &c. Philoſtrat. icon. ſ Numine, fato.



Vimi-

*Viminàque, & longæ parva ſub arundine cannæ.*
*Hinc aper excitus medios violentus in hoſtes*
*Fertur, [t] ut excuſſis eliſus nubibus ignis.*
[u] *Sternitur incurſu nemus, & propulſa fragorem*
*Sylva dat: exclamant juvenes, [x] protentàque forti*
*Tela tenent dextra lato vibrantia ferro.*
*Ille ruit, ſpargitque canes, ut quiſque furenti*
*Obſtat, & [y] obliquo latrantes diſſipat ictu.*
*Cuſpis Echionio primùm contorta lacerto*
*Vana fuit, truncoque dedit leve vulnus acerno.*
*Proxima ſi nimiis mittentis viribus uſa*
*Non foret, in tergo viſa eſt hæſura petito:*
*Longiùs [z] it; autor teli [a] Pagaſæus Iäſon.*
*Phœbe, ait [b] Ampycides, ſi te coluique, coloque,*
*Da mihi, quod petitur, certo contingere telo.*
[c] *Quà potuit, precibus deus annuit. Ictus ab illo eſt,*
*Sed ſine vulnere, aper: ferrumque Diana volanti*
*Abſtulerat jaculo, lignum ſine acumine venit.*
*Ira [d] feri mota eſt; nec fulmine leniùs arſit:*
[e] *Emicat ex oculis, ſpirat quoque pectore flammas.*
*Vtque volat [f] moles adducto concita nervo,*
*Cùm petit aut muros, aut plenas milite turres:*
*In juvenes certo ſic impete vulnificus ſus*
*Fertur. & Eupalamon, Pelagonaq; [g] dextra tuentes*
*Cornua proſternit; ſocii rapuêre [h] jacentes.*
*At non lethiferos effugit Enæſimus ictus*
*Hippocoonte ſatus: trepidantem, & terga parantem*
*Vertere, ſucciſo liquerunt poplite nervi.*

*t* Fulguris in morem. Alii, *Ut excuſſis eliſi nubibus ignes.*

*u* Πολλὰ δ᾽ ὅγε προθέλυμνα χαμαὶ βάλε δένδρεα μακρὰ Αὐτῇσιν ῥίζῃσιν. Homer. Il. 9.

*x* Περόνια δὲ ἐν χερσὶν τὴν ἐκδεξομένην τὴν τοῦ συὸς ὁρμήν. Philoſtratus in Icone Meleagri.

*y* Obliquo fulminei dentis ictu. uti dictum eſt ad 305. verſ. lib. 1. *z iit. ivit.* contractio itaque producit. *a* Theſſalus. Pagaſa promontorium & oppidum Theſſaliæ. verſ. 1. lib. 7. *b* Monſus, Ampyci filius, vates & Apollinis ſacerdos. *c* In quantum potuit licuitque per Dianam. namque illa volanti telo cuſpidem abſtulit. ut ſeq. *d* Al. *feræ.* ſed *feri* rectiùs. namque apri. ut Virgilius 2. Æneid. *In latus, inque feri curvùm compagibus alvum.* de equo Durateo. *e* Ὁρᾷς γὰρ ὡς ὕφαιμον μὲν αὐτῷ τὸ ὄμμα, λοφιά τε φρίττουσα, καὶ πολὺς ὁ καλὰ τῶν ὀδόντων ἀφρὸς, &c. Philoſt. icon Melagri. Aliis placet lectio *flamma.* *f* Saxea, baliſtâ aut aliâ machinâ, τειχεσιβλήτῃ emiſſa. *g* Aciem nempe in aprum direxerant, cujus cornua hi duo tuebantur. *h* Exanimatos. neque enim eos planè occiderat aper.

*Forſitan*



*Forſitan & [i] Pylius citra Trojana periſſet*
*Tempora: ſed, ſumpto poſita conamine ab haſtâ,*
*Arboris inſiluit, quæ ſtabat proxima, ramis,*
*Deſpexitque loco tutus, quem fugerat hoſtem.*
*Dentibus ille ferox in querno ſtipite tritis*
*Imminet exitio; fidénſque [k] recentibus armis*
[l] *Orithiæ magni roſtro femur hauſit adunco.*
*At [m] gemini nondum cœleſtia ſidera fratres,*
*Ambo conſpicui, [m] nive candidioribus ambo*
*Vectabantur equis; ambo vibrata per auras*
*Haſtarum tremulo quatiebant ſpicula motu.*
*Vulnera feciſſent, niſi ſetiger inter opacas,*
*Nec jaculis iſſet, nec equo loca pervia, ſylvas.*
*Perſequitur Telamon, ſtudioque incautus eundi*
*Pronus ab arborea cecidit radice retentus.*
*Dum levat hunc Peleus, celerem [n] Tegeæa ſagittam*
*Impoſuit nervo, ſinuatoque expulit arcu:*
*Fixa ſub aure [o] feri ſummum [p] deſtrinxit arundo*
*Corpus, & exiguo rubefecit ſanguine ſetas.*
*Nec tamen illa ſui ſucceſſu lætior ictus,*
*Quàm Meleager erat. Primus vidiſſe putatur,*
*Et primus ſociis viſum oſtendiſſe cruorem,*
*Et, meritum, dixiſſe, feres virtutis honorem.*
*Erubuêre viri, ſeque exhortantur, & addunt*
*Cum clamore animos, jaciúntque ſine ordine tela,*
*Turba nocet jactis, &, quos petit, impedit ictus.*

*i* Quod Neſtori hîc noſter, commentator Homeri tribuit Therſitæ, qui ut Agrii filius, Meleagri patruelis huic venationi interfuit. ad 2 Iliad. *k* Recenti affixione exacutis, antea τὴν αἰχμὴν ἀτρίπτους, ut habet Philoſtratus de hoc ipſo apro. neque enim ad ſaxa aut arbores aut hic aut ille 3. Georg. *dentes exacuit ſus:* ſed invicem atterit colliditque, qui ſonus non rarò à venatoribus auditus κάπροι δ᾽ ὅπως θήγοντες ἀγρίαν γένυν σιωπῆ φανέγχῃ. Euripid. in Phœniſſ. & Homer. Il. λ. θήγων λευκὸν ὀδόντα μετὰ γναμπτῇσι γένυσι. quod de fama. infra verſ. 831. *dentemque in dente fatigat.* *l* Al. *Orithiæ.* Alii *Orthiadæ.* ut unus è meis Mss. *m* Tyndaridæ ſupra v. 301. *quorum ſimul alba nautis ſtella refulſit.* ut habet Lyricus. lib. 1. ode 12. *n* Ἡ μὲν Ἀταλάντη προχειρὸν ἐπιθεῖσα τῇ νευρᾷ τὸ βέλος ἀφίει Philoſtr. icon Atalantæ. *o* Modo ad verſ. 355. *p* Levi raſit vulnere. *Magnique ſinuat perſtrinxit Achatæ.* 10. Æneid. *ſummum deguſtat vulnere corpus.* 12. Æneid.

Ecce! furens contra ſua fata bipennifer q Arcas,
Diſcite fœmineis quid tela virilia præſtent
O juvenes, operique meo concedite, dixit:
Ipſa ſuis licet hunc Latonia protegat armis,
Invita tamen hunc perimet mea dextra Dianâ.
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore:
r Ancipitemque manu tollens utraq; ſecurim,
Inſtiterat digitis primos ſuſpenſus in artus.
Occupat audentem, quaque eſt via proxima letho,
Summa ferus geminos direxit ad inguina dentes.
Concidit Ancæus: glomerataq; ſanguine multo
Viſcera lapſa fluunt, madefactaq; terra cruore eſt.
Ibat in adverſum proles Ixionis hoſtem
Pirithous, valida quatiens venabula dextrâ.
Cui procul ſ Ægides, t O me mihi charior, inquit,
Pars animæ conſiſte meæ; licet eminus eſſe
Fortibus: Ancæo nocuit temeraria virtus
Dixit; & ærata torſit grave cuſpide u cornu,
Cui bene librato, votique potente futuro,
Obſtitit eſculea frondoſus ad arbore ramus.
Miſit & Æſonides jaculum, x quod caſus ab illo
Vertit, & in mentum figit latrantis, & inter
Ilia conjectum tellure per ilia fixum eſt.
At manus y Oenidæ variat: miſſiſq; duabus,
Haſta prior terra, medio ſtetit altera tergo.
Nec mora: dum ſævit, dum corpora verſat in orbem,
Stridentémque novo ſpumam cum ſanguine fundit,
Vulneris autor adeſt, hoſtemq; irritat ad iram,
z Splendidaq; adverſos venabula condit in armos.
Gaudia teſtantur ſocii clamore ſecundo,
Victricemq; petunt dextræ a conjungere dextram

q Ancæus ex Parrhaſia opp. & regione Arcadiæ Lycurgi hic filius quem agnoſcunt Apollonius in catalogo, & Pauſanias in Arcadicis. alamque & alter erat, Neptuni filius. utrique tribuunt illud, Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. r Ἀμφίτομον, bipennem. ut modò 391. verſ. πέλεκυν. Pauſ. ſ Theſeus. t Amice, pars animæ, animæ dimidium meæ, pars melior, ſuperſtes. ex æquo diviſa, animans duo corpora, &c. Pythagoricè. u Corneum haſtile, ex corno arbore, Virg. 2. Georg. Et bona bello Cornus. Æneid. 9. volat Itala cornus. 12. Æneid. ſonitum dat ſtridula cornus. x Quod ab apro errans per faucem inferiorem & ilia tranſiens canem humi fixit. y Εἶτα βαλὼν Μελέαγρος κτείνει. Io. Tzetzes 7. Chil. 102. z Καὶ τὴν βάσιν τηρήσας ὁ Μελέαγρος, ἀσφαλῶς ὡς ἐνδέχεται τὴν ὁρμὴν τοῦ συός, λόγχην ὑποστήσας. Philoſtratus in Icone Meleagri. a Al. contingere. Mſſ. dextram conjungere dextra.

Imma-



Immanemq; feram b multa tellure jacentem
Mirantes ſpectant: neque adhuc contingere tutum
Eſſe putant; ſed tela tamen ſua quiſque cruentat.
Ipſe pede impoſito, caput c exitiabile preſſit:
Atque ità, Sume mei ſpolium d Nonacria juris,
Dixit, & in partem veniet mea gloria tecum.
Protinus e exuvias rigidis horrentia ſetis
Terga dat, & magnis inſignia dentibus ora.
Illi lætitiæ eſt cum munere muneris autor.
Invidêre alii; totoque erat agmine murmur.
E quibus ingenti tendentes brachia voce,
Pone age, nec titulos intercipe, fœmina, noſtros,
f Theſtiadæ clamant; g nec te fiducia formæ
Decipiat, nè ſit longè tibi captus amore
Autor: & huic adimunt, jus muneris illi.
Non tulit, & tumida frendens h Mavortius irâ,
Diſcite raptores alieni, dixit, honoris,
Facta minis quantum diſtent: hauſitque i nefando
Pectora Plexippi nil tale timentia ferro.
Toxea, quid faciat, dubium, pariterque volentem
Vlciſci fratrem, fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu, calidumque prioris
Cæde recalfecit k conſorti ſanguine telum.
Dona deûm templis nato victore ferebat,
Cùm videt extinctos fratres Althæa referri:
Quæ, plangore dato, mœſtis clamoribus urbem
Implet, & auratas mutavit veſtibus atris.
At ſimul eſt autor necis editus, excidit omnis

b Sic vaſtam Polyphemi molem 9. Cerberi & Tityi 6. Æneid. toto antro & 7. jugeribus metitur poetarum princeps. c Fuit aliis, futurum eſt Meleagro. d Atalanta. Nonacris mons Arcadiæ frigidiſſimâ Stygis aquâ famoſus. e Tergus & caput apri. Ἀταλάντῃ ἐτόξευσε τὸν ὗν, καὶ ἔτυχε πρώτη τοῦ θηρίου. τούτων εἵνεκα αὐτῇ κεφαλή τε τοῦ ὑὸς καὶ τὸ δέρμα ἀριστεῖα ἐδόθη. Pauſan. Arcad. f Plexippus & Toxeus. g Ne fruſtra ſit forma, quâ freta confidis, fruſtra ſit aut longè formę tuæ amator ab auxilio tibi ferendo. Atlas ad Perſeum l. 4. v. 650. Hinc quoque vade procul; ne longe gloria rerum, Quas mentiris, ait, longè tibi Jupiter abſit. & Turnus 12. Æn. verſ. 52. Longe illi Dea mater erit, &c. Quin & Diodorus 5. l. refert Althææ fratres Atlantæ, cum in Arcadiam reverſa eſſet, tergus apri abſtuliſſe. apud quem lege totam fab. ut & Homerum Il. 9. & Ant. Liberalis Metam 2. fab. h Althæa eadem nocte concipit ex Oeneo & Marte. Hygin. 171. fab. i Avunculi reverentiam & charitatem violante. k Fraterno.



Luctus,

*Luctus, & à lacrymis in* [l] *pœnæ verſus amorem eſt.*
[m] *Stipes erat, quem, cùm partus enixa jaceret*
*Theſtias, in flammam triplices poſuêre ſorores:*
*Staminaque impreſſo fatalia pollice nentes;*
*Tempora dixerunt, eadem lignoque tibique*
*O modò nate, damus. Quo poſtquam carmine dicto*
*Exceſſêre deæ, flagrantem mater ab igne*
*Eripuit ramum, ſparsítque liquentibus undis.*
*Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,*
*Servatúſque tuos, juvenis, ſervaverat annos.*
*Protulit hunc genitrix, tedáſque, &* [n] *fragmina poni*
*Imperat, & poſitis inimicos admovet ignes.*
[o] *Tum conata quater flammis imponere ramum,*
*Cœpta quater tenuit. pugnat matérque, ſorórque;*
*Et diverſa trahunt unum duo nomina pectus.*
*Sæpe metu ſceleris pallebant ora futuri;*
*Sæpe ſuum fervens oculis dabat ira ruborem:*
*Et modò neſcio quid ſimilis cudele minanti*
*Vultus erat; modò quem miſereri credere poſſes;*
*Cúmque ferus lacrymas animi ſiccaverat ardor;*
*Inveniebantur lacrymæ tamen.* [p] *Utque carina,*
*Quam ventus, ventoque rapit contrarius æſtus,*
*Vim geminam ſentit, paretque incerta duobus;*
*Theſtias haud aliter dubiis affectibus errat,*
*Inque vices ponit, poſitámque reſuſcitat iram.*
*Incipit eſſe tamen melior germana parente;*
*Et, conſanguineas ut ſanguine leniat umbras,*
[q] *Impietate pia eſt. nam poſtquam peſtifer ignis*

l Vindictæ. m Althææ Meleagrum enixæ apparuerunt in regiâ Parcæ: quæ fata infantis ita cecinerunt. Clotho dixit eum generoſum futurum, Lacheſis fortem, Atropos titionem ardentem aſpexit in foco, & ait: Tandiu hic vivet, quamdiu hic titio conſumptus non fuerit. Hoc Althæa mater cùm audîſſet, exiluit de lecto, atque titionem extinxit, eumque in regiâ media obruit fatalem, ne ab igne obrueretur. Hygin. 171. fab. n Ligna fracta. *Multifidaſque faces, ramaliaque arida.* infra v. 646. o Pulchra, ingenioſa, artificioſa luctæ acerrimæ Hypotypoſis. ubi affectus duo, vindicta & ςοργὴ, in ſorore & matre, de fratribus & filio altercantes confligunt: quam ut ubique ferè imitatur autor Medeæ tragœdiæ, ita & hic. p *Anceps æſtus incertam rapit. Vt ſæva rapidi bella cum venti gerunt, Vtrinque fluctus Maria diſcordes agunt, Dubiumque Pelagus fervet: haud aliter meum cor fluctuatur. Ira pietatem fugat, Iramque pietas, cede pietati dolor.* & in Agamemnone, *fluctibus variis agor; Vt cum hinc profundum ventus, hinc æſtus rapit, Incerta dubitat unda, cui cedat malo.* q Ὀξύμωρον. de quo vide quæ ad 3. l. 5. verſ. & 7. l. 341. verſ.





*Convaluit, rogus iſte cremet* [r] *mea viſcera, dixit.*
*Utque manu dira lignum fatale tenebat,*
*Ante* [s] *ſepulcrales infelix aſtitit aras;*
[t] *Pœnarúmque deæ triplices furialibus, inquit,*
*Eumenides ſacris vultus advertite veſtros:*
*Vlciſcor, facioque nefas,* Mors morte pianda eſt,
*In ſcelus addendum ſcelus eſt, in funera funus,*
*Per coacervatos pereat domus impia luctus.*
*An felix Oeneus nato victore fruetur?*
[u] *Theſtius orbus erit: Meliùs lugebitis ambo.*
*Vos modò fraterni manes, animæque* [x] *recentes*
*Officium ſentite meum,* [y] *magnóque paratas*
*Accipite* [z] *inferias, uteri mala pignora noſtri.*
*Heu mihi! Quo rapior? Fratres ignoſcite matri.*
*Deficiunt ad cœpta manus: Meruiſſe fatemur*
*Illum cur pereat;* [a] *mortis mihi diſplicet autor.*
*Ergò impunè feret? vivúſque, & victor, & ipſe*
*Succeſſu tumidus, regnum Calydonis habebit?*
*Vos cinis exiguus, gelidæque jacebitis umbræ?*
*Haud equidem patiar: pereat ſceleratus, & ille*
[b] *Spemq́ patris, regnúmque trahat, patriæq́ ruinam.*
*Mens ubi materna eſt? ubi ſunt pia vota parentum?*

r Qui intra viſcera mea latuit, filium. infra, *uteri pignus noſtri.* ſarcina, onus uteri. ſ Verè ſepulchrales, in quibus fatalem nati ſtipitem cremat. t Furiæ ˣἼτ' ὦ ταχεῖαι ποίνιμοί τ' Ἐριννύες, Γεύεσθε, μὴ φείδεσθε. Ajax. flagell. Sophoclis. u Pater meus, & fratrum, Plexippi, & Toxeos. x Novi Orci incolæ, recens admiſſi. y Proprii filii nece. z Quæ ritè & jure poſſunt & debent umbras veſtras placare; filium meum cædis veſtræ authorem. a Vt ego tamen ſim nato funeris autor. οὐ θέμις, οὐ πρέπει. b Erant Oeneo ex Althæâ & alii filii, ab Ant. Liberali nominati, Phereus, Agelaus, Toxeus, Clymenus, & Periphantes. Summa tamen Oenei ſpes in Meleagro, utpote Martis prole, ſupra ad v. 437. verùm audi ipſum Liberalem. Οἱ παῖδες Θεςίου, καὶ οἱ ἄλλοι Κουρῆτες ἀντεποιοῦντο τοῦ δέρους, &c. Theſtii filii ac reliqui Curetes pellem invadunt, dimidium præmiorum ad ſe pertinere dicentes. ſed Meleager vi ea ademit, ac filios Theſtii occidit. Hinc bellum inter Curetes & Calydonios ortum. ad quod Meleager prodire noluit, iratus ob diras quibus ipſum mater propter fratrum necem devoverat. Cùm autem Curetes urbem jam capturi eſſent, uxor Cleopatra ei perſuaſit ut Calydonios tueretur. Egreſſus contra Curetas, periit. cremata à matre face fatali. (de qua ſupra ad verſ. 451.) Reliqui etiam Oenei filii in eâ pugnâ mortem oppetierunt,

Et quos ſuſtinui bis [c] menſium quinque labores?
O utinam [d] primis arſiſſes ignibus infans,
Idque ego paſſa forem! Vixiſti munere noſtro;
Nunc merito moriēre tuo. cape præmia facti,
Biſque datam, primùm partu, mox ſtipite rapto,
Redde animam; vel me fraternis adde ſepulcris.
Et cupio, & nequeo. Quid agam? Modò vulnera fratrum
Ante oculos mihi ſunt, & tantæ cædis imago:
Nunc animum pietas, maternáque nomina frangunt.
Me miſeram! Male vincetis, ſed vincite, fratres
Dummodo quæ dedero vobis ſolatia, vóſque
Ipſa ſequar. Dixit: dextráque [e] averſa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut viſus gemitus eſt ille dediſſe
Stipes, & invitis correptus ab ignibus arſit.
Inſcius, atque abſens flamma Meleager ab illâ
Vritur, & cæcis torreri viſcera ſentit
Ignibus, ac magnos ſuperat [f] virtute dolores.
[g] Quòd tamen ignavo cadat, & ſine ſanguine letho,
Mœret; & Ancæi felicia vulnera dicit,
Grandævúmque patrem, fratréſque, Piáſque ſorores,
Cum gemitu ſociámque tori vocat ore ſupremo:

c Libri aliquot à Ciofano citati, & Mss. mei habent *Menſes bis quinque.* Excuſi omnes *menſum* retinent, Priſciani freti autoritate, qui lib. 7. *menſium* hic pro *menſum* poni ait. monſtri ſimilis hæc ſyncopatio, *Nec viſu facilis, nec dictu effabilis ulli*, qua ratione obtinuerit, quo modo ferri poſſit miror. Ego certè genitivum genuinum ſcribendum cenſeo *menſium*, inter ſcandendum verò, ne legi Pediæ oppedatur, adhiberi poſſe Synæreſin ſeu Synecphoneſin. ut 6. Æneid. *quin protinus omnia Perlegerint oculis.* & noſter lib. 1. *ultima cœleſtium.* d Verſ. 451. ſupra. e Dolens & invita ex more funebri. *Averſi tenuere facem.* 6. Æneid. f Magnitudine animi. g Inique tamen & ægrè fert eam ſibi obvenire mortem, inertem & languidam, in qua non ſit virtuti ſuæ exercendæ locus. Ariſtoteles 3. lib. Ethic. Nicomach. cap. 6.

Forſi-



Forſitan & matrem. [h] Creſcunt igníſque, dolórque,
Langueſcúntque iterum; ſimul eſt extinctus uterque;
Inque leves abiit paulatim ſpiritus auras,
Paulatim cana prunam velante favillâ.
Alta jacet Calydon: lugent juvenéſque ſenéſque,
Vulgúſque, proceréſque gemunt, ſciſſæque capillos
Plangunt ora ſimul matres Calydonides, Oeneus
Pulvere canitiem genitor, vultúſque ſeniles
Fœdat humi fuſus: [i] ſpatioſúmque increpat ævum.
Nam de matre manus diri ſibi conſcia facti
Exegit pœnas, [k] acto per viſcera ferro.
[l] Non, mihi ſi centum deus ora ſonantia linguis,
Ingeniúmque capax, totúmque Helicona dediſſet;
Triſtia perſequerer miſerarum vota ſororum.
Immemores decoris liventia pectora tundunt;
[m] Dumq; manet corpus corpus refoventq; fovéntque:
Oſcula dant ipſi, poſito dant oſcula [n] lecto.
Poſt cinerem, cineres hauſtos ad pectora preſſant.
Affuſæque jacent tumulo, ſignatáque ſaxo
Nomina complexæ, lacrymas in nomina fundunt.
Quas, poſtquam Oenea tandem Latonia clade

h Torris hic fatalis reſpicere videtur effigiem aliquam ex arte maleficâ. cùm præſertim Homerus Il. 9. dicat Meleagrum interiiſſe. Ἐξ ἀρέων μετρός. Πολλ' ἀχέουσ' ἠρᾶτο κασιγνήτοιο φόνοιο Πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία Κικλήσκουσ' Ἀΐδην, καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν, Πρόχνυ καθεζομένη. ſi quem enim immutare, infirmare, aut etiam perimere volunt maleficæ, imaginem ejus ex cerâ, luto aut plumbo effingunt; pectori nomen inſcribunt, exorcizant, ſub fimo vel ad lentum focum tabeſcere ſinunt perforatum aut acubus per latera transfixum. noſter epiſt. Hypſipyles, *Devovet abſentes, ſimulacraque cerea fingit: & miſerum tenues in jecur urget acus.* & 2 Faſtor. *Quodque pice obſtrinxit, quod acu trajecit ahenâ, Obſutum menthæ torret ad igne caput.* Virg. 8. ecloga. *Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,* &c. ex Theocriti Idyl. 2. Ὡς τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ, &c. Horat. 8. Satyr. 1. l. *Lanea & effigies erat, altera cerea.* Tacitus 2. Annal. ſuper morte Germanici. Reperiebantur, inquit, ſolo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina & devotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres, ac tabe obruti, aliaque malefícia, &c. Sed adi Sprangerum 1. p. Mallei vener. quæſt. 1. c. 12. Meierum l. 16. Delrium 3. Diſqui. Magic. p. 1. quæſt. 3. ſect. 4 & 5. Grillandum quæſt. 5. Petri Abani experimenta. i Neſtor apud Iuvenalem 10. Sat. *quærit cur hæc in tempora duret. Quod facinus dignum tam longo admiſerit ævo.* k Laqueo vitam finivit, inquit Diodorus Sic. 5. l. l Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, &c. 2. Iliad. Hom. Virgilius idem 3. Georgic. & 6. Æneid. m Quandiu componebatur, necdum rogo injectum. n Funebri, pheretro.

 Et

*Eſt ſatiata domûs, præter Gorgenque,* o *nurumque*
*Nobilis Alcmenæ, natis in corpora pennis*
*Allevat: & longas per brachia porrigit alas,*
*Corneáque ora facit, verſaſque per aëra mittit.*

o Dejaniram, uxorem Herculis Beneficio Bacchi id factum (dicit Ant. Liberalis) cui eam gratiam Diana fecerat. Reliquæ in Meleagrides aves verſæ, de quibus Plin. 10. l.26. c.

## Naiades in inſulas Echinadas. FAB. 5.

I*Nterea Theſeus* p *ſociata parte laboris*
*Functus,* q *Erechtheas Tritonidos ibat ad arces.*
*Clauſit iter,* r *fecitque moras Achelous eunti*
*Imbre tumens. Succede meis, ait, inclyte tectis*
*Cecropide nec te committe rapacibus undis:*
*Ferre trabes ſolidas, obliquáque volvere magno*
*Murmure ſaxa ſolent. Vidi contermina ripæ*
*Cum gregibus ſtabula alta trahi: nec fortibus illic*
*Profuit armentis, nec equis velocibus eſſe.*
*Multa quoque hic torrens nivibus de monte ſolutis*
*Corpora turbineo juvenilia vortice merſit.*
*Tutior eſt requies, ſolito dum flumina currant*
*Limite: dum tenues captet ſuus alveus undas.*
*Annuit Ægides; utórque, Acheloë, domóque,*
*Conſilioque tuo, respondit: & uſus utroque eſt.*
*Pumice* ſ *multicavo, nec levibus atria tophis*
*Structa ſubit: molli tellus erat humida muſco,*
*Summa* t *lacunabant alterno murice conchæ.*
u *Iámque duas lucis partes Hyperione menſo,*
*Diſcubuêre toris Theſeus comitéſque laborum,*
*Hac* x *Ixionides, illa Trœzenius heros*
*Parte Lelex, raris jam ſparſus tempora canis:*
*Quóſque alios parili fuerat dignatus honore*

p Conficiendi apri labore functus quem ſocium & auxiliarem Meleagro tulerat.

q Athenas Erechtheo olim regnatas.

r Qui autem Achelous Theſeo Calydone Athenas proficiſcenti obſtare potuerit, hæret Glareanus, ego non video.

ſ Foraminoſo, poroſo.

t Lacunaria ſumma diſtinguebantur alternis murice & conchâ quaſi teſſellatim.

u Alluſum videtur ad Romanum morem, quo diſcumbere ſoliti ſub tertiâ diei parte ſuperſtite. Hyperion autem filius Cœli ex Titeâ ſorore, quam βασιλείαν vocat Diodorus, genuit Solem & Lunam. Sol autem ipſe Hyperion dictus. x Pirithous.





y *Amnis Acarnanum, lætiſſimus hoſpite tanto.*
*Protinus oppoſitas nudæ veſtigia Nymphæ*
*Inſtruxêre epulis menſas: dapibúſque remotis*
*In* z *gemma poſuêre merum. Tum maximus heros*
*Æquora proſpiciens oculis ſubjecta, Quis, inquit,*
*Ille locus; digitóque oſtendit: &, inſula nomen*
*Quod gerit illa, doce; quanquam non una videtur.*
*Amnis ad hæc, Non eſt, inquit, quod cernimus unum:*
*Quinque jacent terræ;* a *ſpatii diſcrimina fallunt.*
*Quóque minùs ſpretæ* b *factum mirere Dianæ;*
*Naiades hæ fuerant; quæ cùm bis quinque juvencos*
*Mactâſſent, ruriſque deos ad ſacra vocâſſent,*
c *Immemores noſtri feſtas duxêre choreas.*
*Intumui; quantúſque feror, cùm pulrimus, unquam,*
*Tantus eram: paritérque animis immanis & undis;*
*A ſylvis ſylvas, & ab arvis arva revulſi,*
*Cúmque loco Nymphas memores tum denique noſtri,*
*In freta provolvi.* d *Fluctus noſtérque mariſque*
*Continuam diduxit humum; paritérque revulſit*
*In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis.*

y Fluvius Acarnanum, eos ab Ætolis dividens, Achelous.

z Phialâ gemmeâ, potiùs quàm gemmatâ, ut quæ fluviatili Deo conveniat magis. Cic. Verrina. 6. erat etiam vas vinarium, ex unâ gemmâ prægrandi trullâ excavatâ. *Nec bibit è gemma divite noſtra ſitis.* Propert. 3. l. 4. el.

a Minuta inſularum inter ſe intervalla viſum decipiunt. Al. *ſpatium diſcrimina fallit.* b Vindictam, qua ſui contemptum ulta eſt in Oeneo & ſuis. c Exaruiſſe aliquando videntur fontes, neque rivulos ſuos, ut priùs, in Acheloum devexiſſe. d Inſulas has ante oſtia Acheloï limus vi fluvii advectus congeſſit Strabo l. 10. Quin & alibi emergunt inſulæ; vel aquâ recedente, vel ſpiritu, qui terræ includitur, terram ipſam protrudente & attollente.

## De Perimele in inſulam.

## FAB. 6.

V*T tamen ipſe vides, procul (en!) procul una receſſit*
*Inſula, grata mihi:* e *Perimelen navita dicit.*
*Huic ego virgineum dilectæ nomen ademi:*
*Quod pater Hippodamas ægrè tulit, inq; profundum*
*Propulit è ſcopulo perituræ corpora natæ.*
*Excepi, nantémque ferens; O proxima terræ*

e Inſ. maris Ionii, unam Echinadum, ante os ſinus Corinthiaci.

*Regna vaga, dixi, ſortite [f] Tridentifer undæ,*
*In quo deſinimus, quò ſacri currimus amnes,*
[g] *Huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem.*
*Huic ego, quam porto, nocui; Sis mitis, & æquus.*
*Si pater Hippodamas, aut ſi minùs impius eſſet,*
*Debuit illius miſereri, ignoſcere nobis.*
*Cui quondam tellus clauſa eſt feritate paternâ,*
*Affer opem, merſaque, precor, feritate paternâ*
*Da, Neptune, locum: vel ſit locus ipſa licebit,*
*Hunc quoq; complectar.* [h] *Movit caput æquoreus rex:*
*Concuſſitque ſuis omnes aſſenſibus undas.*
*Extimuit Nymphe; nabat tamen: ipſe natantis*
*Pectora tangebam trepido ſalientia motu,*
*Dumque ea contrecto, totum dureſcere ſenſi*
*Corpus, & inducta condi præcordia terrâ.*
*Dum loquor, amplexa eſt artus nova terra natantes,*
*Et gravis increvit mutatis inſula membris.*

f Tridens quem habet Neptunus pro ſceptro, triplicem illius oſtendit poteſtatem; tollendi ſcil. æquoris, placandi, ſervandi. Comes mythol. lib. 2. c. 8. Aliis τριαινοῦχος est, quod medius inter Iovis cœlum & Plutonis infernum, utrunque cum ſuo participet regnum. quod & Proclus refert in Cratylum Platonis, ubi de fratrum trinitate agit. Ipſe τριαινοκαίτωρ, famulus τρίτων, uxor Ἀμφιτρίτη, ternarium ſonant numerum. g Ex precantium formulâ, Deos orantium ut *adeſſent.* 3. l. Amorum eleg. 2. *Huc ades, atque meus fac Dea vincat amor.* Briſſonii formul. 1. l. plura. h Annuit precibus Neptunus, tremefecit & æquora nutu.

## Philemon, & Baucis in arbores, & eorum domus in Templum.

### FAB. 7. 8. 9.

A*Mnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos*
*Moverat. Irridet credentes, utque deorum*
*Spretor erat, mentiſque ferox* [i] *Ixione natus,*
*Ficta refers, nimiumque putas, Acheloë, potentes*
*Eſſe deos, dixit ſi dant adimuntque figuras.*
*Obſtupuêre omnes, nec talia dicta probârunt;*
*Ante omnéſque Lelex, animo maturus & ævo,*
*Sic ait*, Immenſa eſt, finèmque potentia cœli

i Ixionis filius ex Centaurorum genere, qui Superûm contemptores inducuntur à poetis, ut & Cyclopes.

Non



Non habet, &, [k] quicquid ſuperi voluere, peractum eſt,
*Quoque minus dubites, tilia contermina quercus*
*Collibus eſt Phrygiis, medio circumdata muro;*
[l] *Ipſe locum vidi: nam me* [m] *Pelopeia* [n] *Pittheus*
*Miſit in arva ſuo quondam regnata parenti.*
[o] *Haud procul hinc ſtagnum eſt, tellus habitabilis olim:*
*Nunc celebres mergis fulicíſque paluſtribus undæ.*
*Iuppiter huc ſpecie mortalis, cumque parente*
*Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.*
*Mille domos adiêre, locum requiemq; petentes:*
*Mille domos clauſêre feræ; tamen una recepit,*
*Parva quidem, ſtipulis & canna tecta paluſtri.*
*Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon*
*Illa ſunt annis juncti juvenilibus; illâ*
*Conſenuere caſa:* [p] paupertatémque ferendo,
Effecere levem, *nec iniqua mente ferendam.*
*Nec refert, dominos illic famulóſne requiras:*
*Tota domus duo ſunt; iidem parêntque jubéntque.*
*Ergò ubi cœlicolæ parvos tetigêre penates,*
*Summiſſoque humiles intrârunt vertice poſtes:*
*Membra ſenex poſito juſſit relevare ſedili,*
*Quod ſuper injecit textum rude ſedula Baucis.*

k Γένοιτο μὲν τ' ἂν πᾶν, θεοῦ τεχνωμένου Sophocl. Ajax flagel. Ἐμοὶ δὲ θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων, οὐδὲν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον, Pindar. Pyth. ode 10. l Teſtis ocularis adſero. *Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, planè ſciunt.* Plaut. in Truculento. m In Phrygiam, regnatā Tantalo Pelopis patri. n Trœzen & Pittheus Pelopis filii fuere è Piſatide. quorum ille urbem ſibi cognominem reliquit; hic ei ſuccedens ibi regnavit. Teſte Strab. l. 8. Fuit & Pittheus pater Æthræ quæ mater Theſei. Hunc tamen Lelegis patrem fuiſſe N. L. o Poetarum fabulas è Sacris fontibus derivatas probatum it Laur. Ramirez. c. 26. Pentecontarchi, ex fabb. Promethei, Diluvii, Phaethontis, &c. Sed actum agit. Hoc olim Patres omnes, qui adverſus Gentes ſcripſerunt. Iis quos citavi ad 261. v. l. 1 adde Euſeb. qui l. 10. præp. Euang. ex Clemente, Ioſepho, Porphyrio, Diodoro, aliis, oſtendit eximias quaſque diſciplinas ab Ægyptiis & Hebræis ad Græcos fluxiſſe. Quin & Clemens 6 & 7. Stromat. Græcos furti arguit, ut qui ab Hebræis philoſophiæ ſcita ſua hauſerint. Dixi ad v. 211. l. 1. adumbratum eſſe illum deſcenſum Iovis ſub mortali ſpecie in Arcadiam ex hiſtoriâ quæ habetur Geneſ. c. 18. Quod hic clarius liquet. ubi ſub perſonis Iovis & Mercurii hoſpitio exceptorum à Philemone & Baucide, quos illi deduxerunt in montem poſtquam ulti fuiſſent viciniæ improbitatem, urbe & regione in lacum verſa repræſentatur hiſtoria Lothi 19. c. Geneſ. p Paupertatis emolumenta & prærogativas, ſi cui vacet, legat ab Apuleio in Apologia, elegantiſſimè deſcripta; nec non à Seneca paſſim deprædicata, epiſt. 2. 4. 17. 20. 18. à Valerio Max. laudata. lib. 4. cap. 4. adi, ſi placet, Indicem noſtrum poeticum.

Indè

*Indè foco tepidum cinerem dimovit, & ignes*
*Suſcitat heſternos, foliiſque, & cortice ſicco*
*Nutrit, & ad flammas [q] anima perducit anili,*
*Multifidaſque faces, ramaliaque arida tecto*
*Detulit, & minuit, parvoque admovit aheno:*
*Quodque ſuus conjux riguo collegerat horto,*
[r] *Truncat olus foliis: furca levat ille bicorni*
[ſ] *Sordida terga ſuis nigro pendentia tigno;*
*Servatoque diu reſecat de tergore partem*
*Exiguam, ſectamque* [t] *domat ferventibus undis.*
*Interea medias fallunt ſermonibus horas,*
*Sentirique moram prohibent. Erat alveus illìc*
*Fagineus, dura clavo ſuſpenſus ab anſâ:*
*Is tepidis impletur aquis,* [u] *artuſque fovendos*
*Accipit. In medio* [x] *torus eſt de mollibus ulvis*
*Impoſitus lecto, ſponda pedibuſque ſalignis:*
*Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto*
*Sternere conſuerant; ſed & hæc viliſque vetuſque*
*Veſtis erat,* [y] *lecto non indignanda ſaligno.*
*Accubuêre dei. Menſam ſuccincta tremenſque*
*Ponit anus; menſæ ſed erat pes tertius impar;*
*Teſta* [z] *parem fecit: quæ poſtquam ſubdita clivum*
*Suſtulit; æquatam menta material* 

q Spiritu, follis vice, uſa. r Reſecat folia de olere, trunco & caule rejectis. ſ Fumo ſuſpenſa, uti ſolet ſuccidia. t Elixat l. 1 288. *ferventibus artus Mollitaquis*. u Priſcus ille mos fuit lavandi hoſpites. Athenæus 1. l. 9. c. ex Hom. 3. Odyſſ. x Antiquis torus erat ſtramento. Plin. l. 8 48. c. deinde ex herbâ, aut ulvâ, denique lanâ & plumâ. hic autem impoſitus eſt lecto, qui ligneus, *the bedſteed*. funebris autem arundine, aut papyro fartus imponebatur pheretro. In verſu ſeq. Multi cod. meique Mss. habent *Impoſitis lecto*. quod æquiore animo ferri poteſt, quàm qui ex annotatione alicujus ad marginem irrepſit verſ. ſubſequens, *Concutiuntque torum de molli fluminis ulvâ*. y Et dignum ſanè patellâ operculum. z Pedis imparis enormitatem & inæqualitatem correxit & æquavit. a Olivæ virides & nigræ. hic autem fructus & arbor intemeratæ virginis Pallados lib. 6. v. 107. b Qua condita ſervantur. *pickle*. c Caſeus recens. *lactantem metam* appellat Martialis l. 1. epigr. 44.





*Omnia fictilibus. Poſt hæc cœlatus* [d] *eodem*
*Siſtitur argento crater, fabricatáque fago*
*Pocula,* [e] *quæ cava ſunt flaventibus illita ceris.*
*Parva mora eſt: epulaſque foci miſêre calentes,*
[f] *Nec longæ rurſus referuntur vina ſenectæ,*
*Dantque locum menſis paulùm ſeducta* [g] *ſecundis.*
*Hìc nux, hìc miſta eſt rugoſis carica palmis,*
*Prunaque, & in patulis redolentia mala caniſtris,*
*Et de purpureis collectæ vitibus uvæ;*
*Candidus in medio favus eſt.* Super omnia, vultus
Acceſſere boni, nec iners, pauperque voluntas.
*Interea quoties hauſtum cratera repleri*
*Sponte ſua, per ſeque vident ſuccreſcere vina*
*Attoniti novitate pavent, manibuſque ſupinis*
*Concipiunt Bauciſque preces timiduſq; Philemon,*
*Et veniam dapibus,* [i] *nulliſque paratibus orant.*
*Unicus anſer erat, minimæ* [k] *cuſtodia villæ,*
*Quem diis hoſpitibus domini* [l] *mactare parabant:*
*Ille celer penna tardos ætate fatigat,*
*Eluditque diu, tandemque eſt viſus ad ipſos*
*Confugiſſe deos.* [m] *Superi vetuêre necari,*
*Diique ſumus, meritaſque luet vicinia pœnas*
*Impia, dixerunt; vobis immunibus hujus*
*Eſſe mali dabitur: modò veſtra relinquite tecta.*
*Ac noſtros comitate gradus, & in ardua montis,*
*Ite ſimul. Parent: & diis præeuntibus ambo*
*Membra levant baculis, tardique ſenilibus annis*
*Nituntur longo veſtigia ponere clivo.*
*Tantum aberant ſummo, quantum ſemel ire ſagitta*
*Miſſa poteſt: flexêre oculos, & merſa palude*
*Cætera proſpiciunt, tantùm ſua tecta manere.*

d Fictilis ergo, Agathoclea. Auſonius epigr. 8. *& recubans ſub eodem marmore* (quo ſcil. fingebantur urceoli) Chiron. 3. Sat. Iuvenalis. Magnus animus, inquit Seneca fictilibus utitur tanquam argento & auro. e A parte interiore. f Vilia itaque utpote nova. namque ætate commendabantur vina precioſa. g Cœnæ apud Romanos tres fuiſſe miſſus, nemini non notum 1. Ante cœnam promulſidem, ſive Guſtum. 2. Cœnæ caput, ex cibis firmis & præcipuis. 3. Bellaria, ſive menſas ſecundas. h Voluntas eſt, quæ apud nos ponit beneficium. Sen. 7. Benef. 11. c. i Tenui ac ferè nulli apparatui. k *Canibuſque ſagacior anſer*. 599. verſ. lib. 11. l Hoſtiæ, quæ dabatur, loco. m Supplex & hoſpes non violandus; protegendus potiùs. Xenocrates de paſſere, quem perſequebatur accipiter, ad eum confugiente.



НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

*Dumque ea mirantur, dum deſlent fata ſuorum,*
*[n] Merſa vident, quæruntque ſuæ pia culmina villæ:*
*Sola loco ſtabant. Dum deſlent fata locorum,*
*Illa vetus, dominis & jam caſa parva duobus,*
*Vertitur in templum; [o] furcas ſubière columnæ,*
*Stramina flaveſcunt, aurataque tecta videntur,*
*Cœlatæque fores, adopertaque marmore tellus.*
*Talia cùm placido Saturnius edidit ore:*
*Dicite, juſte ſenex, & fœmina conjuge juſto*
*Digna, quid optetis. Cum Baucide pauca locutus,*
*Iudicium ſuperis aperit commune Philemon.*
*Eſſe ſacerdotes, delubraque veſtra tueri*
*Poſcimus: & , quoniam concordes egimus annos,*
*Auferat hora duos eadem; nec conjugis unquam*
*Buſta meæ videam, neu ſim tumulandus ab illâ.*
*Vota [p] fides ſequitur: templi [q] tutela fuère,*
*Donec vita data eſt. Annis ævoque ſoluti,*
*Ante gradus templi cùm ſtarent fortè, locique*
*Narrarent caſus, [r] frondere Philemona Baucis,*
*Baucida conſpexit ſenior frondere Philemon.*
*Iamque ſuper geminos creſcente cacumine vultus,*
*Mutua, dum licuit, reddebant dicta, valeque*
*O conjux, dixère ſimul: ſimul abdita texit*
*Ora [ſ] frutex. Oſtendit adhuc [t] Tyanëius illic*
*Incola de gemino vicinos corpore truncos.*
*Hæc mihi non vani, nec erat cur fallere vellent,*
*Narravêre ſenes: equidem [u] pendentia vidi*
*Serta ſuper ramos, ponenſque recentia, dixi,*
[x] Cura deum dii ſint, & qui coluere colantur.

n Mariangelus in Diatriba, & Ciofanus in var. lect. rejicendos, qui ſequuntur, duos verſus pro adulterinis cenſent. In uno Ms. meo. poſterior non invenit locum, in altero neuter apparet.
o Cervi lignei tranſeunt in marmoreas columnas.
p A Iove promiſſis præſtita.
q Æditui, ſacerdotes.
r Philemona in quercum, Baucida in tiliam mutatam ferunt.
ſ Cortex arboris.
t Tyana, urbs Cappadociæ, media inter Cæſariam & Tarſum, urbem Ciliciæ; Apollonio alumno nobilis. Quî verò Tyaneius potuerit oſtendere rem in Phrygiâ geſtam, non video, niſi fortè alia ſit in Phrygiâ Tyana. u Illis ipſis arboribus ſic mutatis appenſa ſerta & coronas vidi. x Quibus Dii, Deorumque cultus curæ fuere, & ipſi in Deorum numerum referantur.

Proteus



## Proteus in varias formas. FAB. 10.

*DEſierat: cunctoſque & res, & moverat [y] autor;*
*Theſea præcipuè, quem facta audire volentem*
*Mira deûm, nixus cubito Calydonius amnis*
*Talibus alloquitur; Sunt, ô fortiſſime, quorum*
*Forma ſemel mota eſt, & in hoc [z] renovamine manſit,*
*Sunt quibus in plures jus eſt tranſire figuras;*
*Ut tibi complexi terram maris incola [a] Proteu.*
*Nam modò te juvenem, modò te vidêre leonem:*
*Nunc violentus aper; nunc, quem tetigiſſe timerent,*
*Anguis eras; modò te faciebant cornua taurum.*
*Sæpe lapis poteras, arbor quoque ſæpe videri:*
*Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum*
*Flumen eras; interdum undis contrarius ignis.*

y Fides & autoritas Lelegis prudentis piique ſenis *animo maturi & ævo.* ſupra verſ. 619.
z Mutatione in aliquam unam novam formam.
a Rex Ægypti; Cetes; Græcis Περωτεὺς dictus, & Deus maris; quem ſe in varias mutâſſe formas fingunt: Homer. 4. Odyſſ. Orpheus in hymn. Ariſtoph. in Ranis. Virgil. 4. Georgic. Quem nonnulli Magicâ arte ſe in eas formas mutâſſe ferunt. Plato in Euthydemo tradit Sophiſtam fuiſſe. Rhetorem alii & dicendi peritum; Politicum alii, qui arte varia pro re ac tempore Remp. adminiſtrarit. Ad regum inſignia referunt alii, quæ ſubinde immutantur, nunc leonis ſpecie, nunc tauri, &c. Lucianus de ſaltatore interpretatur varias figuras repræſentante Tzetzes λεκανόμαντιν vaticinantem per pelves fuiſſe arbitratur. Philoſophum fuiſſe putant alii, de variarum rerum naturâ differentem. Ponticus Heraclides in libro Homeric. allegoriarum, & hunc ſequutus Clariſſ. Fr. Baconus in Sap. vet. interpretantur informem rerum Materiam, variarum formarum ſuſceptibilem.

## Fames Eryſichthonis & varia Metræ metamorphoſis. FAB. 11.

*NEc minus [c] Autolyci conjux Eryſichthone nata*
*Iuris habet. pater hujus erat, qui numina divûm*
*Sperneret, & nullos aris adoleret honores.*
*Ille etiam Cereale nemus violâſſe ſecuri*
*Dicitur, & lucos ferro temerâſſe vetuſtos.*

c Πολυμορφίας ſecundum exemplum adjicitur Metra, filia Eryſichthonis, quæ nupſit Autolyco patri Anticleæ, quæ Vlyſſis mater. ſe daturus in tertium exemplum.

Stabat

Stabat in his ingens annoſo robore [d] quercus,
[e] Una, nemus vittæ mediam memoreſque tabellæ,
Sertaque cingebant, [f] voti argumenta potentis.
[g] Sæpe ſub hac Dryades feſtas duxêre choreas;
Sæpe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci
Circumière modum: menſuraque roboris ulnas
Quinque ter implebat; nec non & cætera tantum
Sylva ſub hac omnis, quantum fuit herba ſub illâ.
Nec tamen idcirco ferrum [h] Triopeïus illâ
Abſtinuit; [i] famuloſque jubet ſuccidere ſacrum
Robur. &, ut juſſos cunctari vidit, ab uno
Edidit hæc rapta ſceleratus verba ſecuri:
Non dilecta deæ ſolùm, ſed & ipſa, licebit,
Sit dea, jam tanget frondente cacumine terram,
Dixit: Et, obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit, gemitumque dedit [k] Dodonia quercus:
Et pariter frondes, pariter palleſcere glandes
Cœpêre, ac longi pallorem ducere rami.
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus;
Haud aliter fluxit diſcuſſo cortice ſanguis;
Quàm ſolet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abrupta cruor è cervice profundi.
Obſtupuère omnes: [l] aliquiſque ex omnibus audet
Deterrere nefas, ſævamque inhibere bipennem.

d Callimacho in hymno Cereris, eſt populus Ἦν δέ τις αἴγειρος, μέγα δένδρεον, αἰθέρι κῦρον. e Quæ una nemoris inſtar erat. vide Iul. Scalig. Poetic. l. 5. cap. 8. Ἀναθήματα, donaria ab iis ſuſpenſa qui Cereris ope votorum compotes fuerant. ſic verſ. 56. ſupra. De platano à Xerxe torquibus & armillis ornatâ, Ælian. l. 2. Var. hiſt. 14. c. Sed & notum eſt de more ſuſpendendi memorum tabellarum. g Τῷ δ' ἐπὶ ταὶ νύμφαι ποτὶ τὤνδιον ἐψιόωντο. Callimach. ibid. h Triopæ filius. ſic enim Tzetzes in Lycophronem, Ἐρυσίχθων τις Θετταλὸς, ὁ ϗ Αἴθων καλούμενος, υἱὸς ὑπάρχων Τριόπα, ἐξέτεμε τὸ ἄλσος τῆς Δημήτρος. Alii ſubſtituunt, Dryopeius: i. Theſſalus. i Σεύατ' ἔχων θεράποντας ἐείκοσι. Callimach. k Fatidica, vel, æquans Dodonæas Iovis quercus; quamvis hæc Callimacho ſit populus αἴγειρος, ut modò ad verſ. 749. Mss. noſtri, alii, & excuſi aliquot habent *deciduus*. quod Pontanus à *cado* deduci vult. l Sacerdotem, inquit Scalig. l. 5. poet. c. 8. excitat Ceres, ut Eryſichthona caſtiget. Ovid. famulo attribuit. Non excitat ſacerdotem, pace tuâ Iuli; ſed ipſa aſſimilata eſt ſacerdoti. Αὐτίκα Νικίππῃ (τὰν οἱ πόλις ἀρήτειραν Δαμοσίαν ἔστασαν) ἐείσατο. Huic ſimile quippiam de Hamadryade monente Parœbum. Μὴ ταμέειν πρέμνον δρυὸς ἥλικος, narrat Apollonius l. 2. Argonaut. verſ. 475. & commentator ibi.

Aſpicit



Aſpicit hunc, mentiſque piæ cape præmia, dixit,
Theſſalus: inque virum convertit ab arbore ferrum,
Detruncatque caput, repetitaque robora cædit.
[m] Editus è medio ſonus eſt cum robore talis:
[n] Nympha ſub hoc ego ſum, Cereri gratiſſima, ligno;
[o] Quæ tibi factorum pœnas inſtare tuorum
Vaticinor moriens, noſtri ſolatia lethi.
Perſequitur ſcelus ille ſuum. labefactaque tandem
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor
Corruit, & multam proſtravit pondere ſylvam.
Attonitæ Dryades damno nemorumque ſuoque,
Omnes germanæ Cererem cum veſtibus atris
Mœrentes adeunt, pœnamque Eriſichthonis orant.
Annuit his, capitiſque ſui pulcherrima motu
Concuſſit gravidis oneratos meſſibus agros;
Moliturque genus pœnæ miſerabile, ſi non
Ille ſuis eſſet [p] nulli miſerabilis actis,
Peſtifera lacerare fame. quæ, quatenus ipſi
Non adeunda deæ, (neque enim Cereremque, Famemque
Fata coire ſinunt) montani numinis unam
Talibus agreſtem compellat [q] Oreada dictis.
Eſt locus extremis Scythiæ glacialis in oris;
Triſte ſolum; ſterilis, ſine fruge, ſine arbore tellus;
Frigus iners, illic habitant Pallorque, Tremorque,
Et jejuna Fames: ea ſe in præcordia condat
Sacrilegi ſcelerata, jube, nec copia rerum
Vincat eam, ſuperetque meas certamine vires.
Neve viæ ſpatium te terreat, accipe currus;

m Al. Cum ſonus auditur medio de robore talis. n Servius ad eclogam 10. Virgilii, Nymphæ, inquit, Hamadryades ſunt, quæ cum arboribus naſcuntur & pereunt ἀπὸ τοῦ ἅμα καὶ τῆς δρυός. qualis fuit illa, quam Eryſichthon occidit: qui cum arborem incideret, & vox inde erupit, & ſanguis ſicut docet Ovidius. Et Scaliger 5. l. Poetices c. 8. Nudis Callimachi rebus Ovidius addit ornamenta: veluti cùm orationem attribuit Nymphæ; Callimachus ſolùm, κακὸν μέλος ἴαχεν ἄλλαις. o Ναὶ ναὶ, τεύχεο δῶμα κύον, ᾧ ἔνι δαῖτα ποιήσεις. θαμιναὶ γὰρ ἐς ὕστερον εἰλαπίναι τοι ipſa Ceres interminata Eryſichthoni. Callim. p Nullius miſericordiâ aut miſeratione dignus. q Nympham montanam.

Accipe

p Cereris jugales l.5. verſ. 642. *geminos Dea fertilis angues curribus admovit, frœniſque coercuit ora, Et medium cœli terræque per aëra vecta eſt.* Sic & Triptolemo dedit currum quem alati trahebant dracones, quo vectus mortales agriculturam doceret.

*ſ Qui oſſa atque pellis totus eſt, ita cura macet. Quin exta inſpicere, in ſole, etiam vivo licet; Ita is pellucet, quaſi laterna Punica.* Euclio de agno macilento ſibi à Megadoro miſſo, in Plauti Aulularia.

*Accipe quos frænis altè moderêre [r] dracones:*
*Et dedit. Illa dato ſubvecta per aëra curru,*
*Devenit in Scythiam, rigidique cacumina montis*
*(Caucaſon appellant) ſerpentum colla levavit,*
*Quæſitamque Famen lapidoſo vidit in agro,*
*Unguibus & raris vellentem dentibus herbas.*
*Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,*
*Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes,*
*Dura cutis, [ſ] per quam ſpectari viſcera poſſent.*
*Oſſa ſub incurvis extabant arida lumbis:*
*Ventris erat, pro ventre, locus; pendere putares*
*Pectus, & à ſpina tantummodo crate teneri.*
*Auxerat articulos macies, genuumque tumebat*
*Orbis & immodico prodibant tubere tali,*
*Hanc procul ut vidit (neq; enim eſt accedere juxtà*
*Auſa) refert mandata deæ: paulumque morata,*
*Quanquam aberat longè, quanquam modò venerat illuc,*
*Viſa tamen ſenſiſſe Famem; retroque dracones*
*Egit in Æmoniam verſis ſublimis habenis.*
*Dicta Fames Cereris (quamvis cantraria ſemper*
*Illius eſt operi) peragit; perque aëra vento*
*Ad juſſam delata domum eſt, & protinus intrat*
*Sacrilegi thalamos; [u] altoque ſopore ſolutum*
*(Noctis enim tempus) geminis amplectitur ulnis,*
*[x] Seque viro inſpirat, fauceſque, & pectus, & ora*
*Afflat, & in vacuis peragit jejunia venis.*
*Functaque mandato fœcundum deſerit orbem,*
*Inque domos inopes, aſſuetaque vertitur antra.*

t Ita & lib. II. v. 630. *poſtquam mandata peregit Iris, abiit: neque enim ulterius tolerare ſoporis Vim poterat; ubique ut ſomnum ſenſit in artus, effugit.* u Quinetiam invaſio atque impreſſio famis apud Callimachum nulla: Ovidio adeo luculenta, ut nihil ſupra, *altoque ſopore ſolutum*, &c. Scaliger. 5. lib. Poet. cap. 8.
x Αὐτίκα οἱ χαλεπόν τε καὶ ἄγριον ἔμβαλε λιμὸν, Αἴθωνα κρατερόν· μεγάλη δ' ἐστρεύγετο νούσῳ. Callim.





*[y] Lenis adhuc ſomnus placidis Eryſichthona pennis*
*Mulcebat. Petit ille dapes ſub imagine ſomni,*
*Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat,*
*Exercetque cibo deluſum guttur inani,*
*Proque epulis tenues nequicquam devorat auras.*
*Ut verò eſt expulſa quies; furit [z] ardor edendi,*
*Perque avidas fauces, immenſaque viſcera regnat.*
*Nec mora; [a] quod pontus, quod terra, quod educat aër,*
*Poſcit, & appoſitis queritur jejunia menſis,*
*Inque epulis epulas quærit, quodque urbibus eſſe,*
*Quodque ſatis poterat populo, non ſufficit uni.*
*[b] Pluſq; cupit, quò plura ſuam demittit in alvum.*
*[c] Utque fretum recipit de tota flumina terrâ,*
*Nec ſatiatur aquis, peregrinoſque ebibit amnes:*
*Utque rapax ignis non unquam alimenta recuſat,*
*Innumeraſque faces cremat, &, quo copia major*
*Eſt data, plura cupit, turbaque voracior ipsâ eſt:*
*Sic epulas omnes Eryſichthonis ora profani*
*[d] Accipiunt, poſcuntque ſimul. Cibus omnis in illo*
*Cauſa cibi eſt: ſemperque locus fit inanis edendo.*
*Iamque fame patrias altique voragine ventris*
*Attenuârat opes: ſed inattenuata manebat*
*Tum quoque dira fames, implacatæque vigebat*
*Flamma gulæ. tandem, demiſſo in viſcera cenſu,*
*Filia reſtabat [e] non illo digna parente.*

y In quibus, inquit Scaliger, fuerat Callimachus æquo fuſior ac laxior, uti, in pecoribus, mulis, equis, uſque ad felem ipſam, ea noſter bono judicio neglexit, illaque eſt imitatus, quæ ingenii ſui vi effecit, ut eſſent ſua. Ea verò argutè acuteque ac pluſquam humano ingenio eſt proſecutus. Ipſo in ſomno, Dii boni, eſurientem facit. *Lenis adhuc ſomnus*, &c.

z Βουλιμία, φαγέδαινα, γαστριμαργία. a Neque hoc de Fame tantùm pronunciari poteſt: ſed & de aliis Naturæ prodigiis, Avaritia, Ambitione, Libidine, Ebrietate, immodico omni ſtudio, & inſatiatâ Cupiditate. b Σχέτλιος ὅσσα πάσαιτο, τόσων ἔχεν ἵμερος αὖτις. Callim. c Κακὰ δ' ἐξάλλετο γαστὴρ Αἰεὶ μᾶλλον ἔδοντι. τὰ δ' ἐς βυθὸν οἷα θαλάσσης Αλεμάτως ἀχάριστα κατέρρεεν εἴδατα πάντα. Ὡς δὲ Μίμαντι χιών, &c. Callimach. d Laudat Scaliger. l.5. Poet. c. 8. ſententiarum hæc acumina & pondera. *Inque epulis epulas quærit. ignem copia fieri voraciorem. accipiunt poſcuntque ſimul. Cibus omnis in illo Cauſa cibi eſt. & ſemperque locus fit inanis edendo.* e Meliore ſcil. minuſque impio. & quæ ἃ πατρὸς ἔοιτο κακὴν τίσειεν ἀμοιβήν.

*Hanc quoq́; vendit inops. Dominum generoſa recuſat:*[f]
*Et vicina ſuas tendens ſuper æquora palmas,*
*Eripe me domino, qui raptæ præmia nobis*
*Virginitatis habes, ait. Hæc Neptunus habebat.*
*Qui prece non ſpreta, quamvis modò viſa ſequenti*
*Eſſet hero; formamque novat, vultumque virilem*
*Induit, & vultus piſces capientibus aptos.*
*Hanc dominus ſpectans; O qui pendentia parvo*
*[*] Æra cibo celas moderator arundinis, inquit,*
*(Sic mare compoſitum, ſic ſit tibi piſcis in undâ*
*Credulus, & nullos niſi fixus ſentiat hamos!)*
*Quæ modò cùm vili turbatis veſte capillis*
*Litore in hoc ſteterat (nam ſtantem in litore vidi)*
*Dic ubi ſit: neque enim veſtigia longiùs extant.*
*Illa dei munus benè cedere ſenſit: & à ſe*
*Se quæri gaudens, his eſt reſecuta rogantem:*
*Quiſquis es, ignoſcas; in nullam lumina partem*
*Gurgite ab hoc flexi, g ſtudioque oneratus inhæſi.*
*Quoque minùs dubites: ſic has deus æquoris artes*
*Adjuvet, ut nemo jamdudum litore in iſto,*
*(Me tamen excepto) nec fœmina conſtitit ulla,*
*Credidit, & h verſo dominus pede preſſit arenam,*
*Eluſuſque abiit. illi ſua reddita forma eſt.*
*Aſt ubi habere ſuam transformia corpora ſenſit,*
*Sæpe pater dominis i Triopeïda tradit. at illa*
*Nunc equa, nunc ales, modò bos, modò cervus abibat;*

f Iſ. Tzetzes ad illa Lycophronis τῆς παντομόρφȣ βασσάρας λαμπȣρίδος Τοκῆος, ἣ τ' ἀλφαῖσι ταῖς καθ' ἡμέραν βȣπείναν ἀλθαίνεσκεν αἰχμαίδου πατρὸς, vocat hanc Μήστραν & φαρμακίδα fuiſſe ait, quam in varias animalium formas mutatam pater vendidit, quæ paulo poſt recepta ſuâ formâ ad patrem reverſa eſt. Ant. Liberalis Ὑπερμήστραν nominat, & quæ pro muliere vendita, mox in virum mutata patri ſuo hinc alimenta ſuppeditarit. * Hamos æreos, aut ferreos. *Quæque tegis parvis æra recurva cibis.* g Piſcandi ſtudio intentus. h In diverſum abiit, diſceſſit. i Ὁ πατὴρ τῆς Μήστρας πάντα καταφαγὼν, &c. Eryſichthona, ubi bona ſua omnia luxu dilapidaſſet, demum & filiam proſtituit. illius verò ætatis homines ante cuſas pecunias pecora aliaſque merces invicem permutabant. Illa itaque ab hoc acceptâ ove, bove ab illo, aliâ ab aliis mercede, & ſuæ & paternæ ſubvênit inediæ. atque hinc natam fabulam ait Iſ. Tzetzes, in locum modò dictum Lycophronis.





*Præbebatq́; avido k non juſta alimenta parenti.*
*Vis tamen illa mali poſtquam conſumpſerat omnem*
*Materiam, dederatque gravi nova pabula morbo:*
*Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu*
*Cœpit, & infelix minuendo corpus alebat.*
*Quid moror externis? etiam mihi ſæpe novandi*
*Corporis, ô juvenes, l numero finita poteſtas.*
*Nam modò, qui nunc ſum, videor; modò flector in anguem;*
*Armenti modò dux vires in cornua ſumo:*
*Cornua dum ſumpſi, nunc pars caret altera m telo*
*Frontis, ut ipſe vides. Gemitus ſunt verba ſecuti.*

k Πόρνῃ, & dolo malo quæſita.
l Non infinita, ut Proteo & Metræ: ſed numero præſcripto, ternario ſc. in hominem, taurum, anguem. quæ ad fluviorum imagines pertinent, ut in lib. ſeq. vide & Æliani Var. hiſt. l. 2. c. 33. Deianara apud Sophoclem in Trachiniis Μνηστὴρ γὰρ ἦν μοι ποταμὸς, Ἀχελῶον λέγω, Ὅς μ' ἐν τρισὶ μορφαῖσιν ἐξῄτει πατρὸς, Φοιτῶν ἐναργὴς ταῦρος, ἄλλοτ' αἰόλος Δράκων ἑλικτὸς, ἄλλοτ' ἀνδρείῳ κύτει Βούπρωρος. & Commentator ibi. m Cornu. lib. ſeq. verſ. 80.

# LIBER IX.

## Acheloi cum Hercule lucta, & variæ formæ, & Cornu copiæ.

### FABVLA I.

*QVæ gemitus truncæque deo [a] Neptunius heros*
*Cauſa rogat frontis: cùm ſic Calydonius amnis*
*Cœpit, inornatos redimitus [b] arundine crines.*
*Triſte petis munus: quis enim ſua prælia victus*
*Commemorare velit? Referam tamen ordine; Nec tam*
*Turpe fuit vinci, quàm contendiſſe decorum eſt;*
*[c] Magnaque dat nobis tantus ſolatia victor.*
*Nomine ſiqua ſuo tandem pervenit ad aures*
*Deïanira tuas; quondam pulcherrima virgo,*
*Multorumque fuit ſpes [d] invidioſa procorum.*
*Cum quibus ut ſoceri domus eſt intrata petiti,*
*Accipe me generum, dixit [e] Parthaone nate,*
*Dixit & Alcides: alii ceſſêre duobus.*
*Ille Iovem ſocerum dare ſe, famamque [f] laborum,*
*Et ſuperata ſuæ referebat juſſa [g] novercæ.*
*Contrà ego, Turpe deum mortali cedere, dixi:*
*([h] Nondum erat ille deus) dominum me cernis aquarum*
*Curſibus obliquis inter tua regna fluentem.*
*Nec gener externis hoſpes tibi miſſus ab oris,*
*Sed popularis ero, & rerum pars una tuarum.*
*Tantum nè noceat, quòd me [i] nec regia Iuno*

a Theſeus, Neptuni, ab Ægeo patre, nepos.
b Arundinibus & ſalictis prætexuntur majorum fluviorum ripæ. hinc & ipſi arundineis coronis redimiti à poetis. *cum tenuis glauco velabat amictu Carbaſus, & crines umbroſa regebat arundo.* Virg. 8. Æneid.
c Pudorem tollit victo, cui contigit à magna ac nobili manu vinci. Caſſiodor. 8. l. 15. c. redi ad l. 5. v. 191. ſupra.
d Quam ſibi invicem ambitioſi invidebant proci.
e Oenei patrem Homerus Porthea vocat. Il. 18. Πορθεῖ δ' τρεῖς παῖδες, &c. τρίτατος δ' ἦν ἱππότα Οἰνεύς.
f Quos ipſe Iunoni exprobrans recenſebit moriens. inf. 182. verſ.
g Iunonis, cujus, per Euryſtheum, juſſu tot labores ſubiiſſet. inf. 200. verſ. & Senecam adi, Herc. Fu. 829. verſ.
h Nondum erat in numerum Deorum relatus. Αποθέωσιν ejus habes infra verſ. 240.
i Rivali creat invidiam æmul & contemptum, ab odio Iunonis,





*Odit, & omnis abeſt juſſorum pœna laborum.*
*Nam, [k] quòd te jactas Alcmena matre creatum;*
*Iuppiter aut falſus pater eſt, aut crimine verus.*
*Matris adulterio patrem petis: elige, fictum*
*Eſſe Iovem malis, an te per dedecus ortum.*
*Talia dicentem jamdudum lumine torvo*
*Spectat, & accenſæ non fortiter imperat iræ,*
*Verbaque tot reddit; Melior mihi dextera linguâ eſt;*
*Dum modo pugnando ſuperem; tu vince loquendo.*
*Congrediturque ferox. Puduit modo magna locutum*
*Cedere: [l] rejeci [m] viridem de corpore veſtem,*
*Brachiaque oppoſui, tenuique à pectore [n] varas*
*In ſtatione manus, & pugnæ membra paravi.*
*[o] Ille cavis hauſto ſparſit me pulvere palmis,*
*Inque vicem fulvæ tactu flaveſcit arenæ:*
*Et modò cervicem, modò crura micantia captat,*
*Aut captare putes, omnique à parte laceſſit.*
*Me mea defendit [p] gravitas, fruſtraque petebar.*
*[q] Haud ſecus ac moles, quam magno murmure fluctus*
*Oppugnant; manet illa, ſuoque eſt pondere tuta.*
*Digredimur paulum, rurſuſque ad bella coimus;*
*Inque gradu ſtetimus, certi non cedere: eratque*
*[r] Cum pede pes junctus, totoque ego pectore pronus*
*Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.*

k Dilemmate urget ad ignominioſam confeſſionem aut mentiti patris, aut ex adulterio gignentis.
l Exui projecique, de more luctatorum, veſtem.
m Carbaſinas veſtes viridis, glauci, cœrulei coloris tribuunt poetæ Diis maris & fluviorum, utpote iis concolores.
n Incurvatas, incurvatas inſtar varorum, quibus crura obtorta.

o Luctaturi oleo aut ceromate inungebantur, quo, poris ſtipatis contineretur ſudor; namque ex hoc diffluente laſſitudo; Lucan. 4. l. v. 622. *Exhauſitque virum,* Anteum Hercules, *quod creber anhelitus illi Prodidit, & gelidus feſſo de corpore ſudor.* tum ut laberentur apprehendentium antagoniſtarum manus; denique ut figeretur cutis adverſus ventos & frigus. Quod niſi ipſi ſe, ait etiam aliptæ aut ceromatiſtæ, pulvere legitimè inſperſiſſent, adverſarii ſe invicem jactâ arenâ, hanc ἁφὴν vocabant, conſperſerunt; ut corporea oleo & ceromate lubrica mutuas paleſtritarum prehenſiones admitterent, quamvis glorioſum erat ἀκονιτὶ vincere. Plin. lib. 35. cap. 11. de Dioxippo pancratiaſte. vide Hier. Mercurialem. lib. 1. de arte Gymnaſtica. cap. 8.
p Moles vaſta & pondus.
q Vide quæ Virg. 5. Æn. de Entello. lib. 7. verſ. 586. de Latino. l. 10. v. 693. de Mezentio. omnia ex Hom. 15. Iliad. ἠΰτε πέτρη ἠλίβατος, &c.
r *Hæret pede pes, denſuſque viro vir.* Æneid. 10. verſ. 361.

ſ Non aliter vidi fortes concurrere tauros,
Cùm pretium pugnæ toto nitidiſſima ſaltu
Expetitur conjux: ſpectant armenta, paventque,
Neſcia quem maneat tanti victoria regni.
Ter ſine profectu voluit nitentia contrà
Rejicere Alcides à ſe mea pectora: quartò
Excutit amplexus, adductaque brachia ſolvit.
Impulſumque manu (certum eſt mihi vera fateri)
Protinus avertit, tergoque oneroſus inhæſit.
Siqua fides (neque enim ficta mihi gloria voce
Quæritur) impoſito preſſus mihi monte videbar.
Vix tamen inſerui t ſudore fluentia multo
Brachia, vix ſolvi duros à corpore nexus.
Inſtat anhelanti, prohibetque reſumere vires,
Et cervice mea potitur: tum denique tellus
Preſſa genu noſtro eſt, & u arenas ore momordi.
Inferior virtute meas divertor ad artes,
Elaborque viro, x longum formatus in anguem.
Qui poſtquam flexos ſinuavi corpus in orbes,
Cumque fero movi linguam ſtridore biſulcam,
Riſit, &, illudens noſtras Tirynthius artes;
y Cunarum labor eſt angues ſuperare mearum,
Dixit: &, Ut vincas alios, Acheloë, dracones;
Pars quota Lernææ ſerpens eris unus z Echidnæ?
Vulneribus fœcunda ſuis erat illa: nec ullum
De centum numero caput eſt impunè reciſum,
Quin gemino cervix hærede valentior eſſet.
Hanc ego ramoſam natis è cæde colubris,
Creſcentemque malo domui, domitamque reduxi.

ſ Virg. 12. l. v. 715. t Lege quę modò ad v. 35. exhauſtos ſudoribus artus. Lucan. 4. l. v. 638. u Virg. 11. Æn. 418. humum ſimul ore momordit. & Horat. 25. ode l. 1. crines pulvere colli-nes. Vide autem quæ ad verſ. 40. l. 5. ſupra. x Διὰ τὸ μῆκος, καὶ τὴν σκολιότητα, propter longitudinem, obliquos & ſinuoſos flexus aſſimilantur fluvii anguibus. Strab. 10. l. de hoc eodem Acheloo locutus.

y Infans in cunas eliſi angues duos à Iunone immiſſos. Plaut. Amphitryo. Act. 5. Philoſtr. icon. Herc. in cunis. z Hydræ, Excetræ, numeroſi mali, cui reſecto uno capite, repullulabant duo. quos hic appellat geminum hæredem. Ex frequenti amputatione potuit à ſepteno ſuo ad centenarium capitũ numerum excreſcere. ſed adi Mythologos. οὐχ οἷός τε ἦν τῇ ὕδρᾳ διαμάχεσθαι σοφιστρίᾳ οὔσῃ, καὶ διὰ τὴν σοφίαν ἀνιείσῃ εἰ μίαν κεφαλὴν ἀποτμηθείη τοῦ λόγου, πολλὰς ἀντὶ τῆς μιᾶς. Plato in Euthydemo.

Quid



Quid fore te credis, falſum qui verſus in anguem
Arma aliena moves? quem forma precaria celat?
Dixerat: & ſummo digitorum vincula collo
Injicit. Angebar ceu guttura forcipe preſſus,
Pollicibuſque meas pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto reſtabat tertia a tauri
Forma truci; tauro mutatus membra, rebello.
Induit ille toris à læva parte lacertos,
Admiſſumque trahens ſequitur depreſſaque durâ
Cornua figit humo, meque alta ſternit arenâ.
Nec ſatis hoc fuerat: rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque à fronte revellit,
b Naiades hoc pomis & odoro flore repletum
Sacrârunt: diveſque meo bona copia cornu eſt.
Dixerat: & Nymphe, ritu ſuccincta Dianæ,
Una miniſtrarum fuſis utrinque capillis
Inceſſit, totumque tulit prædivite cornu
Autumnum, & menſas felicia poma ſecundas.
Lux ſubit; & primo feriente cacumina ſole
Diſcedunt c juvenes, neque enim, dum flumina pacem,
Et placidos habeant lapſus, totæque reſidant,
Opperiuntur, aquæ. Vultus Achelous d agreſtes,
e Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.
Hunc tamen ablati domuit jactura decoris;
Cætera ſoſpes habet: capitis quoque fronde f ſalignâ,
Aut ſuperimpoſita celatur arundine damnum.

a Ταύρῳ μὲν ἐοικότα λέγεσθαι τὸν Ἀχελῶον φασι, καθάπερ καὶ τοὺς ἄλλους ποταμοὺς ἀπό τε τῶν ἤχων, καὶ τῶν κατὰ τὰ ῥεῖθρα καμπῶν ἃς καλοῦσι κέρατα Strab. l. 10 qua ratione & Ariſtoteli 25. ſect. quæſt.

Βέμωχοι dicti. vel quia ſe in ramos, brachia, alveos, & oſtia diducunt. qua de causâ & Hercules fingitur alterum cornu avulſiſſe Acheloo; quod in gratiam Calydoniorum alterum Acheloi alveum alio divertens, plurimos Ætolis agros aſſeruit omni fructuum genere fertiles. atque hinc, pro Acheloï cornu ablato, iis Amalthææ cornu dediſſe. Strabo. 10. lib. & Diodorus l. 5. vide quæ Ælianus lib. 2. Varr. hiſt. c. 33. -- b -- Amalthæa autem vel capra, vel Nympha Meliſſi filia ubera Iovi infanti præbuiſſe dicitur. qua gratiâ & ipſa à Iove cœlum ſortito inter ſidera relata eſt, illiuſque cornu forte avulſum hoc munere donatum, ut quicquid optares, inde enaſceretur, oppletum uſque pomis, omnique Autumnalium fructuum genere. Ovid. 5. Faſt. c Theſeus, Lelex, Pirithous, & comitatus eorum. l. 8. v. 565. d Deformes cornu altero avulſo Horatius quidem epiſt. ad Auguſt. l. 2. *Agreſtem Cyclopa* dicit. & Sat. 5. 1. l. Sarmentum roget Cicerrum cui deturpata fuit frons execto Campani morbi cornu, *Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa.* e Clariſſ. Baconus in Vet. Sap. fabulam hanc ad belli expeditiones & apparatus; ad impreſſiones invadentis, ſuſtinentis ſubterfugia ſpectare cenſet. f Vide quæ ad 3. verſum libri hujus.



Neſſi

## Neſſi cruor in venenum. FAB. 2.

AT te, Neſſe ferox, ejuſdem virginis ardor
Perdiderat, volucri trajectum terga ſagittâ.
Namque nova repetens patrios cum conjuge muros,
Venerat [g] Eveni rapidas jove natus ad undas.
Uberior ſolito, nimbis hyemalibus auctus,
Verticibuſque frequens erat, atque impervius amnis.
[h] Intrepidum pro ſe, curam de conjuge agentem,
Neſſus adit, membriſque valens, [i] ſcituſque vadorum,
Officioque meo ripa ſiſtetur in illâ
Hæc, ait, Alcide: tu viribus utere nando.
Tradidit [k] Aonius pavidam [l] Calydonida Neſſo,
Pallentemque metu, fluviumque, ipſumque timentem.
Mox ut erat pharetraque gravis, ſpolioque leonis,
(Nam clavam, & curvos trans ripam miſerat arcus)
Quandoquidem cœpi, ſuperentur flumina, dixit.
Nec dubitat: nec quà ſit clementiſſimus amnis
Quærit; & obſequio deferri ſpernit aquarum:
Iamque tenens ripam, miſſos cùm tolleret arcus,
Conjugis agnovit vocem: Neſſoque paranti
[m] Fallere depoſitum, Quò te fiducia, clamat,
Vana [n] pedum violente rapit? Tibi Neſſe [n] biformis
Dicimus: exaudi, nec res intercipe noſtras.
Si te nulla mei reverentia movit; at [o] orbes
Concubitus vetitos poterant inhibere paterni.
Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equinâ.
Vulnere, non pedibus te conſequar. Ultima dicta
Re probat; & miſſa fugientia terga ſagittà
Trajicit: extabat ferrum de pectore aduncum,
Quod ſimul evulſum eſt: ſanguis per utrumq; foramen

g Ætoliæ fl. qui priùs Lycormas dictus.
h Ut qui tranare deſtinaverat.
i Portitor quippe trajiciendi fluvii erat. Πορθμεὺς ὑφ' Ηρακλέυς ἀποθανὼν, ἐπειδὴ πορθμεύων τὴν Δηϊάνειραν ἐπιχείρει βιάσαθαι. Strabo. 10. lib.
k Hercules oriundus Thebis in Bœotiâ, quæ & Aonia.

l Deianiram è Calydone. m Violare Deianiram. & fefellerat, interceperatque res Herculis. ut ſcribit Diodorus 5. lib. n Centaurus erat Neſſus, è progenie Ixionis. ut nota ſeq. o Rota, cui pater tuus Ixion affixus verſatuſque aſſiduè ob interpellatam ſtupri Iunonem, te moneat. 4. lib. 161. verſ.





Emicuit, miſtus Lernæi tabe veneni.
Excipit hunc Neſſus: [p] neque enim moriemur inulti,
Secum ait: & calido velamina tincta cruore
Dat munus raptæ, velut irritamen amoris.

p Moriturus ex vulnere, inquit Diodorus, pollicitus eſt ei ſe amoris medicamentum traditurum quo nullam præter ſe mulierẽ Hercules aliam appeteret. παρεκελεύσατο οὖν, λαβοῦσαν τὸν ἐξ αὐτοῦ πεσόντα γόνον, καὶ τούτῳ προσμίξασαν ἔλαιον, καὶ τὸ ἀπὸ τῆς ἀκίδος ἀποστάζον αἷμα, χρίσαι τὸν χιτῶνα τοῦ Ηρακλέους. l. 5. Idem habetur in argumento Sophoclis ad Trachinias. εἰ θέλοι φίλτρον πρὸς Ηρακλέα ἔχειν, τόν τε ἰὸν, &c.

## Zelotypia Deianiræ, & Lychas in ſaxum. FAB. 3.

LOnga fuit medii mora temporis: actaque magni
Herculis implêrant terras, odiumque novercæ.
[q] Victor ab Oechalia [r] Cenæo ſacra parabat
Vota Iovi; cùm fama loquax pervenit ad aures
Deïanira tuas, Quæ veris addere falſa
Gaudet, & è minimo ſua per mendacia creſcit;
Amphitryoniaden Ioles ardore teneri.
Credit amans, Veneriſque novæ perterrita famâ,
Indulſit primò lachrimis, flendoque dolorem
Diffudit miſeranda ſuum. mox deinde, Quid autem
Flemus? ait, pellex lacrymis lætabitur iſtis.
Quæ quoniam adveniet, properandum, aliquidque novandum eſt,
Dum licet, & thalamos nondum tenet altera noſtros.

q Eurytum Oechaliæ Euboicæ regẽ (quod Iolen filiam ſibi uxorem negaverat) cum filiis interficit Hercules, Iolen captivam ſecum abducens. Legatur argumentum ad Trachinias Sophoclis. & Diodor. lib. 5. r Ὁθ' εἷρπε κλεινὴν Εὐρύτου πέρσας πόλιν Νίκης ἄγων τρόπαια Κηναίῳ Διΐ. Ἀκτή τις ἀμφίκλυστος Εὐβοίας ἄκρον Κήναιόν ἐστιν, ἔνθα πατρῴῳ Διΐ Βωμοὺς ὁρίζει, &c. Hyllus nunciat Deianiræ in Sophocl. Trachiniis.

*Conquerar, an ſileam? [s] repetam Calydona, morerne?*
*Excedam tectis; ac ſic nihil ampliùs obſtem?*
*Quid ſi me, Meleagre, tuam memorem eſſe ſororem?*
*(Forte paro facinus) quantumque injuria poſſit,*
*Fœmineuſque dolor, jugulata pellice teſter?*
*In curſus animus varios abit. [t] Omnibus illis*
*Prætulit imbutam Neſſeo ſanguine veſtem*
*Mittere, quæ vires defecto reddat amori:*
*Ignaroque Lychæ, quid tradat neſcia, luctus*
*Ipſa ſuos tradit, blandiſque miſerrima verbis*
*Dona det illa viro, mandat. Capit inſcius heros*
*Induiturque humeris [u] Lernææ virus Echidnæ.*
*Thura dabat primis & verba precantia flammis,*
*Vinaque marmoreas patera fundebat in aras.*
*[x] Incaluit vis illa mali, reſolutaque flammis*
*Herculeos abiit latè diffuſa per artus.*
*Dum potuit, ſolita gemitum virtute repreſſit.*
*Victa malis poſtquam eſt patientia; reppulit aras,*
*[x] Implevitque ſuis nemoroſam vocibus [y] Oeten.*
*Nec mora; lethiferam conatur ſcindere veſtem.*
*Quà trahitur, trahit illa cutem (fœdumque relatu)*
*Aut hæret membris fruſtra tentata revelli;*
*Aut laceros artus, & grandia detegit oſſa.*
*Ipſe cruor, gelido ceu quondam lamina candens*

ſ Vtrumne ad patrem reverſa, vacuam domum novis nuptiis relinquam? an Meleagri ſororem me approbans ulciſcar conjugem meum & pellicem? t Iovi ſacra facturus Hercules in Cenæo Eubœæ promontorio, Lycham ſeſſum ad Deianiram in Thraciam miſit, utei veſtem, quam in ſacris uti conſueverat, afferret. Hæc, quum anxiè (ut habet Sophocles in Trachiniis) inquirendo ex Lychâ intellexiſſet de amore Ioles, ut retineret ipſa Herculis amorem, veſtem medicamine ſibi à Neſſo dato tinctam Herculi miſit. u Veſtem illam ſibi à Deianira, miſſam. Herculis ſagittis Hydræ felle tinctis & cruore Neſſi, ut ad verſ. 131. ſupra, & porâ præced. x Miſeras moleſtæ hujus tunicæ ἡ προσεπτύσσετο πλευραῖσιν ἀρτίκολλος vires narrat Hyllus, in Sophoclis Trachiniis, inde idem in Senecæ neſcio cujus Hercule Oetæo. y Quæret, inquit Micyllus, quiſpiam; unde nobis Hercules in Oeta qui modo in Eubœa? Rem expediet Diodorus 5. lib. & in Sophoclis Triclinias argumentum. Invaleſcente veneni vi & dolore, Hercules Lycham veſtis latorem, quamvis inſcium, in mare præcipitavit. dimiſſo inde exercitu, in Trachiniam profectus, Delphos mittit Lycinium & Iolaum conſulturos de morbi remedio. Iubet Apollo eum in Oeta ingentem ſtruere pyram, de reliquis Iovi curam fore,

Tincta



*Tincta lacu, ſtridet, coquiturque ardente veneno.*
*Nec modus eſt: ſorbent avidæ præcordia flammæ,*
*Cæruleuſque fluit toto de corpore ſudor,*
*Ambuſtique ſonant nervi, cæcaque medullis*
*Tabe liquefactis, tollens ad ſydera palmas,*
*Cladibus, exclamat, Saturnia paſcere noſtris;*
*Paſcere; & hanc peſtem ſpecta crudelis ab alto,*
*Corque ferum ſatia; vel, ſi miſerandus & hoſti,*
*(Hoſtis enim tibi ſum) diris cruciatibus ægram,*
*Inviſamque animam, natamque laboribus aufer.*
Mors mihi munus erit: *decet hæc dare dona novercā.*
*Ergò ego fœdantem [z] peregrino templa cruore*
*Buſirim domui? ſævoque [a] alimenta parentis*
*Antæo eripui? nec me [b] paſtoris Iberi*
*Forma triplex, nec forma [c] triplex tua Cerbere movit?*
*Voſne, manus, validi preſſiſtis cornua [d] tauri?*
*[e] Veſtrum opus Elis habet, veſtrū [f] Stymphalides undæ.*
*[g] Partheniumque nemus: veſtra virtute relatus*
*[h] Thermodontiaco cælatus baltheus auro,*
*[i] Pomaque ab inſomni malè cuſtodita [k] dracone.*
*Nec mihi [l] Centauri potuère reſiſtere, nec mî*
*Arcadiæ vaſtator [m] aper: nec profuit [n] Hydræ*
*Creſcere per damnum, geminaſque reſumere vires.*
*Quid? quod [o] Thracis equos humano ſanguine pingues,*
*Plenaque corporibus laceris præſepia vidi,*
*Viſaque dejeci, dominumque, ipſoſque perêmi?*
*His eliſa jacet [p] moles Nemeæa lacertis;*

z Hoſpitum, quos Iovi immolabat. Verùm Herculis ampliſſimas res geſtas non capiunt marginales iſtæ anguſtiæ. Spatiis itaque diſcluſus iniquis neceſſe habeo referre lectorem, præter eos quos citat *Index noſter Poëticus* autores, ad Quinti Calabri paralip. lib. 6. verſ. 202. Diodor. Sicul. l. 5. Mythologos, præcipuè Natal. Comit. l. 7. c. 1. Gyraldi Syntagm. 10. Ariſtidis orat. de laudib. Herculis l. 1. Lactant. l. 1. c. 9. & ipſum Sophoclem in Trachiniis, unde noſter iſta. & Herc. Oetæum Senecæ. a Vires renovatas ex tactu terræ. Lucan. 4. l. verſ. 630. b Gervonis, qui cum fratribus duobus unanimiter imperavit. 3. Inſſ. Hiſpaniæ. De animâ vegitativâ, ſenſitivâ, rationali intelligunt Phyſici. c Lib. 4. verſ. 450. & 7. l. verſ. 412. d Ignivomi, quem iratus Minoi Neptuni in Cretam immiſit. e Augiæ regis Elidos ſtabulum expurgatum. f Aves humanis veſcentes carnibus, ad Stymphalum lacum Arcadiæ. g Mons Arcadiæ, ubi cervam æripidem cepit. h Hippolytæ reginæ Amazonum ad Thermodonta fl. Scythiæ habitantium. i Lib. 4. verſ 637. k Lib. 4. v. 647. l Pholus & alii nubigenæ, ebrii. m Vivus ad Eryſtheum allatus. n Verſ. 70. ſupra. o Diomedis regis Thraciæ. p Vaſtæ magnitudinis leo ſylvæ Nemeææ.

 q His

q His Cacus horrendum Tyberino gurgite monſtrum:
Hac r cœlum cervice tuli. Defeſſa jubendo eſt
Sæva Iovis conjux: ego ſum indefeſſus agendo.
Sed nova peſtis adeſt; s cui nec virtute reſiſti,
Nec telis, armiſque poteſt. pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes paſcitur artus.
t At valet Euryſtheus; &. Sunt qui credere poſſint
Eſſe Deos, dixit; perque altam ſaucius Oeten
Haud aliter graditur, quàm ſi venabula taurus
Corpore fixa gerat, factique refugerit autor.
u Sæpe illum gemitus edentem, ſæpe trementem,
Sæpe retentantem totas infringere veſtes,
Sternentemque trabes, iraſcentemque videres
Montibus, aut patrio tendentem brachia cœlo.
Ecce! x Lycham trepidum, & latitantem rupe cavatâ
Aſpicit: utque dolor rabiem collegerat omnem,
Tunè Lycha, dixit, y feralia dona dediſti?
Tunè meæ necis autor eris? Tremit ille, pavetque
Pallidus: & timidè verba excuſantia dicit.
Dicentem, z genibuſque manus adhibere parantem
Corripit Alcides; & terque quaterque rotatum
Mittit in Euboïcas, tormento fortius, undas.
Ille per aërias pendens induruit auras.
Utque ferunt imbres gelidis concreſcere ventis;
Indè nives fieri; nivibus quoque a mole rotatis
Aſtringi, & ſpiſſa glomerari grandine corpus:
Sic illum validis jactum per inane lacertis,
Exanguemque metu nec quicquam humoris habentem,
In rigidos verſum ſilices prior edidit ætas.

q In nonnullis Ciofani, & in uno Ms. noſtro non apparet hic verſus. de Caco vide Virg. 8. Æn. 193. v. Propert. 4. l. 10. eleg. Ovid. 1. Faſt. 551. v. r Vice Atlantis, de quo l. 2. v. 296. & l. 4. v. 655. s Δυσχεραίνει δ' ὁ ἀνδρεῖος θάνατον τὸν τοιοῦτον. Ariſt. 3. Nicom. Ethic. c. 9. gravatè fortis mortem illam fert, in qua virtuti ſuæ exerendæ non eſt locus. t Senecæ Herc. fu. verſ. 523. Audi hæc ipſa ſtomachantem Herculem apud Sophoclem in Trachiniis; quædam ex iis tranſtulit Cicero in 2. Tuſc. quæſt. u Ἐσπᾶτο γὰρ πέδονδε, καὶ μετάρσιος βοῶν, ἰύζων, &c. Sophocles in Trachiniis. Et Senec. in Herc. Oetæo. x Inſcium ſupra ad verſ. 165. y Cioſ. *furialia*. Sic enim Cicero 2. Tuſcul. vertit ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον ᾧ διόλλυμαι. Hæc me irretivit veſte furiali inſcium. z Quæ ſedes miſericordiæ, vide quæ ad Senecæ Troada v. 689. a Conglobatis, validius flante Boreâ aut frigido aliquo vento.





Nunc quoque in Euboïco ſcopulus brevis b eminet altè
Gurgite, & humanæ ſervat veſtigia formæ.
Quem quaſi ſenſurum nautæ calcare verentur,
Appellantque Lychan. At tu, Iovis inclyta proles,
Arboribus cæſis, quas ardua geſſerat Oete,
Inque pyram ſtructis, arcum, pharetramque capacem,
c Regnaque viſuras iterum Trojana ſagittas
Ferre jubes d Pæante ſatum; quo flamma miniſtro eſt
Subdita, dumque avidis comprenditur ignibus agger;
Congeriem ſylvæ e Nemeæo vellere ſummam
Sternis, & impoſita clavæ cervice recumbis,
f Haud alio vultu quàm ſi conviva jaceres,
Inter plena meri redimitus pocula ſertis.

b Apparet ex alto, vel in alto, namque ipſe ſcopulus brevis. alii ergo legunt *alto*. c Prius enim expugnârant Trojam ſub Laomedonte. In fatis autem eſſe, Trojam capi non poſſe ſecundò ab Agamemnone & Græcis Helenam repetentibus, abſque Herculis ſagittis lib. 13. verſ. 49. & 400. d Philoctetem. qui facem rogo ſubjecit. vide Sophoclis Philocteten. e Nemeæi leonis pelle. f Ἄγ᾽ εἰ χορεῖτ᾽, αἴρεσθε· παῦλά τοι κακῶν Αὕτη τελευτὴ τοῦδε τἀνδρὸς ὑστάτη. Hercules in Trachiniis jam in rogo poſitus.

## Herculis apotheoſis. FAB. 4.

IAmque valens, & in omne latus diffuſa, ſonabat,
g Securoſque artus, contemptoremque petebat
Flamma ſuum. h Timuêre Dei pro vindice terræ.
Quos ità (ſenſit enim) læto Saturnius ore
Iuppiter alloquitur: Noſtra eſt, timor iſte, voluptas,
O ſuperi, totoque libens mihi pectore grator,
Quòd memoris populi dicor rectorque paterque,
Et mea progenies veſtro quoque tuta favore eſt.
Nam quanquam ipſius datis hoc immanibus actis
Obligor ipſe tamen: ſed enim nè pectora vano
Fida metu paveant, Oetæas ſpernite flammas.
Omnia qui vicit, vincet quos cernitis ignes,

g Contemnentes jam dolorem & flammam. h An utique ſpectabant ſoliciti ne ultima non reſponderet primis? quæ tamen ita fore aſſerit Iupiter, mox verſ. 249. An erat hoc ſpectaculum Diis dignum, vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus? ut de Catone Seneca, lib. de Providentiâ. c. 2. An fortè ſtudioſè favebant Herculi σωτῆρι & ἀλεξικάκῳ, jamque de ipſius apotheoſi anxii cogitabant. quod benignè interpretatus, in ſequentibus, Iupiter, ſibi gratatur, ſe illis inde obligari agnoſcit.

i Nec niſi materna Volcanum parte potentem
Sentiet. Æternum eſt à me quod traxit, & expers
Atque immune necis, nullaque domabile flammâ.
Idque ego defunctum terra cœleſtibus oris
Accipiam; cunctiſque meum lætabile factum
Diis fore confido. Si quis tamen Hercule, ſiquis
Forte Deo doliturus erit; data præmia nollet:
Sed meruiſſe dari ſciet, invituſque probabit.
Aſſensêre Dei, conjux quoque regia viſa eſt
Cætera non duro, duro tamen ultima vultu
Dicta tuliſſe Iovis, ſeque indoluiſſe notatam.
Interea quodcunque fuit populabile flammâ
Mulciber abſtulerat: nec cognoſcenda remanſit
Herculis effigies, nec quicquam ab imagine ductum
Matris habet, tantumque Iovis veſtigia ſervat.
k Utque novus ſerpens, poſita cùm pelle ſenectâ,
Luxuriare ſolet, ſquamaque nitere recenti:
Sic ubi mortales Tirynthius exuit artus,
l Parte ſui meliorē viget, majorque videri
Cœpit. & m auguſta fieri gravitate verendus.
Quem Pater omnipotens inter cava nubila raptum
n Quadrijugo curru radiantibus intulit aſtris.

i Ὥσπερ φασὶ τὸν Ἡρακλέα ἐν τῇ Οἴτῃ κατακαυθέντα &c. Non ſecus atque Herculem in Oetâ monte combuſtum, ad Deos migraſſe tradunt, & ipſum Deum factum. Etenim ille, cùm à ſe abjeciſſet quicquid à matre humani atque mortalis contractum acceperat, ſervatâ purâ atque incorruptâ divinitate, probè prius extructæ pyræ incendio purgatus, in cœlum ſubvolâſſe creditur. Ita philoſophiæ operâ tanquam igni perpurgati, conſcenſo cacumine felicem & beatam degunt vitam, divitiarum, honorum, & voluptatum memores quidem amplius. Luciani Hermotimus Vera ἀποθέωσις & mortalis divinitas, ſi quis tamen hæc quoque, ſi quis Captus amore Dei ſpernit mortalia, cœlum Mente ſapit totâ. k Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος, &c. Iliad. 22. & 2. Æn. Qualis ubi coluber, &c. Nunc poſitis novus exuviis nitiduſque juventa, Lubrica convolvit ſublato pectore terga Arduus ad Solem. l Animo & immortali gloria. Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis Aſtra ferar, ipſe de ſe noſter in peroratione hujus operis. m Nempe cœlo donandus. nec Diis ſolùm ſed & fato functis auguſta & major imago Humanâ tribuitur à poetis & hiſtoricis. n Triumphantem de monſtris domitis, tyrannis cæſis, terrâ relictâ.

Ilithya



## Ilithya in vetulam, & Galanthis in muſtelam. FAB. 5. & 6.

SEnſit Atlas o pondus, neque adhuc p Sthenelëius iras
Solverat Euryſtheus; odiumq́; in prole paternum
Exercebat atrox. at longis anxia curis
Argolis Alcmene queſtus ubi ponat aniles,
Cui referat nati teſtatos orbe labores,
Cuive ſuos caſus, Iolen habet. q Herculis illam
Imperio, thalamoque, animoque receperat Hyllus,
Implêratque uterum generoſo ſemine; cùm ſic
Incipit Alcmene: Faveant tibi r numina ſaltem,
Corripiantque moras tunc, cùm matura vocabis
Præpoſitam timidis parientibus s Ilithyam,
Quam mihi difficilem Iunonis gratia fecit.
Namque t laboriferi cùm jam natalis adeſſet
Herculis, & decimum premeretur u ſydere ſignum,
Tendebat gravitas uterum mihi; quodque ferebam
Tantum erat, ut poſſes autorem dicere tanti
Ponderis eſſe Iovem, nec jam tolerare labores
Vlterius poteram: quin nunc quoque frigidus artus,
Dum loquor, horror habet, parſq́; eſt meminiſſe doloris.
x Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Feſſa malis, tendenſque ad cœlum brachia, magno

o Cœli, ſibi jam gravioris recepto Hercule, Iuvenal. ſat. 1. contentaque ſidera paucis Numinibus miſerum urgebant Atlanta minori Pondere. p Stheneli filius Euryſt. veritus ne Herculis progenies patrem ultura ſe regno exueret, Hyllum Herculis fil. & Licymnii liberos & Iolaum qui Athenas confugerant popoſcit, arma minatus, niſi ſibi redderentur. à Theſeo tamen & Athenienſibus ad uti Euryſtheum ſuſtulerunt. Diodor. 5. lib. & Liberalis 33. fab. q Hyllus Iolen ſibi à patre donatam in uxorem duxerat, gravidamque fecerat. r Ant. Liberalis τὰς μοίρας τῇ εἰλειθυίᾳ adjungit in remorando Alcmenæ partu. fab. 29. tanquam Γενετυλλίδας. s Εἰλείθυιαν, quòd parturientibus adveniat opifera. ὅτι εἰς τὰς τικτούσας ἐλεύθει. aliis ἀπὸ τοῦ ἐλίττεσθαι ab evolvendo. Eadem cum Diana exiſtimata Ἄρτεμις εἰλείθυια καὶ ἡ σεμνὴ προθυραία. Orpheus hymno 1. Plato in Theæteto ait Dianam cùm ſterilis ſit, partuum tutelam ſuſcepiſſe. Collimachus hymno ad Dianam; quòd eam Latona mater citra dolorem geſtarit in utero & pepererit. Meliùs Philoſophi ad Lunæ, quæ eadem cum Diana, potentiam referunt. quæ, ut Plinius l. 2. c. 101. fœmineum molle & nocturnum ſidus humores ſolvit, fœtibus concipiendis edendiſque accommoda. Horat. 22. ode 3. l. & in carm. Seculari. Eadem dicta & Lucina, ut nôrunt vel pueri ex Terentio. t Laboribus nati. ut ſuprà verſ. 180. u Sole. x Aliter Bromia apud Plautum, Ita profecto ſine dolore peperit.

Lucinam

Lucinam ad [y] nexos partus clamore vocabam.
Illa quidem venit, ſed præcorrupta, meumque
Quæ donare caput Iunoni vellet iniquæ.
Vtque meos audit gemitus; ſubſedit in illâ
Ante fores ara, dextroque eſt poplite lævum
Preſſa genu, digitiſque inter ſe [z] pectine junctis
Suſtinuit partus, tacita quoque carmina voce
Dixit: & inceptos tenuerunt carmina partus.
Nitor, & ingrato facio convitia demens
Vana Iovi, cupioque mori; moturaq; duros
Verba quêror ſilices. matres [a] Cadmeïdes adſunt,
Votaque ſuſcipiunt, exhortanturq; dolentem.
[b] Vna miniſtrarum media de plebe Galanthis,
[c] Flava comas, aderat, faciendis ſtrenua juſſis,
Officiis dilecta ſuis. ea ſenſit iniquâ
Neſcio quid Iunone geri: dumq; exit, & intrat
Sæpe fores, [d] divam reſidentem vidit in arâ,
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem.
Et, Quæcunq; es, ait, dominæ gratare: levata eſt
Argolis Alcmene, potiturq; puerpera voto.
Exiliit, junctaſque manus pavefacta remiſit
[e] Diva potens uteri: [f] vinclis levor ipſa remiſſis.
Numine decepto riſiſſe Galathida fama eſt:
Ridentem, prenſamq; ipſis Dea ſæva capillis
Traxit; & è terra corpus relevare volentem
Arcuit, inque pedes mutavit brachia primos.
[g] Strenuitas antiqua manet; nec terga [h] colorem
Amiſêre ſuum: forma eſt diverſa priori.
Quæ, quia mendaci parientem juverat ore;
[i] Ore parit, noſtraſq; domos, velut antè, frequentat.

y Impeditos. Turneb. 7.l. ad verſ. c. 8 legit, Lucinam nixusque pares æquos partus labores, aut Nixios Deos precata.
z Pectinatim, decuſſatim. ϗ αὐτῇ μὲν κατέζοντο κρατοῦσαι τὰς ἑαυτῶν χεῖρας. 29. fab.
a Thebanæ
b Συμπαίκτρια ϗ ἑταίρισα Ἀλκμήνης. Liberali.
c Verſ 321. inf.
d Lucinam.
e Ad 284. verſ. ſupra.
f Digitis quos Dea pectinatim hucuſque junxerat.

g Fuerat enim *faciendis ſtrenua juſſis*. 308. v. & -- h -- *Flava comas*, qui color muſtelinus. Liberalis in felem mutatum refert. καὶ αὐτὴν ἐποίησαν δολερὰν γαλῆν, ϗ δίαιταν ἔδωκαν ἐν τῷ μυχῷ. i Καὶ ἄμορφον ἀπέδειξαν τὴν εὐνήν. Θορεύσεται μὲν γὰρ διὰ τῶν ὤτων. æquè verum per aures coire, ac per os parere. Sed huic color à naturâ muſtelarum, quæ catulos ſuos quotidie transferunt, mutantque ſedem, Cicerone autore, quem citat Plinius l. 29. c. 4. Quin ipſa decies in die mutat locum, Plautus in Sticho.

Dryope



## Dryope in Lotum arborem, & Iolaus ſenex in juvenem.

### FAB. 7. 8. & 9.

Dixit; & admonitu veteris commota miniſtræ
Ingemuit; quam ſic [k] nurus eſt affata dolentem:
Te tamen, ô genitrix, aliena à ſanguine veſtro
Rapta movet facies? Quid ſi tibi mira ſororis
Fata meæ referam? quamquam lacrymæque, dolorque
Impediunt, prohibentq; loqui. [l] Fuit unica matri,
(Me pater ex alia genuit) notiſſima formâ
Oechalidum Dryope: quam virginitate carentem,
Vimque Dei paſſam Delphos Delonque tenentis,
Excipit Andræmon: & habetur conjuge felix.
Eſt lacus acclivis devexo margine formam
Litoris efficiens: ſummum myrteta coronant.
Venerat huc Dryope fatorum neſcia; quóque
Indignere magis, Nymphis latura coronas:
Inque ſinu puerum, qui nondum impleverat annum,
Dulce ferebat onus: tepidique ope lactis alebat.
Haud procul à ſtagno, Tyrios imitata colores
In ſpem baccarum florebat aquatica lotos.
Carpſerat hinc Dryope, quos oblectamina nato
Porrigeret flores, & idem factura videbar;
Namque aderam. [m] Vidi guttas è flore cruentas
Decidere, & tremulo ramos horrore moveri.

k Iole, uxor Hyllii filii Herculis ex Dianirâ. ſupr. verſ. 80.
l Δρύοψ ἐγένετο Σπερχειοῦ παῖς &c. Dryops, inquit Antoninus Liberalis fab. 32. Sperchii fl. filius ex Polydorâ unâ Danaï filiarum, regnum obtinuit in Oetâ. Is unicam habuit filiam Dryopen. quam viſam Apollo ardebat.

Itaque primùm ſe in teſtudinem convertit: quam ubi, ut rem ludicram Dryope Nymphæque tractarent, Dryope etiam in ſinu conderet, de teſtudine Apollo in anguem tranſiit: itaque Nymphæ eam territæ deſeruerunt, cujus virginitatem ibi Apollo delibavit. Illam poſtea cum Andræmon Oxili filius duxiſſet, puerum ex Apolline conceptum parit, Amphiſſum nominatum, &c. m Sic è Phaethontis ſororibus lib. 2. verſ. 360. in arbores verſis *Sanguineæ manant tanquam de vulnere guttæ*. idem de Polydoro 3. Æneid.

Scilicet

*Scilicet, ut referunt [n] tardi nunc denique agreſtes,*
*Lotos in hanc Nymphe, fugiens obſcœna Priapi,*
*Contulerat verſos ſervato nomine vultus.*
*Neſcierat ſoror hoc; quæ cùm perterrita retro*
*Iret, & oratis vellet diſcedere Nymphis;*
*[o] Hæſerunt radice pedes: convellere pugnat,*
*Nec quicquam niſi ſumma movet: ſuccreſcit ab imo,*
*Totaque paulatim lentus premit inguina cortex.*
*Vt vidit, conata manu laniare capillos,*
*Fronde manum implevit, frondes caput omne tegebant.*
*At puer Amphiſus (namque hoc avus Eurytus illi*
*Addiderat nomen) materna rigeſcere ſenſit*
*Vbera, nec ſequitur ducentem lacteus humor.*
*Spectatrix aderam fati crudelis, opemque*
*Non poteram tibi ferre ſoror: quantumque valebam,*
*Creſcentem truncum ramoſque amplexa, morabar;*
*Et, fateor, volui ſub eodem cortice condi.*
*Ecce! vir Andræmon genitorque miſerrimus adſunt,*
*Et quærunt Dryopen: Dryopen quærentibus illis*
*Oſtendi Loton. tepido dant oſcula ligno:*
*Affuſique [p] ſuæ radicibus arboris hærent.*
*Nil, niſi jam faciem, quod non foret arbor, habebat*
*Chara ſoror. lacrymæ miſero de corpore factis*
*Irrorant foliis; ac, dum licet, oraque præſtant*
*Vocis iter, tales [q] effundit in aëra queſtus:*
*Si qua fides miſeris, hoc me per numina juro*
*Non meruiſſe [q] nefas. patior ſine crimine pœnam.*
*Viximus innocuæ: Si mentior, arida perdam*
*Quas habeo frondes, & cæſa ſecuribus urar!*
*Hunc tamen infantem maternis demite ramis,*
*Et date nutrici, noſtraque ſub arbore ſæpe*
*Lac facitote bibat, noſtraque ſub arbore ludat.*

[n] An epithero à bobus, quos agunt paſcuntque ſumpto? ut Virgil. 10. eclog. *tardi venere bubulci.* Vide quæ Erythræus in Indice, voce *Tardi.* An quia ſerò, clade nempe acceptâ, ſorore amiſsâ, nunc denique id retuliſſent? [o] Sed audiamus Liberalem. Amphiſſus urbem in Oetâ condidit, monti ipſi cognominem. Ibique regnavit. Poſuit & Apollini in Dryopide regione templum. In quod cùm ſe contuliſſet Dryope, Hamadryades benevolentiâ inductæ eam rapuerunt, & in ſylvâ occultârunt, loco ejus alno vel populo ἀγείρῳ productâ atque excitatâ è terrâ, ac prope arborem fonte. Ita Dryope, naturæ mutatione de mortali facta eſt nympha. Amphiſſus Nymphis tam bene de matre ſuâ merentibus templum poſuit. & certamen curule inſtituit, quo mulierem accedere nefas; quòd Dryopen à Nymphis ſublatum duo virgines incolis indicârunt, &c. [p] Filia ſc. Sperchii, uxor Andræmonis fuerat. [q] Nefariam metamorphoſin.

Cumque



*Cumque loqui poterit, matrem facitote ſalutet,*
*Et triſtis dicat; Latet hoc in ſtipite mater.*
*[r] Stagna tamen timeat, nec carpat ab arbore flores,*
*Et frutices omnes corpus putet eſſe dearum.*
*Chare vale conjux, & tu germana, paterque:*
*Et, ſiqua eſt pietas, ab acutæ vulnere falcis,*
*A pecoris morſu, frondes defendite noſtras.*
*Et quoniam mihi fas ad vos [s] incumbere non eſt;*
*Erigite huc artus, & ad oſcula noſtra venite*
*Dum tangi poſſum, parvumque attollite natum.*
*Plura loqui nequeo: nam jam per candida mollis*
*Colla liber ſerpit, ſummoque cacumine condor.*
*Ex oculis removete manus: [t] ſine munere veſtro*
*Contegit inductus morientia lumina cortex.*
*Deſierat ſimul ore loqui, ſimul eſſe: diuque*
*Corpore mutato rami caluêre recentes.*
*Dumque refert Iole factum miſerabile, dumque*
*[u] Eurytidos lacrymas admoto pollice ſiccat*
*Alcmene, (flet & ipſa tamen) compeſcuit omnem*
*Res nova triſtitiam: nam limine conſtitit alto*
*[x] Penè puer, [y] dubiaque tegens lanugine malas,*
*Ora reformatus primos Iolaus in annos.*

[r] Meo monitus exemplo. [s] Inclinare. [t] Oculos morientium claudere erat pietatis officium, quod ad quemque, ut erat ſanguine aut affinitate proximus, ſpectabat. quod officium hic ſupervacuum ait, ubi cortex id præſtat. [u] Ioles Euryti filiæ. [x] Iolaus ex ſene denuo pubertatem adeptus. quod de eo fingitur, quia in ætate ſenectâ multa & egregia facinora geſſit. [y] Quæ malas veſtit in tranſitu à pueris in adoleſcentes.

## Callirrhoës filii impuberes in viros.
## FAB. 10.

*Hoc illi dederat Iunonia muneris [z] Hebe,*
*Victa [z] viri precibus. Quæ cùm jurare pararet*
*Dona tributuram poſt hunc ſe talia nulli;*
*Non eſt paſſa [a] Themis. Nam jam diſcordia Thebæ*
*Bella movent, dixit, [b] Capaneuſque niſi ab Iove vinci*

[z] Hercules in Deos relatus Heben Iunonis filiam in uxorē duxit. Iuventem ſc. Robur.

[a] Dea, quæ fas jubet, nefas vetat. vaticinii & oraculi præſes ut ad l. 1. v. 321. vide etiam quę Gyrald. 15. Synt. & Iac. Boiſſard. de Divinat. [b] Vnus è ſeptem ducibus ad Thebas; qui cum mœnia ſcalis conſcendere tentaret, lapidibus à defenſoribus obrutus eſt. Hinc ut ait Veget. l. 4. fulmine Iovis interiiſſe dictus. *hunc toto Iove fulmen adactum corripuit* Statius 10. Thebaid. & mox *paulum ſi tardius artus Ceſſiſſent, potuit fulmen meruiſſe ſecundum.*

Haud

*Haud poterit, c fientq; pares in vulnera fratres,*
*Subductaq; ſuos manes tellure videbit*
d *Vivus adhuc vates, ultuſq; parente parentem*
*Natus erit facto pius & ſceleratus eodem:*
*Attonituſq; malis, exul mentiſque domuſque,*
*Vultibus Eumenidum, matriſq; agitabitur umbris;*
*Donec eum conjux fatale popoſcerit aurum,*
*Cognatumq; latus Phlegeius hauſerit enſis.*
e *Tum demum magno petet hoc Acheloïa ſupplex*
*Ab Iove Callirhoë, natis infantibus annos*
*Addat, neve necem ſinat eſſe ultoris inultam.*
*Iuppiter his motus, f privignæ dona, nuruſque,*
*Præcipiet, facietq; viros impubibus annis.*

c Mutuis concident vulneribus Eteocles & Polynices Oedipi filii. de quibus Euripides, Seneca, Statius. d Amphiaraus vates fati ſui præſcius, non rediturum ſe è bello Thebano, latuit. proditus tamen ab Euriphyle uxore quam corrupit Polynices donato illi aureo monili Hermione prius à Venere dato, & Thebas profectus à terrâ dehiſcente abſorptus eſt. præcepit itaque filio Alcmæoni, ut mortem ſuam matris morte ulciſceretur. quo facto, Alcmæon furiis agitatus morbi remedium quæſivit à Phegeo, cujus filiæ Alpheſibœæ, quam in uxorem duxerat, monile illud fatale dedit. Sed ubi apud Phegeum non inveniret morbi medelam, ab oraculo monitus ſe ad Acheloum contulit, cujus filiam Callirhoën cum amaret, illa autem ab eo poſceret monile; ad Alpheſibœam contendit ab ea repetiturus illud. -- e -- Callirhoë igitur à Iove impetrabat liberis ſuis ex Alcmæone præproperatam juventutem, quò patris necem ulciſci poſſint. f Hebes, quæ Iunonis filia, Herculis uxor, dona. id eſt, juventutem.

## Byblis in fontem. FAB. II.

*HÆc ubi faticano venturi præſcia dixit*
*Ore Themis; vario ſuperi ſermone fremebant:*
*Et, cur non aliis eadem dare dona liceret,*
*Murmur erat. Queritur veteres g Pallantias annos*
h *Conjugis eſſe ſui; queritur caneſcere mitem*
i *Iaſiona Ceres; repetitum Mulciber ævum*

g Aurora Hyperionis filia, ſoror patruelis Pallantis fil. Crei. Heſiod. Theogon. ibi, Θεία δ᾽ ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε σελήνην Ἠῶ θ᾽ ἣ πάντεσσιν, &c. h Tithoni, quem Aurora ſucco ſuo perfudit, & cui à Parcis immortalitatem impetravit, oblita interim perpetuitatem juventutis poſcere. exaruit itaque in cicadam verſus. Adi Cl. Baconi Sap. Vet. i Iovis ex Electrâ filium, Cereri adamatum, ex quâ genuit Plutum. vide quæ Iacob. Boiſſardus l. de Divinatione in Iapyge.

*Poſcit*



*Poſcit k Erichthonio, Venerem quoq; cura futuri*
*Tangit, & Anchiſæ renovare paciſcitur annos.*
*Cui ſtudeat Deus omnis habet: creſcitq; favore*
*Turbida ſeditio; donec ſua Iuppiter ora*
*Solvit; &, O noſtrî ſi qua eſt reverentia, dixit,*
*Quò ruitis? Tantumne aliquis ſibi poſſe videtur,*
l *Fata quoq; ut ſuperet? Fatis Ioläus in annos,*
*Quos egit, rediit: fatis juveneſcere debent*
*Callirhoë geniti, non ambitione, nec armis.*
*Vos etiam, quóque hoc animo meliore feratis;*
l *Me quoque fata regunt: quæ ſi mutare valerem;*
*Nec noſtrum ſeri curvarent m Æacon anni,*
*Perpetuumque ævi florem Rhadamanthus haberet*
*Cum m Minoë meo, qui propter amara ſenectæ*
*Pondera deſpicitur, nec, quo priùs, ordine regnat.*
*Dicta Iovis movêre deos: nec ſuſtinet ullus,*
*Cùm videat feſſos Rhadamanthon & Æacon annis,*
*Et Minoa queri; qui, dum fuit integer ævi,*
*Terruerat magnas ipſo quoque nomine gentes:*
*Tunc erat invalidus, n Deïonidenque juventæ*
*Robore Miletum, Phœboque parente ſuperbum*
*Pertimuit; credenſque ſuis inſurgere regnis,*
*Haud tamen eſt patriis arcere penatibus auſus.*
*Sponte fugis, Milete, tua, celeriq; carinâ*
*Ægeas metiris aquas, & in Aſide terrâ*
*Mœnia conſtituis, poſitoris habentia nomen.*
*Hic tibi, dum ſequitur patriæ curvamina ripæ*
*Filia o Mæandri toties redeuntis eôdem,*
*Cognita Cyanee præſtanti corpore Nympha*
*Byblida cum Cauno prolem eſt enixa gemellam.*
*Byblis in exemplo eſt, ut ament conceſſa puellæ:*
*Byblis p Apollinei correpta cupidine fratris,*
*Non ſoror ut fratrem, nec qua debebat, amavit.*

k Lib. 2. verſ. 554. l Hæc ex Stoâ noſter. Stoicis enim quod in fatis eſt ipſum exuperat Iovem. Sed vide Tertulliani lib. de fato. Auguſtin. 5. l. de civitate Dei. D. Thomam lib. de fato. Euſeb. 6. l. de præparatione Euangelii. Minut. Felicis Octavium. Iul. Sirerum de fato. m Iovis ipſius fil. qui, propter inſignem in vivis juſtitiam, judices inferni finguntur. n Deïones ex Phœbo filium, qui Minoë jam ſeneſcente, Cretæ regnum invadere moliebatur, verum à Iove deterritus in Aſiam navigans Miletum urbem condidit. ibi ex Cyanee Nymphâ genuit gemellos Caunum & Biblida. Ant. Liberalis refert, Miletum, conſulente Sarpedone, in Cariam profugiſſe, ibique Eidotheam Euriti Carum regis filiam uxorem duxiſſe fab. 30. o Lib. 2. verſ. 246. & lib. 8. verſ. 162. p Formoſi & referentis Apollinem avum ſuum, Mileti ſc. patrem.

*Illa*

*Illa quidem primò nullos intelligit ignes,*
*Nec peccare putat, quòd ſæpius oſcula jungat,*
*Quòd ſua fraterno circumdet brachia collo:*
*Mendaciquе diu pietatis fallitur umbrâ.*
*Paulatim declinat amor; viſuraque fratrem*
*Culta venit, nimiumque cupit formoſa videri.*
*Et, ſi qua eſt illic formoſior, invidet illi;*
*Sed nondum manifeſta ſibi eſt: nullumq́; ſub illo*
*Igne facit votum, veruntamen æſtuat intus.*
*Iam dominum appellat; jam nomina ſanguinis odit;*
*Byblida jam mavult quàm ſe vocet ille ſororem:*
*Spes tamen obſcœnas animo demittere non eſt*
*Auſa ſuo vigilans:* [q] *placida reſoluta quiete*
*Sæpe videt quod amat, viſa eſt quoq́; jungere fratri*
*Corpus, & erubuit, quamvis ſopita jacebat.*
*Somnus abit: ſilet illa diu, repetitque quietis*
*Ipſa ſuæ ſpeciem,* [r] *dubiaque ita mente profatur.*
*Me miſeram! Tacitæ quid vult ſibi noctis imago?*
*Quàm nolim rata ſit! Cur hæc ego ſomnia vidi?*
*Ille quidem eſt oculis quamvis formoſus iniquis;*
*Et placet, & poſſit, ſi non ſit frater, amari;*
*Et me dignus erat. verùm nocet eſſe ſororem.*
*Dummodo tale nihil vigilans committere tentem;*
*Sæpe licet ſimili redeat ſub imagine ſomnus.*
*Teſtis abeſt ſomno, nec abeſt imitata voluptas.*
*Proh Venus, & tenera volucer cum matre Cupido!*
*Gaudia quanta tuli! quàm me manifeſta libido*
*Contigit! ut jacui totis reſoluta medullis!*
*Ut meminiſſe juvat! quamvis brevis illa voluptas,*
*Noxque fuit præceps, & cœptis invida noſtris.*

[q] Cenſebat Zeno ex inſomniis ſuum quenque proceſſum ſentire: ſi neque exultare ſe ullâ turpitudine neque admittere vel agere quicquam ſceleratè aut injuſtè in ſomnis videat &c. Quam rem jam ante Plato expreſſit advertens quidnam agat anima ſponte ſuâ per imaginationem in ſomnis, ubi jam deſtituitur ratione. Plutarch. libel. Quemadmodum ſentias te in virtute proficere. vide in Indice noſtro Poëtico, titulum, *Somnia ſibi quiſque facit.* citatiſque ibi autoribus adde quæ Claudianus habet in præfatione ad Panegyrin de ſexto Conſulatu Honorii Auguſti. [r] Necdum determinat amorem ſuum, aut potiundi ejus votum concipit: vago tantùm amore intus æſtuat. cujus reciprocas fluctationes modò audientis habenas rationis, modo ſenſuum ventis tota permittentis vela, ſummo artificio (ut & lib. 7. in Medeâ, l. 8. in Scyllâ) ingenioſiſſimus exprimit poeta. ut omittam quibus gradibus ab initio inſenſibili ſenſim aſſurgat ad ſummum ſcelus. *Nemo repente fuit turpiſſimus.*

*O ego,*



*O ego, ſi liceat mutato nomine jungi,*
*Quàm bene, Caune, tuo poteram nurus eſſe parenti!*
*Quàm bene, Caune, meo poteras gener eſſe parenti!*
*Omnia Dii facerent, eſſent communia nobis;*
*Præter avos! Tu me vellem generoſior eſſes.*
*Neſcio quam facies igitur, pulcherrime, matrem.*
*Hei mihi! quæ malè ſum, quos tu, ſortita parentes!*
*Nil niſi frater eris: Quod obeſt, id habebimus, unum.*
*Quid mihi ſignificant ergò mea viſa? quod autem*
*Somnia pondus habent? an habent & ſomnia pondus?*
*Dii melius:* [s] *Dii nempe ſuas habuêre ſorores.*
*Sic Saturnus Opim* [t] *junctam ſibi ſanguine duxit,*
*Oceanus* [t] *Tethyn,* [t] *Iunonem rector Olympi.*
*Sunt ſuperis ſua jura: Quid ad cœleſtia ritus*
*Exigere humanos, diverſaq́; fœdera tento?*
*Aut noſtro vetitus de corde fugabitur ardor,*
*Aut, hoc ſi nequeo, peream precor ipſa toroque*
*Mortua componar,* [u] *poſitaque det oſcula frater.*
*Et tamen* [x] *arbitrium quærit res iſta duorum.*
*Finge placere mihi: ſcelus eſſe videbitur illi.*
*At non* [y] *Æolidæ thalamos timuêre ſororum:*
*Unde ſed hos novi? cur hæc exempla paravi?*
*Quo feror? Obſcœnæ procul hinc diſcedite flammæ:*
*Nec, niſi quà fas eſt germanæ, frater ametur.*
[z] *Si tamen ipſe mei captus prior eſſet amore:*
*Forſitan illius poſſem indulgere furori.*
*Ergò ego, quæ fueram non rejectura petentem,*
*Ipſa petam? Poteriſne loqui? poteriſne fateri?*
*Coget amor; potero: vel, ſi pudor ora tenebit,*
*Littera celatos arcana* [a] *fatebitur ignes.*
*Hoc placet; hæc dubiam vicit ſententia mentem.*
*In latus erigitur: cubitoque innixa ſiniſtro,*

[s] *Velocius & gravius Corrumpunt vitiorum exempla, magnis cùm ſubeant animos authoribus.* [t] Sororem. [u] Mortuæ, è lecto funebri compoſitæ, ad rogum efferendæ. [x] Conſenſum poſcit ambarum partium. [y] Æolo quidem, ut habet Homerus odyſſ. 10. δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροις γεγάασιν. Ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες. Ἔνθ' ὅ γε θυγατέρας πόρεν υἱάσιν εἶναι ἀκοίτας. Quia tamen, ubi Macareus ex ſorore Canace filium ſuſcepit, Æolus indignatus gladium filiæ miſit, quo adverſus ſe uteretur inceſtus vindice, Macareus verò fugâ ſibi conſuluit; videtur Byblis multitudinis uſa numero, ad majorem criminis autoritatem conciliandam, ſimul & ſuum ſcelus elevandum. [z] Et captum Byblidis amore Caunum fuiſſe ex Cononis Narrationibus refert Photius in bibliotheca Καύνῳ δ' ἔρως ἐγείρεται ἀμήχανος τῆς ἀδελφῆς Βύβλιδος. ὡς δ' ἀπετύγχανε, πολλὰ κινήσας, ἔξεισι τῆς γῆς ἐκείνης. [a] Nec erubeſcet.

*Vide*

b Viderit, inſanos, inquit, fateamur amores
Hei mihi! Quo labor? quem mens mea concipit ignem?
Et meditata manu componit verba trementi.
Dextra tenet [c] ferrum: vacuam tenet altera [d] ceram.
Incipit; & dubitat: ſcribit; damnatque tabellas:
Et [e] notat; & delet: mutat; culpatque, probatque:
Inque vicem ſumptas ponit, poſitaſque reſumit.
Quid velit, ignorat: quicquid factura videtur,
Diſplicet: in vultu eſt audacia miſta pudori.
Scripta ſoror fuerat: viſum eſt delere ſororem,
Verbaque correptis incidere talia ceris.
[f] Quam, niſi tu dederis, non eſt habitura ſalutem,
Hanc tibi mittit amans; pudet (ah!) pudet edere nomen
Et ſi quid cupiam quæris, ſine nomine vellem
Poſſet agi mea cauſa meo: nec cognita Byblis
Antè forem, quàm ſpes votorum certa fuiſſet.
g Eſſe quidem læſi poterat tibi pectoris index
Et color, & macies, & vultus, & humida ſæpe
Lumina, nec cauſa ſuſpiria mota patenti,
Et crebri amplexus, & quæ, ſi fortè notaſti,
Oſcula ſentiri non eſſe ſororia poſſent.
Ipſa tamen, quamvis animi grave vulnus habebam,
Quamvis intus erat furor igneus, omnia feci,
(Sunt mihi Dii teſtes) ut tandem ſanior eſſem;
Pugnavique diu violenta Cupidinis arma
Effugere infelix; & plus, quàm ferre puellam
Poſſe putes, ego dura tuli. Sueprata fateri
Cogor, opemque tuam timidis expoſcere votis.
h Tu ſervare potes, tu perdere ſolus amantem;
Elige utrum facias: non hoc inimica precatur;
Sed quæ, cùm tibi ſit junctiſſima, junctior eſſe

b Caunus. vel ipſe rei eventus ut *Viderit utilitas; ego cepta fideliter edam.* & 10. Met. c Stylum ferreum, cujus acumine ſolebāt veteres exarare.-- d Ceratam tabellam. quam rurſus, ſi quid deletum vellent obtuſâ & planâ ſtyli parte æquabant & lævigabant ad ſcripturam novam. illud vocabant, *ſub acumen ſtyli ſubire:* hoc *ſtylum vertere.* e Scribit. quamvis verbum hoc *notare* inter alias ſignificationes accipitur pro *notis ſcribere* διὰ σημείων γράφειν: h.e. ſignis quibuſdam animi ſenſus comprehendere, non literis & ſermonibus. Turneb. ad verſ. 14. l. 24. c. f Noſter ita exordium ſumit epiſtolæ Phædræ ad Hippolytum. *Quæ, niſi tu dederis, caritura eſt ipſa, ſalutem, Mittit Amazonio Creſſa puella viro.* g Animi amore ſaucii indicia eſſe poterant color, macies vultus. &c. h Sententiâ & locutione haud diſſimili uſus eſt in laudatiſſimo illo opere Medeæ tragædiæ, quam citat Quintilianus, *Servare potui, perdere an poſſim rogas?*

Expetit,



Expetit, & [i] vinclo tecum propiore ligari.
[k] Iura ſenes norint: &, quid liceátque, nefaſque,
Fáſque ſit, inquirant; legúmque examina ſervent.
Conveniens Venus eſt annis temeraria noſtris.
Quid liceat, neſcimus adhuc, & cuncta licere
Credimus, & ſequimur magnorum exempla [l] deorum.
Nec nos aut durus pater, aut reverentia famæ,
Aut timor impediet: tantum abſit cauſa timendi.
Dulcia fraterno ſub nomine furta tegemus.
Eſt mihi libertas tecum ſecreta loquendi:
Et damus amplexus, & jungimus oſcula coràm;
m Quantum eſt quod [n] deſit? miſerere fatentis amorem,
Et non faſſuræ, niſi cogeret ultimus ardor:
Néve merêre meo ſubſcribi [o] cauſa ſepulcro.
Talia nequicquam perarantem plena reliquit
Cera manum, [p] ſummóque in margine verſus adhæſit.
Protinus impreſſa ſignat ſua crimina [q] gemmâ,
Quam tinxit lacrymis: linguæ defecerat humor.
Déque ſuis unum famulis pudibunda vocavit:
Et paulùm blandita, Fer has, fidiſſime, noſtro,
Dixit, & adjecit longo poſt tempore, fratri.
Cum daret, elapſæ manibus cecidêre tabellæ:
Omine turbata eſt; miſit tamen. Apta miniſter
Tempora nactus adit, traditque latentia verba.
Attonitus ſubita [r] juvenis Mæandrius irâ
Projicit acceptas, lecta ſibi parte, tabellas:
Vixq́, manus retinens trepidantis ab ore miniſtri,
Dum licet, ô vetitæ ſcelerate libidinis autor,
Effuge, ait: Qui, [ſ] Si noſtrum tua fata pudorem
Non traherent tecum, pœnas mihi morte dediſſes.
Ille fugit pavidus, dominæque ferocia Cauni
Dicta refert: palles audita, Bybli, repulſa;

i Συνουσιασμοῦ. k Iuris legumque apices nôrint & obſervent ſicci ſenes: nos flore ætatis noſtræ utamur. *Nos vivamus & amemus, Rumoreſque ſenum ſeveriorum omnes unius æſtimemus aſſis.* l Saturni, Iovis, Oceani, qui ſuas habuere ſorores. 498. verſ. ſupra. m Intra quatuor, ex quinque illis amandi lineis, viſum, alloquium, tactum, oſculum ſine ſuſpicione licet conſiſtere: cur non & quintam? cur non & quintâ illâ μελιτόεντι καὶ μυελόεντι nectaris parte, non imbuere nos, ſed proluere datur? vide verſ. 343. lib. 10. n Al. *deſit.* o Mortis. p Ita Iuvenalis Sat. 1. *ſummi plena jam margine libri Scriptus, & in tergo, necdum finitus.* q Annulo, ſigillo incluſâ. *ſe lautum atque beatum exiguis tabulis & gemma fecerit uda.* ibid. r Caunus Mæandri nepos. ſupra verſ. 444. ſ Niſi necis tuæ reddenda ratio nobis crearet dedecus.

Et pavet obſeſſum glaciali frigore [t] pectus.
Mens tamen ut rediit, pariter rediêre furores,
Linguáque vix tales icto dedit aëre voces,
Et merito. Quid enim temeraria vulneris hujus
Indicium feci? quid, quæ célanda fuerunt,
Tam citò commiſi properatis verba tabellis!
Ante erat ambiguis animi ſententia dictis
Prætentanda mihi, nè non ſequeretur euntem;
[u] Parte aliqua, veli qualis foret aura, notare
Debueram: tutóque mari decurrere: quæ nunc
Non exploratis implevi lintea ventis.
Nunc feror in ſcopulos igitur: ſubmerſaque toto
Obruor Oceano, nec habent mea vela recurſus.
Quid quòd & ominibus certis prohibebar amori
Indulgere meo tunc, cùm mihi ferre jubenti
Excidit, & fecit ſpes noſtras cera caducas?
Nónne vel illa dies fuerat, vel tota voluptas,
Sed potiùs mutanda dies? Deus ipſe monebat,
Signaque certa dabat, ſi non malè ſana fuiſſem.
Et tamen ipſa loqui, nec me committere ceræ
Debueram, præſensque meos aperire furores:
Vidiſſet lacrymas, vultus vidiſſet amantis.
Plura loqui poteram, quàm quæ cepêre tabellæ:
Invito potui circumdare brachia collo,
Et, ſi rejicerer, potui moritura videri,
Amplectique pedes, [x] affuſaque poſcere vitam.
Omnia feciſſem: quorum ſi [y] ſingula duram
Flectere non poterant, poterant tamen omnia mentem.
Forſitan & miſſi ſit quædam culpa miniſtri:
[z] Non adiit aptè, nec legit idonea, credo,
Tempora, nec petiit horamque, animumque vacantem.

t Rectiùs utique ex autoritate Ms. Ciofani & mei quàm quod vulgò legitur, corpus. u Allegoriâ pulchrè continuatâ ſe temeritatis in ſcribendo arguit: mox augurii malè ſervati, dici criſin improbat, nuncium importunum. Laſcivior aliquanto eſt Ovidius, inquit Fabius l. 10. Inſtitutionum. 2. c. & nimius amator ingenii ſui. & mox. Ovidii Medea videtur mihi oſtendere, quantum vir ille præſtare potuerit, ſi ingenio ſuo temperare, quàm indulgere maluiſſet. Et hic ſanè fatendum eſt, laſcivire ipſius ingenium, nactum ſcil. materiam ſequacem & genio ſuo affinem. x Ad pedes illius provoluta y Quæ non profuerant ſingula, multa juvent. z Non opportunos tentavit aditus, & quæ molliſſima fandi tempora.

Hæc



Hæc vocuêre mihi. [a] neque enim de tigride natus,
Nec rigidos ſilices, ſolidumque in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit, nec lac bibit ille leænæ.
Vincetur: repetendus erit, nec tædia cœpti
Ulla mei capiam, dum ſpiritus iſte manebit.
Nam primum, ſi facta mihi revocare liceret,
Non cœpiſſe fuit: [b] cœpta expugnare, ſecundum eſt.
Quippe nec ille poteſt, (ut jam mea vota relinquam,)
Non tamen auſorum ſemper memor eſſe meorum:
Et, quia deſierim, leviter voluiſſe videbor,
Aut etiam tentâſſe illum, inſidiiſque petiſſe;
Vel certè non hoc, [c] qui plurimus urget, & urit
Pectora noſtra, [d] Deo, ſed victa libidine credar.
Denique jam nequeo nil commiſiſſe nefandum;
Et ſcripſi, & petii: Temerata eſt noſtra voluntas;
Ut nil adjiciam, non poſſum innoxia dici.
Quod ſupereſt, multum eſt in vota, in crimina parvum.
Dixit: & (incerta tanta eſt diſcordia mentis)
Dum pigeat tentâſſe, libet tentare; modúmque
Exit, & infelix [e] committit ſæpe repelli.
Mox ubi finis abeſt, [f] patriam fugit ille, nefáſque:
Inque peregrina ponit nova mœnia terrâ.
Tum verò mœſtam tota Miletida mente
Defeciſſe ferunt: tum verò à pectore veſtem
Diripuit, planxitque ſuos furibunda lacertos.
Iámque palàm eſt demens: inconceſſámque fatetur
Spem Veneris: ſine qua patriam, inviſóſque penates
Deſerit, & profugi ſequitur veſtigia fratris.

a Neque enim Natus es è ſcopulis, nutritus lacte ferino: Nec dicam ſilices pectus habere tuum. 3. triſt. el. 11. vide citatos à nobis in Indice Poëtico, ſub titulo Durus. qui omnes Homerum ſecuti, Ilia. 6 γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα, πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής. adi etiam A. Gellium l. 12. c. 1. Macrob. l. 5. Saturnal. c. 11. Iul. Scalig. 5. l. Poëtices c. 3. b Incœpta perficere. c Ms. Celeſtinus, Ciofanus, & è meis unus habent, qui plurimus urit & uſſit. d Amore, Cupidine. e Identidem interpellat eum, utrumque repulſum paſſa. f Καῦνος ἔξεισι τῆς γῆς ἐκείνης, &c. Caunus terram illam deſeruit. Doloribus inde plurimis affecta Byblis, paternam & ipſa domum reliquit, & per deſerta diu oberrans & propter fruſtratos amores animo fracta, nexo de zonâ laqueo, ex nuce ſeipſam ſuſpendit. Inde ab illâ flente fluxerunt lacrymæ, & fons hinc enatus, quem Byblida indigenæ nominant. Hæc Photius ex Conone. Aliter Liberalis, ut mox ad verſ. 653.



g Utque

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

*g Vtque tuo motæ, proles Semeleïa, thyrſo*
*Iſmariæ celebrant repetita triennia Bacchæ:*
*Byblida non aliter latos ululâſſe per agros*
h *Bubaſides vidêre nurus; quibus illa relictis*
i *Caras, & armiferos Lelegas Lyciámque pererrat,*
*Iam* k *Cragon, &* l *Lymiram,* m *Xanthique reliquerat undas,*
n *Quóque Chimæra jugo, mediis in partibus hircum,*
*Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.*
*Deficiunt ſylvæ, cùm tu laſſata ſequendo*
*Concidis, &, dura poſitis tellure capillis,*
*Bybli jaces, frondeſque tuo premis ore caducas.*
o *Sæpe illam Nymphæ teneris Lelegeïdes ulnis*
*Tollere conantur, Sæpe ut medeatur amori*
*Præcipiunt: ſurdæque adhibent ſolatia menti.*
*Muta jacet, viridéſque ſuis tenet unguibus herbas*
*Byblis, & humectat lacrymarum gramina rivo.*
*Naiadas his venam, quæ nunquam areſcere poſſet,*
*Suppoſuiſſe ferunt: Quid enim dare majus habebant?*
*Protinus, ut ſecto piceæ de cortice guttæ,*
*Utvè tenax gravida manat tellure bitumen,*
*Utque ſub adventum ſpiratus lene Favoni*
*Sole remolleſcit quæ frigore conſtitit unda:*
*Sic lacrymis conſumpta ſuis* p *Phœbeïa Byblis*
*Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis*
q *Nomen habet dominæ, nigráque ſub ilice manat.*

g Vtque Threiciæ Bacchides, in Orgiis tuis vibrantes thyrſos. i. haſtas pampinis involutas, furore concitæ diſcurrunt. de Bacchanalibus, vide quæ ad 528. verſ. l. 3. de Trietericis ad verſ. 587. lib. 6. *h* Cariæ. Bubaſus Cariæ regio eſt. *i* Populum Cariæ in Aſiâ. 8. lib. 6. verſ. *k* Montem Lyciæ. *l* Vrbem Lyciæ. *m* Fluvii Lyciæ. *n* Ita legendum ex autoritate duorum Vatican. Vrſini, Cœleſtini, monet Ciofanus. quin ex mei unus deſertim habet *hircum* alter ſupraſcriptum. vulgò leg. *ignem*. & alii leg. *Quodque Chimæra jugum*, de Chimærâ, vide quæ ſupra ad lib. 6. v. 339. o Ἐπεὶ δὲ καθ' ἡμέραν εἴχετο χαλεπωτέρῳ δαίμονι, &c. Cùm verò indies magis urgeret malus genius, inquit Liberalis, noctu ſtatuit ſeipſam de ſaxo præcipitem dare. proximum ergo montem conſcendit. Nymphæ autem miſeratæ eam cohibuerunt. & Byblidem immortalitate donatam in ſuum ſodalitium, contubernium ſc. Hamadryadum adſciverunt. Liquor è ſaxo illo diſtillans, in hunc uſque diem ab incolis appellatur. *Lacryma Byblidis.* *p* Phœbi neptis. ad verſ. 444. ſupra. *q* Ἐν δὲ τῇ Μιλησίᾳ πηγή τέ ἐστι Βυβλὶς, καὶ ὅσα ἐστὶ τῆς Βυβλίδος τὸν ἔρωτα ᾄδουσιν. Strabo 7. lib.

Iphis



## Iphis in marem. FAB. 12.

*FAma novi centum* r *Cretæas forſitan urbes*
*Impleſſet monſtri: ſi non miracula nuper*
*Iphide mutato Crete propiora tuliſſet.*
ſ *Proxima Gnoſſiaco nam quondam Phæſtia regno*
*Progenuit tellus ignotum* t *nomine Lyctum*
*Ingenua de plebe virum; nec cenſus in illo*
*Nobilitate ſua major; ſed vita, fideſque*
*Inculpata fuit. gravidæ qui conjugis aures*
*Vocibus his monuit, cùm jam propè partus adeſſet.*
*Quæ voveam duo ſunt.* u *minimo ut relevêre dolore,*
*Utque marem parias.* x *Oneroſior altera ſors eſt:*
*Et vires fortuna negat.* y *Quod abominor ergò.*
*Edita fortè tuo fuerit ſi fœmina partu,*
*(Invitus mando, pietas ignoſce,) necetur.*
*Dixerat; & lacrymis vultum lavêre profuſis,*
*Tam qui mandabat, quàm cui mandata dabantur:*
*Sed tamen uſque ſuum vanis Telethuſa maritum*
*Sollicitat precibus,* z *nè ſpem ſibi ponat in arcto.*
*Certa ſua eſt Lycto ſententia. jamque ferendo*
*Vexerat illa gravem maturo pondere ventrem,*
*Cùm medio noctis ſpatio ſub imagine ſomni*
a *Inachis ante torum, pompa comitata ſacrorum*
*Aut ſtetit, aut viſa eſt. Inerant* b *lunaria fronti*

r Vnde Miletus coloniam deduxerat in Aſiam. verſ. 444. ſupra. ſ Phæſtus opp. Cretę prope Cnoſſum celebrem Cretæ urbem. t Hunc Ant. Liberalis nominat Lamprum, uxorē Galateam, filiam Leucippum, Deum auxiliarem, quæ noſtro Iſis, Latonam. u Facilitatē pariundi, & fœtum maſculum voveo. x Educatione & dote gravior, ſexus ſequior. *y* Quod omen avertant Dii. *z* Ne deſperet Deorum opem. *a* Iſis ex Iö Inachi filiâ. ut l. 1. verſ. 729. Hanc inquit Diodorus l. 1. alii Iſidem, alii Cererem, & Theſmophoram, Lunam alii, nonnulli Iunonem. opportunè itaque adeſt parturienti, & in ſomnis. Namque, ut ibidem Diodorus, In ſomnis opitulatur eis quos cenſuerit dignos, &c. *b* Iſidis ſimulachrum muliebre, erat cornutum, Herodotus in Euterpe. Colebatur autem Iſis ſub ſpecie vaccæ, cujus corniculata forma referret Lunam; ut & Oſiris ſub ſpecie bovis, cujus cornua pleno orbe coëuntia repræſentarent Solem. Alii autumant per vaccam Iſin ſignificari Ægyptum Oſiri. i. Soli ſuppoſitam, vel Oſiri. i. Nilo inundatam. lege Plutarch. libel. de Iſide, & Oſiride. Macrob. Saturn. 1. lib. 20. cap. Diodor. Sic. lib. 1. Gyrald. Syntagm. 12. Euſeb. de præparat. Euang. 2. lib. cap. 1. de Theologiâ Ægyptiorum, & l. 3. cap. 11.



НБ ОНУ ім. Мечнікова

Cornua,[c] cum ſpicis nitido flaventibus auro,
Et [d] regale decus; cum qua [e] latrator Anubis,
Sanctaque [f] Bubaſtis, [g] variiſque coloribus Apis,
[h] Quique premit vocem, digitóque ſilentia ſuadet:
Siſtráque erant, [i] nunquámq; ſatis quæſitus Oſiris,
[k] Plenáque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.
Tum, velut excuſſam ſomno, & manifeſta videntem
Sic affata Dea eſt: Pars ô Telethuſa mearum,
Pone graves curas, mandataque falle mariti;
Nec dubita, cùm te partu Lucina levârit,
[l] Tollere, quicquid erit. Dea ſum [m] auxiliaris, opémq;
Exorata fero: nec te coluiſſe querêris
Ingratum numen. monuit, thalamóque receſſit.
Læta toro ſurgit, puráſque ad ſidera ſupplex
[n] Creſſa manus tollens, rata ſint ſua viſa precatur.
Ut dolor increvit, [o] ſéque ipſum pondus in auras
Expulit, & nata eſt ignaro fœmina patri;
Iuſſit ali mater puerum, mentita: fidémque
Res habuit; neque erat facti niſi conſcia nutrix.

c Eſt Iſis, quæ Græca lingua dicitur Δημήτηρ i. Ceres. Herodot. Euterpe. Tertullian. de corona militis. cap. 7. Apuleius 7. Metam. d Diadema corniculatum, vel etiam aſpidibus redimitum. quarum duo eriguntur, quę Lunam referant. e Deus κυνοκέφαλος, ſive ille ſignificet tempus, vel Horizontam, vel Nilum, vel Mercurium, vel C[…]nem ſtellam, qui Solis receſſus & Nili inundationis tempus denotat. vide q[…]nos ad Lucan. l. 8. v. 832. & præter citatos ibi autores adi Lil. Gyrald. 9. Syn[…] f Diana Ægyptiis præcipuè culta in urbe Bubaſti. Herod. Euterpe. Gyrald. 1[…] Synt. g Bos ab Ægyptiis vice numinis cultus. inſigne ei in dextro latere ca[…]dicans macula. non eſt fas eum certos vitæ annos excedere. merſum itaq[…] in fonte ſacerdotes enecant, quæſituri luctu alium quẽ ſubſtituant, &c. Pli[…] l. 8. c. 46. Hunc Epaphum Iſidis filium fuiſſe ſcribit Herodotus in Thaliâ[…] Hæc illi eſſe ſigna; in fronte maculam albam formæ quadratæ, in tergo ef[…]giem aquilæ, cætera nigrum, cantharum in palato, duplices in cauda pilo[…] Hunc alii eundem cum Oſiride putant. adi Boiſſardum de Divinat. tit. Ser[…]pis. & quos citat Clariſſ. Io. Seldenus Syntagmate de DIIS Syris 1. c. 4[…] Gyraldi Synt. 6. h Harpocrates, Deus ſilentii, qui digito ori admoto ta[…]citurnitatis ſymbolum eſt. i Sacerdotes in ſacris lucentes repræſentant Iſid[…] reliquias Oſiridis mariti à fratre Typhone cæſi, & in 26. partes diſſecti. Di[…]dor. 1. l. redi ad notata ſuper Api verſ. præced. k Aſpis cujus morſu hom[…]nes tanquam ſopiti moriuntur. Micyllus crocodilum intelligit, cujus ven[…]noſus morſus inſanabilis. Vtraque Ægyptiis indigena, aliis terris peregri[…]na. Turneb. 7. l. 8. c. Sed ut credam aſpidem intelligi, ſuadent ſomnicul[…] aſpis. A. Gel. l. 9. c. 12. ὑπναλὶ Solino dicta. Cleopatræ aſpides, quæ [mor]tem m fecêre occultum ſoporis iter. Propert. 3. l. 11. eleg. & Lucanus [l.] 9. verſ. 610. & 701. l Educare, non exponere, non interficere. Quicq[uid] peperiſſet, decreverunt tollere. Terent. Andria. m Redi ad notata ſuper ve[rſ.] 688. vide & Apuleium l. 11. Met. Tu quidem ſancta, & humani generis ſo[…]pitatrix, &c. n Telethuſa Cretenſis. o Citra opem obſtetriciam, ne qua fo[…] à compotatrix fœminam natam patri indicaret: conſciâ tantùm nutrice.





Vota pater ſolvit, noménque imponit avitum:
Iphis avus fuerat. Gaviſa eſt [p] nomine mater,
Quod commune foret; nec quenquam falleret illo.
[q] Impercepta pia mendacia fraude latebant.
Cultus erat pueri: [r] facies; quam, ſive puellæ,
Sive dares puero; fieret formoſus uterque.
Tertius interea decimo ſucceſſerat annus;
Cùm pater, Iphi, tibi flavam deſpondet Ianthen:
Inter Phæſtiadas quæ laudatiſſima formæ
Dote fuit virgo, Dictæo nata Theleſte.
Par ætas, par forma fuit; [ſ] primáſque magiſtris
Accêpere artes elementa ætatis ab iiſdem.
Hinc amor amborum tetigit [t] rude pectus, & æquum
Vulnus utrique dedit: ſed erat fiducia [u] diſpar.
Conjugium, pactæque expectant tempora tedæ,
Quemq; virum putat eſſe, ſuum fore credit Ianthe.
Iphis amat, [x] quo poſſe frui deſperat, & auget
Hoc ipſum flammas, ardetque in virgine virgo;
Vixq; tenent lacrymas: Quis me manet exitus? inquit:
Cognita quàm nulli, quàm prodigioſa, novæque
Cura tenet Veneris? Si Dii mihi parcere vellent,
Perdere debuerant: ſi non & perdere vellent,
[y] Naturale malum ſaltem, & de more dediſſent.
Nec vaccam vaccæ, nec equas amor urit equarum:
Urit oves aries; ſequitur ſua fœmina cervum;
Sic & aves coëunt: intérque animalia cuncta
Fœmina fœmineo correpta Cupidine nulla eſt.
[z] Vellem nulla forem. Nè non tamen omnia Crete
Monſtra ferat: taurum dilexit [a] filia Solis;
Fœmina nempe marem. Meus eſt furioſior illo,

p Ambiguo, ut quod utrique ſexui conveniret. q Indeprehenſa, non animadverſa. r Ἐπεὶ ἢ ηὔξετο ἡ κόρη, καὶ ἐγένετο ἄφαλόν τι κάλλος Ant. Liberalis, in hâc eâdem fab. ſ Diſciplina plane Laconica; ſiquidem in iiſdem gymnaſiis ſub iiſdem magiſtris artium imbiberint elementa grandis virgo, bonuſque puer, ut habet Martialis l. 8. epig. 3. t Contactum nullis antè cupidinibus. Propert. 1. u In ſequentibus redditur ratio; fiduciæ in Ianthe, diffidentiæ in Iphide. x Alii leg. qua. Sed & ferri poteſt quo phraſi Græcâ: Iphis amat rem quâ ſe poſſe frui deſperat. Triſte lupus ſtabulis. Virg. κοινὶ λύκος ἀγελαιότατον. Plato. infra etiam verſ. 748. & alibi. y Ut viri, non virginis amore caperer. z Vellem non eſſe me. aut etiam periiſſe. a Paſiphaë, vid. quæ nos ad Virgilii eclog 6. & lib. Æneid. 6. Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto Paſiphaë. & quæ ad 8. lib. ſupra verſ. 156.

Si verum profitemur, amor: tamen illa ſecuta eſt
Spem Veneris, tamen illa [b] dolis & imagine vaccæ
Paſſa bovem eſt; [c] & erat, qui deciperetur, adulter.
Huc licèt ex toto ſolertia confluat orbe,
Ipſe licèt revolet ceratis Dædalus alis,
Quid faciet? num me puerum de virgine doctis
Artibus efficiet? num te mutabit, Ianthe?
Quin animum firmas? téque ipſa recolligis, Iphi?
Conſiliique inopes, & ſtultos excutis ignes?
Quid ſis nata, vides: [d] niſi te quoque decipis ipſam:
Et pete, quod fas eſt: & ama quod fœmina debes.
Spes eſt quæ capiat, ſpes eſt quæ paſcat amantem.
Hanc tibi res adimit. Non te cuſtodia charo
Arcet ab amplexu, nec cauti cura mariti,
Non patris aſperitas; nec ſe negat ipſa roganti,
Nec tamen eſt potienda tibi; nec ut omnia fiant,
Eſſe potes felix, ut Diique, hominéſque laborent.
Nunc quoque Votorum pars nulla eſt vana meorum:
Diique mihi faciles quicquid valuêre dederunt.
Quod volo, vult genitor, ſocer & vult ipſe futurus:
At non vult natura. potentior omnibus iſtis,
Quæ mihi ſola nocet. Venit (ecce!) optabile tempus
[e] Lùxque jugalis adeſt, & jam mea fiet Ianthe.
Nec mihi continget. [f] Mediis ſitiemus in undis.
[g] Pronuba quid Iuno? quid adhac, [h] Hymenæe, venitis
Sacra, quibus qui ducat abeſt? ubi [i] nubimus ambæ?
Preſſit ab his vocem: nec leniùs altera virgo
Æſtuat, atque celer venias, Hymenæe, precatur.
Quod petit hæc. Telethuſa timens, modo tēpora differt,
Nunc ficto languore moram trahit; omina ſæpe,
Viſáque cauſatur: ſed jam conſumpſerat omnem

b Incluſa vaccæ ligneæ, Dædali opera, ut habent mythologi. vide Natal. Comitem l. 6, c. 5. & adi Martialem ſpectacul. 5. epigr. quod & repræſentatum à Nerone. Suetonius in vitâ ejus, c. 12.
c Et erat adulter qui poſſet decipi; brutum, ſc. animal.
d Fallere alios in proclivi eſt; ſed ipſum à ſe falli miſerrimum, Plutarch. de Adul.
e Dies nuptiis dictus.
f Alluſum ad Tantali fabulam.
g Ἡ παράνυμφος, προμνήστρια. quæ nuptam viro conciliat, itaque hæc boni ominis gratiâ erat veteribus univira. auſpicatis nuptiis & legitimis advocabatur Iuno nuptiarum præſes γαμήλια. h Lib. 4. verſ. 758. i Nubere, propriè eſt, ſponſæ caput velare flammeo, ut quæ ad ſponſum eſſet deducenda. Ita hic innuitur, ſponſum & ſponſam eſſe fœminas. Vide quæ lib. 1. verſ. 700.

Materiam



Materiam ficti, dilatáque tempora [k] tedæ
Inſtiterant, unúſque dies reſtabat. At illa
Crinalem capiti vittam nataque ſibique
Detrahit, &, paſſis aram complexa capillis,
[l] Iſi, [m] Parætonium, Mareoticáque arva, Pharónque
Quæ colis. & ſeptem digeſtum in cornua Nilum,
Fer precor, inquit, opem, noſtróque medere timori.
Te, Dea, te quondam, [n] tuáque hæc inſignia vidi,
Cunctaque cognovi, [o] ſonitum, comitéſque, facéſque
Siſtrorum; memorique animo tua juſſa notavi.
Quòd videt hæc lucem, quòd non ego punior ipſa,
Conſilium, monitúmque tuum eſt: miſerere duarum,
Auxilióque juva. Lacrymæ ſunt verba ſecutæ.
[p] Viſa Dea eſt moviſſe ſuas (& moverat) aras:
Et templi tremuêre fores, [q] imitatáque Lunam
Cornua fulſerunt, [r] crepuitque ſonabile ſiſtrum.
Non ſecura quidem. fauſto tamen omine læta
Mater abit templo, ſequitur comes Iphis euntem
Quàm ſolita eſt majore gradu, nec candor in ore
Permanet, & vires augentur, & acrior ipſe eſt
Vultus: & incomptis brevior menſura capillis,
Plùſque vigoris adeſt, habuit quàm fœmina: nam quæ
Fœmina nuper eras, puer es. Date munera templis.

k Nuptiarum. vide quæ ad verſ. 60. lib. 4.
l Supra v. 688.
m Quam colit Ægyptus, in qua Parætonium opp. & portus; Mareotis palus; Pharos inſula Alexandriæ objecta, turri & ſpeculâ lucernis inſtructâ nocturnæ navigationi accommoda illuſtris; & Nilus ſeptem oſtiis ſe in mare exonerans.
n Verſ. 687. ſupra.
o Sanior videtur lectio Ciofani, cui ſubſcribit Ms. unus noſter, *ſonitum, comitantiaque æra Siſtrorum.* neque enim huc faciunt *faces ſiſtrorum*.
p Ἡ δὲ Λητὼ συνεχῶς ὀδυρομένην ἱκετεύουσαν ᾤκτειρε, καὶ μετέβαλε τὴν φύσιν τῆς παιδὸς εἰς κόρον. Liberalis 17. fab.
q Supra ad verſ. 689.
r Dextra ferebat æreum crepitaculum: cujus per anguſtam laminam in modum Balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum ſonorem. Apul. de Iſide lib. 11. Metamorph. Quin & ſiſtri formam & formæ rationem. vide apud Plutarch. in lib. de Iſide & Oſiride.

Nec timida gaudete fide. [f] Dant munera templis,
Addunt & titulum: titulus breve carmen habebat,
Vota puer ſolvit, quæ fæmina voverat, Iphis.
Poſtera lux radiis totum patefecerat orbem:
Cùm [t] Venus, & [t] Iuno, ſociúſque [t] Hymenæus ad [u] ignes
Conveniunt, potitúrque ſua puer Iphis Ianthe.

[f] Ταύτης ἔτι μεγαλυνθείσης τῆς μεταβολῆς Φαίστιοι καὶ θύουσι Φυτίῃ Λητοῖ, ἥτις ἔφυσε μήδεα τῇ κόρῃ, &c. Liberalis fab. 17. t Dii conjugales. ut lib. 4. verſ. 758. & alibi ſæpiùs. u In ſacris nuptialibus faces adhibitas & ſacrificia. lib. 5. verſ. 37. & lib. 4. verſ. 60.





# LIBER X.

## Orphei deſcenſus ad inferos, & Olenus & Lethæa in arbores.

### FAB. I.

INde per immenſum, [a] croceo velatus amictu,
Æthera digreditur, [b] Ciconúmque Hymenæus ad oras
Tendit: & Orpheïa nequicquam voce vocatur.
Affuit ille quidem: [c] ſed nec ſolennia verba,
Nec lætos vultus, nec felix attulit omen.
[d] Fax quoque, quam tenuit, lacrimoſo ſtridula fumo
Uſque fuit: nullóſque invenit motibus ignes
Exitus auſpicio gravior: [e] nam nupta per herbas
Dum nova Naïadum turba comitata vagatur,
Occidit, in talum ſerpentis dente recepto.
Quam ſatis ad ſuperas poſtquam Rhodopeïus auras
Deflevit vates, nè non tentaret & umbras,
Ad Styga [f] Tænaria eſt auſus deſcendere portâ,
Pérque [g] leves populos, ſimulacráque functa ſepulcro
Perſephonen adiit, [h] inamœnáque regna tenentem
Umbrarum dominum, pulsíſque ad carmina nervis
Sic ait: O [i] poſiti ſub terra numina [i] mundi,
In quem decidimus quicquid mortale creamur,
Si licet, & falſi poſitis ambagibus oris,
Vera loqui ſinitis, Non huc, ut opaca viderem
Tartara, deſcendi, nec uti villoſa colubris

a Qui concolor flammeo, quo nova nupta pudoris & boni omnis gratiâ velatur. b Thraciæ pop. ad Hæmarum montem & Biſtonidem lacum. c Neque enim feliciter ceſſere nuptiæ. vide lib. 6. verſ. 428. d Lib. 4. v. 60. e Virgil. 4. Georgic. refert Eurydicen dum fugeret Ariſtæum incidiſſe in colubrum, cujus morſu interiit.

f Tænarus promontorium eſt Laconiæ, ubi antrum, cujus vaſtus hiatus, teter mephites, auditus ſtrepitus occaſionem dedere fabulantibus patere hic deſcenſum ad inferos. Virg. 4 Georg. ſuper hâc eâdem re; *Tænarias etiam fauces, alta oſtia Ditis & caligantem, &c.* g Umbras animas. h Lib. 4. verſ. 432. & quos in Indice Poetico monſtrat tit. *Inferi.* i Inferorum, lege quæ Cælius Rhodigin. lib. 2. cap. 18.



НБ ОНУ імені І.І.Мечнікова

Terna [k] Meduſæi vincirem guttura monſtri:
Cauſa viæ eſt conjux, in quam calcata venenum
Vipera diffudit, creſcenteſque abſtulit annos.
[l] Poſſe pati volui; nec me tentáſſe negabo:
Vicit amor; ſupera Deus hic benè notus in orâ eſt.
An ſit & hîc, dubito: ſed & hîc tamen auguror eſſe:
Famáque ſi veteris non eſt mentita [m] rapinæ,
Vos quoque junxit amor. Per ego hæc loca plena timoris,
Per [n] Chaos hoc ingens, vaſtique ſilentia regni,
Eurydices oro, properata retexite fata.
Omnia debentur vobis: paulúmque morati,
[o] Serius aut citius ſedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes; hæc eſt domus ultima: vóſque
Humani generis [p] longiſſima regna tenetis.
Hæc quoque cùm juſtos matura peregerit annos
Iuris erit veſtri: pro munere poſcimus uſum.
Quòd ſi fata negant veniam pro conjuge; certum eſt
Nolle redire mihi: letho gaudete duorum.
Talia dicentem, [q] nervóſque ad verba moventem,
Exangues flebant animæ: nec [r] Tantalus undam
Captavit refugam, ſtupuitque [r] Ixionis orbis,
Nec carpſere [r] jecur [ſ] volucres: urniſque vacârunt
[r] Belides; inque tuo ſediſti, [r] Siſyphe, ſaxo.
[t] Tum primum lacrymis victarum carmine fama eſt

k Cerberi, quem, ut & Orthum Geryonis canem peperit ex Typhaone Echidna Meduſæ progenies. l Volui quidem, & quod in me fuit, laboravi ferre jacturam & deſiderium dilectæ conjugis. m Lib. 5. verſ. 386. n Lib. 1. verſ. 6. o Seriùs, ocyùs. Sors exitura. Horat. 2. lib. 3. Ode. πᾶσιν ἀνθρώποις ὀφείλεται ἀποθανεῖν ἢ πρότερον ἢ ὕστερον. Archinus. Longius aut propius ſors ſua quemque manet. Propert. 2. lib. 28. eleg. p Latiſſimè patentia, omnium capaciſſima, non habitura finem. q Citharæ chordis verba ſociantem. r Vide lib. 4. v. 461. ſ Τὸν πλυὸν κατὰ γῆς δύο γῦπες ἔδυσιν. Lucillius, Antholog. β. t Quid mirum? ubi illis carminibus ſtupens Demittit atras bellua centiceps Aures, & intorti capillis Eumenidum recreantur angues? &c. Horat. lib. 2. ode 13.

Eumeni-



Eumenidum maduiſſe genas, [u] nec regia conjux
Suſtinet oranti, nec qui regit ima: negare;
Euridicénque vocant: umbras erat illa recentes
Inter, & inceſſit paſſu de vulnere tardo.
Hanc ſimul & legem Rhodopeius accipit Orpheus,
Nè flectat retro ſua lumina, donec Avernas
Exierit valles: aut, irrita dona futura.
Carpitur acclivis per muta ſilentia trames,
Arduus, obſcurus, caligine denſus opacâ;
Nec procul abfuerant telluris margine ſummæ:
Hîc, nè deficeret, metuens, avidúſque videndi
Flexit amans oculos; & protinus illa relapſa eſt.
Brachiáque intendens, prendique & prendere certans,
Nil niſi cedentes infelix arripit auras.
Iámque iterum moriens, non eſt de conjuge quicquam
Queſta ſuo: quid enim niſi ſe ſequeretur amatam?
Supremúmque vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit: revolutáque rurſus eôdem eſt.
Non aliter ſtupuit gemina nece conjugis Orpheus,
Quàm tria [x] qui timidus, medio portante catenas,
Colla canis vidit, quem non pavor antè reliquit,
Quàm natura prior, ſaxo per corpus oborto:

u Memoriæ proditum eſt, inquit Pauſanias in Bœoticis, Orpheum, uxore mortuâ, veniſſe ad Aornum Theſprotiæ, ubi per necromantiam evocarentur umbræ: ibi, cùm Eurydices animam pone ſequi putaſſet, & ſua ſe opinione falſum reſpiciens animadvertiſſet, ultro ſibi ipſi, mœrore confectum, mortem conſciviſſe. Ejuſmodi de Bavaro quodam refertur fabula à Sabino. Neque illepidum eſt illud carmen Hiſpano ſcriptum idiomate & ingenio, quo invertitur hæc Orphei fabula. Abuſcara ſumuger Orſeo bazo a el infierno. Que por la muger no pudo baxar à otra parte Orfeo. Orpheus ad inferos deſcendit quæſitum uxorem. Nam ubi alias quærenda erat uxor? Deſcendebat cantans. Et hoc licebat viduo jam & cælibi. Dederunt Orpheo Pluto & Proſerpina ut uxorem abduceret. Pacatiorem ſcilicet fore locum rati unde mulier diſceſſiſſet. & umbris ſanè ſubſecuta eſt à ſuppliciis ſuis ceſſatio. Sed hâc lege dederunt hoc Orpheo, ne illam reſpiceret, priuſquam ad ſuperas oras reverſus eſſet. Ille, ne cruciatum ſibi ab inferis in ſuperas auras ſubveheret, conſultò reſpexit. x Vir quidam erat timidus, qui metu Herculis ſpeluncam ſubiit, unde capite inclinato procumbens, proſpiciens aliquando Herculem, dum Cerberum traheret, diriguit in ſaxum verſus. Suidam adi, in Δειλότερος τοῦ παρακύπτοντος. & Zenobium.

N 7. [y] Quique

y Quique in ſe traxit crimen, voluitque videri
Olenus eſſe nocens, túque ô confiſa figurâ
Infelix Lethæa tua, junctiſſima quondam
Corpora, nunc lapides, quos z humida ſuſtinet Ide.
Orantem, fruſtráque iterum tranſire volentem
Portitor arguerat: ſeptem tamen ille diebus
Squalidus in ripa, a Cereris ſine munere, ſedit.
Cura, dolórque animi, lacrymæque, alimenta fuêre.
Eſſe Deos Erebi crudeles queſtus, in altam
Se recipit Rhodopen, pulſúmque Aquilonibus Hæmum.
b Tertius æquoreis incluſum Piſcibus annum
Finierat Titan: omnémque refugerat Orpheus
Fœmineam Venerem: ſeu quòd malè ceſſerat illi;
Sive fidem dederat; multas tamen ardor habebat
Jungere ſervati; multæ doluêre repulſæ.
Ille etiam Thracum populis fuit autor, amorem
In teneros transferre mares: citráque juventam
Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

y Lethea formâ ſuâ freta ſe Deabus prætulit. Cujus ſuperbiam illæ jam ulturæ eſſent, uxoris crimen in ſe tranſtulit Olenus, ſupplicio interveniens. una itaque cum uxore in lapidem fuit converſus. Turneb. lib. 1. cap. 23. legit. *tuque ô confixa figura Infelix Lethea ſuæ*. atque interpretatur, tu, o Lethæa, cum figurâ tuâ in lapidem obriguiſti. Mei certe membranei manu exarati habent, *tuque ô confiſa figuræ Infelix Lethea tuæ*. z Πολυπίδαξ, fontibus ſcatens. a Ἄσιτος, cibo abſtinens. b Tertiâ jam vice Sol emenſus fuerat Zodiacum, cujus ultimum ſignum *Piſces*.

## Orpheï cantus, & Attis in pinum.

## F A B. 2.

COllis erat, collémque ſuper planiſſima campi
c Area, quam viridem faciebant graminis herbæ.
Umbra loco deerat, qua poſtquam parte reſedit
Diis genitus vates, & fila ſonantia movit:
Umbra loco venit, non d Chaonis abfuit arbor,
Non e nemus Heliadum, non frondibus æſculus altis,

c Orpheïum hoc theatrum noſtro lib. 1. verſ. 22. & Martiali 21 epigr. lib. Spectacul.
d Quercus quâ Chaonia, olim Moloſſia, in Epiro abundat. e Populeum. l. 2. verſ. 340. Sed adi Indicem Poëticum noſtrum, tit. *Arbores*. quibus adde quæ Seneca in Oedipo verſ. 530.

Nec



Nec tiliæ molles, nec fagus, & f innuba laurus,
Et coryli fragiles, & fraxinus utilis haſtis,
Enodiſque abies, curvatáque glandibus ilex,
Et platanus g genialis, acérque h coloribus impar,
Amnicolæque ſimul ſalices & aquatica lotos.
Perpetuóque virens buxus, tenueſque myricæ,
Et i bicolor myrtus, & k baccis cærula ficus.
Vos quoque l flexipedes hederæ veniſtis, & uvâ
Pampineæ vites, & m amictæ vitibus ulmi,
Ornique, & piceæ, pomóque onerata rubenti
Arbutus, & lentæ n victoris præmia palmæ,
Et ſuccincta comas, hirſutáque vertice pinus
o Grata Deûm matri: ſiquidem Cybeleïus Atys
Exuit hac hominem, truncóque induruit illo.

f Propter Daphnen. lib. 1. verſ. 478. g Umbram hoſpitalem præbens convivantibus. Virg. 4 Georg. miniſtrantem platanum potantibus umbram. h Criſpo macularum diſcurſu varia. Plin. 16. cap. 15. i Alba & nigra. Plin 15. c. 29. k Groſſis. l Ciſſos & adoleſcens fuit hiſtrio & ſaltator Liberi patris: qui dum thyaſos exerceret, in profundum terræ hiatum caſu lapſus, interiit. Tellus in gratiam Bacchi pro juvene remiſit hederæ fruticem, quæ nunc etiam flexipes eſt, implicitos ſtaticulorum nexus imitata ex Geoponicis Parrhaſius. m Al. *amicæ*. n Ut quæ oneri impoſito non cedat, ſed contra nitatur. o Puer à Cybele amatus, qui cùm in Sagaritide nymphâ peccâſſet, in furorem verſus ſe caſtravit, mox à Dea in pinum verſus eſt. De quo poſt cæter. Mythologus legatur Gyraldus Syntagm. 4. & Catulli Galliambicum. & Arnobius 5. lib. & Diodorus Sic. lib. 4.

## Cypariſſus in cupreſſum, FAB. 3.

ADfuit huic turbæ p metas imitata cupreſſus,
Nunc arbor, puer antè q Deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis, & nervis temperat arcum.
Námque ſacer Nymphis r Carthæa tenentibus arva
ſ Ingens cervus erat, latéque t patentibus altas
Ipſe ſuo capiti præbebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro, demiſſáque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla ſuper frontem parvis argentea loris

p Κωνοειδής. metæ modo in acutum ſurgens pyramidalis Virg. 3. Æneid. coniferi cypariſſi, hinc etymon. ἀπὸ τοῦ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρέμονας. q Apolline, qui citharâ & arcu æquè claret. r Carthæïa, eſt autem Carthæa una ex quatuor urbibus Ceæ inſ. è numero Cycladum, Cypariſſi patria. ſ Adumbratus hic cervus ad illum Sylviæ & Tyrrhidarum, Æneid. 7. ſed huic cultus elegantior. t Pa[illegible]lis, ſcil. cervus, Ariſt. l. 9. hiſt. ad animalium πατλαλίας.

Vincta

*Vincta movebatur;* [u] *parilique ætate nitebant*
*Auribus è geminis circum cava tempora baccæ:*
*Iſque metu vacuus, naturalique pavore*
*Depoſito, celebrare domos, mulcendáque colla*
*Quamlibet ignotis manibus præbere ſolebat.*
*Sed tamen ante alios Cææ pulcherrime gentis*
*Gratus erat* [x] *Cypariſſe tibi: tu pabula cervum*
*Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undas,*
*Tu modo texebas varios per cornua flores.*
*Nunc eques in tergo reſidens, huc lætus & illúc*
*Mollia purpureis frenabas ora capiſtris.*
*Æſtus erat, mediúſque dies ſoliſque vapore*
*Concava litorei fervebant brachia Cancri.*
*Feſſus in herboſa poſuit ſua corpora terrâ*
*Cervus, & arborea frigus ducebat ab umbrâ,*
*Hunc puer imprudens jaculo Cypariſſus acuto*
*Fixit: &, ut ſævo morientem vulnere vidit,*
*Velle mori ſtatuit; Quæ non ſolatia Phœbus*
*Dixit? &, ut leviter, pro materiáque doleret,*
*Admonuit: gemit ille tamen, munúſque ſupremum*
*Hoc petit à ſuperis, ut tempore lugeat omni.*
*Iámque per immenſos egeſto ſanguine fletus,*
*In viridem verti cœperunt membra colorem:*
*Et modo qui nivea pendebant fronte capilli,*
*Horrida cæſaries fieri, ſumptóque rigore*
*Sydereum gracili ſpectare cacumine cœlum.*
*Ingemuit: triſtiſque deus, Lugebere nobis,*
[y] *Lugebiſque alios, aderiſque dolentibus, inquit.*

u Pares, proinde & ipſi uniones. Sed Mss. noſtri habent *parilique nitore nitebant*, minus eleganter. x Sylvani hunc fuiſſe amaſium tradit Servius ad verſ. 20. 1. Georg. Virg. cervam manſuetam à Sylvano inſcio interemptam, hinc puerum dolore extinctum à Sylvano in arborem verſum. Pierius l. 52. Hieroglyph. Aſclepiadem citat authorem, nomen huic arbori inditum à Cypariſsâ filiâ Boreæ regis Celtarum. Didymus Cypariſſos Eteoclis filias fuiſſe dicit, quæ choreas ducentes in puteum devolutæ, à Tellure vicem earum miſeratam in arbores verſæ ſunt. y Cupreſſum his ſimulare ut alibi non rarò, nec ubi vacet unda marginis area, obvenit. Cupreſſum rogis adhiberi ſcribit Varro propter gravem uſtrinæ nidorem, amovendi ſcilicet tetri cadaveris gratiâ. Plin. lib. 16. cap. 33. eſt Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad domos poſita. Hoc, ne quis neſcius ingreſſu pollueretur: illud, quia excìſa non repullulat recidiva.

Iupiter



## Iupiter in aquilam, & raptus Ganymedis, FAB. 4.

*TAle nemus vates attraxerat: inque ferarum*
*Concilio medius, turba volucrúmque ſedebat.*
*Ut ſatis impulſas tentavit pollice chordas,*
*Et ſenſit varios, quamvis diverſa ſonarant,*
*Concordare modos, hoc vocem carmine movit;*
*A Iove Muſa parens (Cedunt Iovis omnia regno)*
*Carmina noſtra move; Iovis eſt mihi ſæpe poteſtas*
*Dicta. Priùs cecini plectro graviore* [z] *Gigantes,*
*Sparſáque* [a] *Phlegræis victricia fulmina campis:*
*Nunc opus eſt leviore lyra;* [b] *pueróſque canamus*
*Dilectos ſuperis, inconceſſiſque puellas*
*Ignibus attonitas meruiſſe libidine pœnam.*
*Rex ſuperûm* [c] *Phrygii quondam* [c] *Ganymedis amore*
*Arſit: & inventum eſt aliquid quod Iuppiter eſſe,*
*Quám quod erat, mallet, nulla tamen alite verti*
*Dignatur, niſi quæ portat ſua fulmina terræ.*
*Nec mora: percuſſo mendacibus aëre pennis*
*Arripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miſcet,*
[d] *Invitaque Iovi nectar Iunone miniſtrat.*

z Lib. 1. verſ. 151. & 184. a Hos alii in eâ parte Macedoniæ quæ poſtea Pallena dicta eſt. Stephan. Alii in Theſſalia, in Campaniâ alii ſtatuunt, ubi Forum Vulcani.

b Hæc & quæ ſequuntur canit Orpheus in gratiam puerorum Diis amatorum, & odium mulierum. verſ. 80. ſupra. c Ganymedes Trois Phrygiæ regis filius à Iove in aquilam verſo raptus fingitur. ἐγὼ Γανυμήδην οὐ σώματος, ἀλλὰ ψυχῆς ἕνεκα ὑπὸ Διὸς ἤ φημι Ὄλυμπον ἀνενεχθῆναι, &c. Xenophon. in Sympoſio. videatur Sabinus, & Cl. Minos in Alciati embl. 4. d Ægrè ferente rapti Ganymedis honores, remota à pocillandi miniſterio filia ſua Hebe.

## Hyacinthus in florem. FAB. 5.

*TE quoque* [e] *Amyclide poſuiſſet in æthere Phœbus,*
*Triſtia ſi ſpatium ponendi fata dediſſent:*
*Quà licet, æternus tamen eſt, quotiéſque repellit*
*Ver Hyemem, Piſcique Aries ſuccedit aquoſo:*
*Tu toties oreris, viridique in ceſpite flores.*

e Fili Amyclæ, qui urbem Amyclas condidit.

Te

[f] Apollo amore Hyacinthi captus deſerto oraculo Delphico, juxta Parnaſſum, quem τὸν τῆς γῆς ὀμφαλὸν appellat Strabo l. 9. ad quem locum vide quos citat If. Cauſabonus. & fab. quam ex Pindaro citat, de duabus columbis à Iove emiſſis ex Oriente & Occidente, quæ hic convenerint.
[g] Lacedæmonii mœnibus urbem cingere diu noluerunt, ut qui tuendæ urbi virtutem juvenum ſufficere arbitrarentur.

Te meus ante omnes genitor dilexit;& [f] orbe
In medio poſiti caruerunt præſide Delphi,
Dum deus Eurotan, [g] immunitámque frequentat
Sparten;nec citharæ, nec ſunt in honore ſagittæ:
Immemor ipſe ſui non retia ferre recuſat,
Non tenuiſſe canes, non per juga montis iniqui
Ire comes, longáque alit aſſuetudine flammas.
Iámque ferè medius Titan venientis,& actæ
Noctis erat,ſpatióque pari diſtabat utrinque:
Corpora veſte levant,& [h] ſucco pinguis olivæ
Splendeſcunt, latique ineunt certamina [i] diſci.
Quem priùs aërias libratum Phœbus in auras
Miſit,& oppoſitas disjecit pondere nubes.
Decidit in ſolidam longo poſt tempore terram
Pondus,& exhibuit junctam cum viribus artem.
Protinus imprudens,actúſque cupidine luſus
Tollere [k] Tænarides orbem properabat:at illum
[l] Dura repercuſſo ſubjecit in aëre tellus
In vultus, Hyacinthe, tuos; expalluit æquè,
Quàm puer, ipſe Deus,collapſóſque excipit artus,
Et modo te refovet, modo triſtia vulnera ſiccat,
Nunc animam admotis fugientem ſuſtinet herbis.
Nil proſunt artes:erat immedicabile vulnus.
[m] Ut ſi quis violas,riguóque papavera in horto,
Liliaque infringat fulvis hærentia virgis,
Marcida demittant ſubitò caput illa gravatum,
Nec ſe ſuſtineant,ſpecténtque cacumine terram:
Sic vultus moriens jacet,& defecta vigore
Ipſa ſibi eſt oneri cervix,humeróque recumbit.

[h] Oleo ſe ungere non luctaturi modò, ut ad 35. v. l. 9. dictum, ſed & luſuri ſolebant. [i] Orbis ex ferro, ære, lapide aut etiam ligno, qui medius loro vice amenti trajectus, in ſublime jaciebatur, ut infra præſcriptos fines decideret. Mercurial. Gymnaſt. lib. 2. c. 12. [k] Lacon. Tænarus enim Laconiæ promontorium. [l] Zephyrum Apollinis rivalem & ſibi in amore prælati, vehementiùs flantem divertiſſe diſcum in pueri caput, ſcribunt Palæphatus lib. 2. & Tzetzes 1. Chil. 11. & Lucianus in Dialogo Apollinis & Mercurii. [m] *Purpureus veluti cùm flos ſucciſus aratro Langueſcit moriens, laſſove papavera collo Demiſere caput*, &c. Virgil. de Euryalo Æn. 435. verſ.

Laberis



[n] Lacon. Oebalia urbs eſt Laconiæ. Micyllus per Prolepſin dictum vult ab Oebalo Hyacinthi nepote ex Cynortâ fratre.
[o] Apollo ipſe apud Lucianum dict. dial. ἐρώμενον πενθῶ τὸν Λάκωνα τὸ Οἰβάλου.
[o] Mox, verſu 215.
[p] Ajax Telamonius, è cujus ſanguine natus flos.

Laberis [n] Oebalide prima fraudate juventâ,
Phœbus ait, videóque tuum mea crimina vulnus.
Tu dolor es,facinúſque meum:mea dextera letho
Inſcribenda tuo eſt;ego ſum tibi funeris autor.
Quæ mea culpa tamen? niſi ſi luſiſſe vocari
Culpa poteſt;niſi culpa poteſt & amâſſe vocari.
Atque utinam pro te vitam,tecúmque liceret
Reddere! quod quoniam fatali lege tenemur,
Semper eris mecum,memoríque hærebis in ore.
Te lyra pulſa manu, te carmina noſtra ſonabunt:
Flóſque novus,[o] ſcripto gemitus imitabere noſtros.
Tempus & illud erit, quo ſe, [p] fortiſſimus heros
Addat in hunc florem, folióque legatur eodem.
Talia dum vero memorantur Apollinis ore:
Ecce! cruor, qui fuſus humi ſignaverat herbas,
Deſinit eſſe cruor. Tyrióque nitentior oſtro
Flos oritur,formámque capit,quam lilia;ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.
Non ſatis hoc Phœbo eſt(is enim fuit autor honoris)
Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit. & [q] ai ai
Flos habet inſcriptum:funeſtáque littera ducta eſt.
Nec gemuiſſe pudet Sparten Hyacinthon:honorque
Durat in hoc ævi,celebrandáque more priorum
Annua prælata redeunt [r] Hyacinthia pompâ.

[q] *Qui prius Oibalio fuerat de vulnere natus. Litera communis mediis pueroque viroque Inſcripta eſt foliis: hæc nominis, illa querelæ.* 13. lib. verſ. 396. unde liquet ſcribendum non hya, ut in vulgatis, ſed *ai ai*. Ita apud Sophoclem Ajax: Αἴ, αἴ· τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς, adſtipulante Plinio lib. 21. cap 11. Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens ejus quem Apollo dilexerat; aut ex Ajacis cruore editi, ita diſcordantibus venis, ut Græcarum literarum figura A I legatur inſcripta. Lege quæ Rigaltius in Tertullianum de coronis, & quæ Ge. Sabinus referat de ejuſmodi flore ad Laz. Bonamicum Alexandria allato. quin & Planudes vertit. καὶ οὗ αἴ τὸ ἄνθος ἔχει δὴ γεγραμμένον. [r] Horum feſtorum meminit Pauſanias bis in Laconicis. ἐν Ὑακινθίοις, περὶ τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος θυσίας ἐς τοῦτον. Ὑακίνθῳ τὸν βωμὸν διὰ θύρας χαλκῆς ἐναγίζουσι. & in Meſſenicis.

Cypri

## Cypri incolæ in boves. FAB. 6.

*AT ſi fortè roges fœcundam [s] Amathunta metallis,*
*An [t] genuiſſe velit [u] Propœtidas? annuat, æquè*
*Atque illos, gemino quondam quibus aſpera cornu*
*Frons erat, unde etiam nomen traxêre [x] Ceraſtæ,*
*Ante fores horum ſtabat Iovis [y] hoſpitis ara,*
*Lugubris ſceleris: quam ſi quis ſanguine tinctam*
*Advena vidiſſet, mactatos crederet illic*
*Lactentes vitulos, Amathuſiacáſque bidentes.*
*Hoſpes erat cæſus. ſacris offenſa nefandis,*
*Ipſa ſuas urbes, [z] Ophiuſiáque arva parabat*
*Deſerere alma Venus. Sed quid loca grata, quid urbes*
*Peccavére meæ? quod, dixit, crimen in illis?*
*Exilio pœnam potiùs gens impia pendat,*
*Vel nece; vel ſi quid medium eſt mortiſque fugæque.*
*Idque quid eſſe poteſt, niſi verſæ pœna figuræ?*
*Dum dubitat, quo mutet eos: ad cornua vultum*
*Flexit, & admonita eſt hæc illis poſſe relinqui,*
*Grandiáque in torvos transformat membra juvencos.*

ſ Cypri urbem, ut & ipſam inſulam æriſodinis claram. t Ratione ſimili & relatione ferri poteſt lectio genuiſſe, verſ. 217. modò ſed genuiſſe videtur potiùs innuere annuas ceremonias funebres & inferias Hyacinthiorum. u Quæ Venerem Deam eſſe negare auſæ, numinis irâ, poſtquam corpora ſua vulgo proſtituiſſent, in lapides verſæ ſunt. x Cyprus ipſa Ceraſtis, olim dicta. quòd multa κέρατα, inquit Stephanus, hoc eſt ἄκρα. id eſt, promontoria habeat. unde forte occaſio fabulæ. y Hoſpitalis, ξενίȣ, ſed uti, maris εὐξένȣ. namque hîc humanæ immolabautur victimæ. z Cypria. cujus tamen nominis Cypro competentis neque mencio ulla apud Geographos, neque ratio apud interpretes.

## Propœtides in ſilicem. FAB. 7.

*SUnt tamen obſcœnæ [a] Venerem Propœtides auſæ*
*Eſſe negare deam: [b] pro qua ſua numinis irâ*
*Corpora cum forma primæ vulgâſſe feruntur.*
*Utque pudor ceſſit, ſanguiſque induruit oris,*
*In rigidum parvo ſilicem diſcrimine verſæ.*

a Reſpice, quæ ad v. 223. ſupra. b Ab eo orta videtur hæc fab. quod de Cypriis virginibus refertur à Iuſtino lib. 18. quæ ſe ad litus proſtituentes corporis quæſtu dotem quærunt.





## Pygmalionis ſtatuæ in eburneam. FAB. 8.

*QUas quia Pygmalion [c] ævum per crimina agentes*
*Viderat: offenſus vitiis, quæ plurima menti*
*Fœmineæ natura dedit, ſine conjuge cœlebs*
*Vivebat, thalamique diu conſorte carebat.*
*Interea niveum mira feliciter arte*
*Sculpſit ebur, formámque dedit, qua fœmina naſci*
*Nulla poteſt, operíſque ſui concepit amorem.*
*Virginis eſt veræ facies, quam vivere credas,*
*[d] Et, ſi non obſtet reverentia, velle moveri;*
*Ars adeò latet. arte ſua miratur, & [e] haurit*
*Pectore Pygmalion ſimulati corporis ignes.*
*Sæpe manus operi tentantes admovet, an ſit*
*Corpus, an illud ebur: nec adhuc ebur eſſe fatetur.*
*Oſcula dat, reddique putat loquitúrque, tenétque*
*Et credit tactis digitos inſidere membris,*
*Et metuit preſſos veniat ne livor in artus,*
*Et modò blanditias adhibet, modò grata puellis*
*Munera fert illi conchas, teretéſque lapillos,*
*Et parvas volucres, & flores mille colorum,*
*Liliaque pictaſque pilas, & ab arbore lapſas*
*[f] Heliadum lacrymas: ornat quoque veſtibus artus.*
*Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo;*
*Aure leves [g] baccæ, redimicula pectore pendent,*
*Cuncta decent, nec nuda minùs formoſa videtur.*
*Collocat hanc ſtratis [h] concha Sidonide tinctis,*
*Appellatque tori ſociam: acclinataque colla*
*Mollibus in plumis, tanquam ſenſura, reponit.*
*Feſta dies Veneris toto celeberrima Cypro*

c Quæſtum diutinum corpore facientes. d Et moveri velle, niſi vetaret hoc virginibus, à naturâ inſitus pudor, & à probâ educatione acquiſita verecundia & ſilentium ἅ τε παρθένοις κόσμον φέρει. e Philoſtephanus in Cypriacis author eſt, inquit Arnobius l. 9. Pygmaleonem regem Cypri ſimulachrum Veneris, quod ſãctitatis apud Cyprios & religionis habebatur antiquæ, adamaſſe ut fœminam; mente, animo, lumine rationis judiciique cæcatis; ſolitumque dementem, tanquam ſi uxoria res eſſet, ſublevato in lectulum numine copularier amplexibus atque ore; reſque alias agere libidinis vacuâ imaginatione fruſtrabiles. Sed legatur & hiſtoria nobilis cujuſdam juvenis, qui ſimulachrum Veneris Cnidiæ impotens amabat apud Lucianum in Amoribus. f Armillas & lineas ex electro ſeu ſuccino ſtillante à populis in quas Phaëthontis ſorores verſæ finguntur. 2. lib. verſ. 364. g Uniones, margaritæ. h Purpurâ Sidoniâ ſeu Tyriâ.

*Venerat: & [i] blandis inductæ cornibus aurum*
*Conciderant ictæ nivea cervice juvencæ,*
*Thuraque fumabant, cùm munere functus ad aras*
*Conſtitit, & timidè, Si dii dare cuncta poteſtis,*
*Sit conjux opto, non auſus eburnea virgo*
*Dicere Pygmalion, ſimilis mea, dixit, eburnæ.*
*Senſit, ut ipſa ſuis aderat [k] Venus aurea feſtis,*
*Vota quid illa velint: &, amici numinis omen,*
[l] *Flamma ter accenſa eſt, apicémque per aëra duxit.*
*Ut rediit, ſimulacra ſuæ petit ille puellæ,*
*Incumbénſque toro dedit oſcula: viſa tepere eſt.*
*Admovet os iterum, manibus quoque pectora tentat.*
[m] *Tentatum molleſcit ebur, poſitóque rigore*
*Subſedit, digitis, ceditque, Ut Hymettia ſole*
*Cera remolleſcit. tractatáque pollice multas*
*Vertitur in facies, ipſóque fit utilis uſu.*
*Dum ſtupet, & dubiè gaudet fallíque vere*
*Rurſus amans, rurſúſque manu ſua vota retractat:*
*Corpus erat, ſaliunt tentatæ pollice venæ.*
*Tum verò [n] Paphius pleniſſima concipit heros*
*Verba, quibus Veneri grates agit, oráque tandem*
*Ore ſuo non falſa premit: dataque oſcula virgo*
*Senſit, & erubuit, timidúmque ad lumina lumen*
*Attollens, pariter cum cœlo vidit amantem.*
*Conjugio; quod fecit, adeſt dea: jámque coactis*
*Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,*
*Illa Paphum genuit, [o] de quo tenet inſula nomen.*

i Politis, vittatis, inauratis. k Homero paſſim χρυσῆ Ἀφροδίτη. l Felicis ubique omnis erat. hic ubi in ſacris & libaminibus crebriùs & altiùs emicarent ignis ſcintillæ & flammæ, 4. Georgic. verſ. 385. *Ter flamma ad tecti ſummum ſubjecta reluxit Omine quo firmans animũ, &c.* m Non una & ſola fuit hæc virgo eburnea aut marmorea. plurimas credo duras primùm & difficiles amatoribus, obſequio tamen & aſſiduis precibus emollitas. n Pygmalion Cyprius. Sed περιληπτικῶς. namque--o--A Papho Pygmalionis filio Cyprus dicta eſt Paphos.

## Myrrha in arborem. FAB. 10.

*EDitus [p] hoc ille eſt: qui, ſi ſine prole fuiſſet,*
*Inter [q] felices Cinyras potuiſſet haberi.*

p Papho Pygmalionis filio. ſanius quàm quod habet vulgati libri & Mſs. aliquot, *Editus hac ille eſt.* Papho ſcil. inſulâ. æquè ſana & lectio Micylli, *Editus ex illo eſt.* vel. *Editus hinc ille eſt.* q Erat enim rex Cypri, divitiis à Deo datis pollens, ut canit Pindarus in Nemeis ode 8. Σὺν θεῷ γάρ τοι φυτευθεὶς ὄλβος ἀνθρώποισι παρμονώτερος, ὅσπερ καὶ Κινύραν ἔβρισε πλούτῳ ποντίᾳ ἔν ποτε Κύπρῳ. Lycophronis interpreti, & Ant. Liberali Smyrna eſt filia Theiantis 34. fab.





*Dira canã. [r] Procul hinc natæ, procul eſte parentes;*
*Aut, mea ſi veſtras mulcebunt carmina mentes,*
*Deſit in hac mihi parte fides: nec credite factum;*
*Vel, ſi credetis, facti quoque credite pœnam;*
*Si tamen admiſſum ſinit hoc natura videri,*
[s] *Gentibus Iſmariis, & noſtro gratulor orbi,*
*Gratulor huic terræ, quòd abeſt regionibus illis*
*Quæ tantum genuêre nefas. [t] Sit dives amomo,*
*Cinnamáque, coſtúmque ſuam, ſudatáque ligno*
*Thura ferat, floréſque alios [u] Panchaïca tellus;*
*Dum ferat & Myrrham: [x] Tanti nova non fuit arbor.*
*Ipſe negat nocuiſſe tibi ſua tela Cupido*
*Myrrha, facéſque ſuas à crimine vindicat iſto:*
*Stipite te Stygio, tumidíſque afflavit Echidnis*
*E tribus una ſoror. Scelus eſt odiſſe parentem;*
*Hic amor eſt odio majus ſcelus: undique lecti*
*Te cupiunt proceres, totóque Oriente juventus*
[y] *Ad thalami certamen adeſt. Ex omnibus unum*
*Elige Myrrha virum, dum non ſit in omnibus [z] unus.*
*Illa quidem ſentit, fœdóque repugnat amori:*
*Et ſecum: Quò mente feror? quid molior? inquit.*
*Dii precor, & pietas, ſacrataque jura parentum,*
*Hoc prohibete nefas, ſcelerique reſiſtite noſtro;*
*Si tamen hoc ſcelus eſt: [a] ſed enim damnare negatur,*
*Hanc Venerem pietas; coëuntque animalia nullo*
*Cætera delicto, nec habetur turpe juvencæ*
*Ferre patrem tergo, ſit equo ſua filia conjux,*
*Quáſque creavit init pecudes caper, ipſáque cujus*
*Semine concepta eſt ex illo concipit ales.*
*Felices quibus iſta licent, humana malignas*

r *Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris.* ſ Thraciæ noſtræ gelidæ, quæ non calet amore inceſto. t Simili Epitrope utitur Virgilius in conferendâ cum aliis terris Italiâ. Georg. 2. verſ 140. & verſ. 461 ubi cæteris vitæ rationibus ruſticam præfert. u Panchaia Arabiæ Felicis pars feliciſſima, utpote flagrantiſſimo Solis ſiderâ ſubjecta. *Totáque thuriferis Panchaia pinguis arenis.* al. *ariſtis.* 2. Georgic. 139 verſ.

x Ut inceſto quis amore polluatur. Neque enim hic amor à face cupidineâ: ſed à Tartareâ face quam intentavit Furiarum una viperis crinita. y Certatim nuptias Myrrhæ ambiunt. z Pater tuus. a Vacillat primùm dubia, labaſcit mox impotens, hinc naturalem brutorum Venerem probat, gentium ſed barbararum morem defendit. Ad ſaniorem ſubinde mentem reverſa ſeſe increpat, nefandam libidinem damnat. ſenſui tandem maleſano ſuccumbit victa ratio. ejuſmodi luctam videre eſt in Medeâ lib. 7. in Scyllâ lib. 8. in Byblide lib. 9.

Cura dedit leges, & quod natura remittit,
Invida jura negant. Gentes tamen eſſe feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur & pietas geminato creſcit amore.
Me miſeram, quòd non naſci mihi contigit illìc!
Fortunáque loci lædor! Quid in iſta revolvor?
Spes interdictæ diſcedite: [b] dignus amori
Ille, ſed ut pater, eſt. Ergò ſi filia magni
Non eſſem Cinyræ, Cinyræ concumbere poſſem;
Nunc quia jam [c] meus eſt, non eſt [d] meus; ipſaque damno
Eſt mihi [e] proximitas: aliena, potentior eſſem.
Ire libet procul hinc, patriæq; relinquere fines,
Dum ſcelus effugiam. Retinet malus ardor amantem,
Ut præſens [f] ſpectem Cinyram, [f] tangamque, loquarq;
Oſculaque admoveam, ſi nil conceditur ultrá.
Ultrà autem ſperare aliquid potes, impia virgo?
[g] Nec quòd confundas & jura, & nomina ſentis?
[h] Túne eris & matris pellex, & adultera patris?
Túne ſoror nati? genitrixque vocabere fratris?
Nec metues ſacro [i] crinitas angue ſorores,
Quas facibus ſævis oculos atque ora petentes
Noxia corda vident? At tu, dum corpore non es
Paſſa nefas, animo nè concipe: néve parentis
Concubitu vetito naturæ pollue fœdus.
Velle puta, res ipſa vetat; pius ille, memórque
Moris: & O vellem ſimilis furor eſſet in illo!
Dixerat. At Cinyras, quem copia digna procorum,
Quid faciat, dubitare facit, ſcitatur ab ipſâ

b Myrrha patrem, ſed non ut filia debet, amavit. 1. l. de Arte.
c Pater.
d Conjux.
e Sanguinis & generis propinquitas.
f De quinque amandi lineis vide quæ adnotata ad v. 560. lib. 9.
g Itane? naturæ, gentiumq; jura, ſanguinis generiſque nomina tragicos ſupergreſſa inceſtus, promiſcuè confundis? neque interim ejuſmodi ſcelerum ultrices Furias perhorreſcis? h Ænigma ſimile poſuit de ſe Oedipus in Thebaide Senecæ. v. 134. *Avi gener, patriſque rivalis ſui, Frater ſuorum liberûm, & fratrum parens; Uno avia partu liberos peperit viro, Ac ſibi nepotes.* i Furias ὀφιοπλοκάμους. lib. 4. verſ. 452. & 480. ποινίμους Ἐριννύας, ſcelerum ultrices. Nolite, inquit Cicero pro Roſcio Amerino, putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videtis, eos, qui aliquid impiè ſcelerateque commiſerint, agitari & perterreri furiarum tedis ardentibus. ſua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiâque afficit, &c.

k Nomi-



[k] Nominibus dictis, cujus velit eſſe mariti.
Illa ſilet primò: patriſque in vultibus hærens
Æſtuat, & tepido ſuffundit lumina [l] rore.
Virginei Cinyras hæc credens eſſe timoris,
Flere vetat, ſiccátque genas, atque oſcula jungit.
Myrrha datis nimium gaudet, conſultáque qualem
Optet habere virum, Similem tibi, dixit. At ille
Non intellectam vocem collaudat. &, Eſto
Tam pia ſemper, ait. Pietatis nomine dicto,
Dimiſit vultum, ſceleris ſibi conſcia virgo.
Noctis erat medium, curáſque & corpora ſomnus
Solverat: at virgo Cinyreïa pervigil igne
Carpitur indomito, furioſáque vota retractat,
Et modò deſperat, modò vult tentare; pudétque.
Et cupit; &, quid agat, non invenit. [m] Utque ſecuri
Saucia trabs ingens, ubi plaga noviſſima reſtat,
Quò cadat in dubio eſt, omnique à parte timetur:
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc levis, atque illúc, momentáque ſumit utróque.
Nec modus, & requies, niſi mors, reperitur amoris:
[n] Mors placet. Erigitur, laqueôque innectere fauces
Deſtinat, &, Zona ſummo de poſte revinctâ,
[o] Chare vale Cinyra, cauſámque intellige mortis,
Dixit; & aptabat pallenti vincula collo.
Murmura verborum fidas [p] nutricis ad aures
Perveniſſe ferunt, limen ſervantis alumnæ.
Surgit anus, reſeratque fores; mortíſque paratæ
[q] Inſtrumenta videns, ſpatio conclamat eodem,
Séque ferit, ſcinditque ſinus, ereptáque collo
Vincula dilaniat: tum denique flere vacavit,
Tum dare complexus, laqueique requirere cauſam.

k Procorum ταύτην διὰ κάλλος πλεῖστοι ἐκ πόλεων πλείστων ἐμνήστευον. Liberalis 34. fab.
l Lacrymarum.
m *Ac veluti ſummis antiquam montibus ornum. Cùm ferro acciſum crebriſque bipennibus inſtant, Eruere agricolæ certatim: illa uſque minatur, Et tremefacta comam concuſſo vertice nutat,* &c. Æn. 2.
n Remedium amoris ultimum, ut habet epigramma incerti autoris lib. 1. Antho c. 27
Ἔρωτα παύει λιμός· εἰ δὲ μή, χρόνος. Ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ, Θεραπεία σοι τὸ λοιπὸν ἠρτήσθω βρόχος. Suidas Crateti tribuit, ut & Laertius. o Amatoriè, & tanquam aliena à patris nomine abſtinet, ut quod amori obſtaret. p Nutricem hanc Liberalis 34. fab. appellat Hippolyten. q Zonam laquei vice de poſte revinctam.

 Muta

*Muta ſilet virgo, terramque immota tuetur,*
*Et deprenſa dolet tardæ conamina mortis.*
*Inſtat anus,*[r] *canoſque ſuos, & inania nudans*
*Ubera, per cunas, alimentaque prima precatur,*
*Ut ſibi committat quicquid dolet: illa rogantem*
*Averſata, gemit. Certa eſt exquirere nutrix:*
*Nec ſolam ſpondere fidem. Dic, inquit, opemque*
*Me ſine ferre tibi: Non eſt mea* [s] *pigra ſenectus.*
*Seu furor eſt; habeo quod* [t] *carmine ſanet, & herbis:*
*Sive aliquis nocuit; magico luſtrabere ritu:*
*Ira deûm ſive eſt; ſacris placabimus iram.*
*Quid rear ulteriùs? Certè fortuna, domuſq;*
*Soſpes ab incurſu eſt: vivunt genitrixque, paterque.*
*Myrrha patre audito, ſuſpiria duxit ab imo*
*Pectore: nec nutrix etiamnum concipit ullum*
*Mente nefas, aliquemq; tamen præſentit amorem.*
*Propoſitique tenax, quodcunque eſt orat ut ipſi*
*Indicet, & gremio lacrymantem tollit anili.*
*Atque ità complectens infirmis membra lacertis,*
[u] *Senſimus, inquit, Amas: Et in hoc mea (pone timorem)*
*Sedulitas erit apta tibi, nec ſentiet unquam*
*Hoc pater. Exiliit gremio furibunda, torumq;*
*Ore premens, Diſcede, precor, miſeroq; pudori*
*Parce, ait: inſtanti, Diſcede, aut deſine, dixit,*
*Quærere quid doleam. Scelus eſt, quod ſcire laboras.*
*Horret anus, tremulaſq; manus annisq; metuque*
*Tendit, & ante pedes ſupplex procumbit alumnæ:*
*Et modò blanditur, modò, ſi non conſcia fiat,*
*Terret, & indicium laquei, cœptæque minatur*
*Mortis, & officium* [x] *commiſſo ſpondet amori.*
*Extulit illa caput, lacrymiſque implevit obortis*
*Pectora nutricis, conataq; ſæpe fateri,*

r Hinc Phædræ nutrix illa in Hippolyto Senecæ; *Per has Senectæ ſplendidas ſupplex comas, Feſſumque curis pectus, & cara ubera Precor, furorem ſiſte, teque ipſam adjuva.* Pars ſanitatis, velle ſanari fuit. verſ. 245.

ſ Imò malè ſedula abundè. ut infra v. 438 verùm de improbitate hujuſmodi vetularum quæ plerumque ſe ſcelerum & flagitiorum præſtant miniſtras atque inſtrumenta; vide quæ ad hunc locum Georgius Sabinus.

t Quid valeat. Magia in amoribus ſolvendis aut impediendis dixi ad 4. lib. Æneid. Virg. *Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes, Quas velit*, &c. vide etiam 7. l. ſupra. verſ. 200. & 225. u Qua ſolertiâ Leptinus Mathematicus, vel ut alii tradunt, Eraſiſtratus medicus amorem indagârit Antiochi filii Seleuci regis, qui novercam deperiit, lege apud Plutarchum in Demetrio, Appianum in Syriacis. Val. Maximum lib. 5. cap. 7. x Fidei ſuæ credito.





*Sæpe tenet vocem, pudibundaque veſtibus ora*
*Texit, &,* [y] *O, dixit, felicem conjuge matrem!*
*Hactenus, & gemuit. Gelidos nutricis in artus,*
*Oſſaq;* [z] *(ſenſit enim) penetrat tremor, albaq; toto*
*Vertice canicies rigidis ſtetit hirta capillis,*
*Multaque, ut excuteret diros, ſi poſſet, amores,*
*Addidit: at virgo ſcit ſe non falſa moneri;*
*Certa mori tamen eſt ſi non potiatur amore.*
*Vive, ait hæc, potière tuo: non auſa parente*
*Dicere, conticuit; promiſſaq;* [a] *numine firmat.*
[b] *Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres*
*Illa, quibus niveâ velatæ corpora veſte*
*Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum,*
*Perque novem noctes Venerem, tactuſq; viriles*
*In vetitis numerant. turba* [c] *Cinyreïs in illâ*
*Regis adeſt conjux, arcanaq; ſacra frequentat.*
*Ergò legitima vacuus dum conjuge lectus,*
*Nacta gravem vino Cinyram malè ſedula nutrix,*
*Nomine mentito veros exponit amores,*
*Et faciem laudat: quæſitis virginis annis,*
*Par, ait, eſt Myrrhæ. Quam poſtquam adducere juſſa eſt*
*Utque domum rediit, Gaude mea, dixit, alumna,*
*Vicimus, infelix non toto pectore ſenſit*
*Lætitiam virgo, præſagaq; pectora mœrent,*
*Sed tamen & gaudet: Tanta eſt diſcordia mentis.*
[d]*Tempus erat, quo cuncta ſilent, interque Triones*

y Ἐστὶ Ἔμφασις, inquit Plutarchus lib. de Homero, ἥπερ δὲ ὑπονοίας ἐπίτασιν τοῦ λεγομένου παρίστησιν, Eſt Emphaſis, ut Quintilianus l. 9. Inſt. c. 2. cùm ex aliquo dicto latens aliquid eruitur. ut apud Virgilium: *Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam Degere more feræ?* Quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit ejus affectus, ut ſine thalamis vitam non hominum putet, ſed ferarum. Aliud apud Ovidium genus. apud quem & Myrrha nutrici amorem patris ſic confitetur, *O, dixit, felicem conjuge matrem!* z Agnovit enim in quo laboraret peſtis hæc amoris. a Numen jurata ac teſtata. b Menſe Boëdromione celebrabantur Eleuſinia, quæ & Theſmophoria, ſed Romanis recepta Cerealia dicta. has celebraturæ novem noctibus à Venereis abſtinuere & vino. albis deinde veſtibus indutæ & vittatæ procedebant. Myſtæ lampades ſeu faces manu ferebant, mediâ ſcil. nocte. matronæ aliæ primitias frugum offerebant. virgines præcedebant canæphoræ ciſtas in capite ferentes. vide quæ ad 343. verſ. l. 5. c Cinyræ uxor, quam Lactantius grammaticus Cenchreïda vocat. d Conticinii notatio. Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις, Στρέφεται ὅτ' ἄρκτος ἤδη Κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου. Anacreon.

*Flexerat obliquo plauſtrum temone Bootes.*
*Ad facinus venit illa ſuum, [e] fugit aurea cœlo*
*Luna, tegunt nigræ latitantia ſydera nubes,*
*Nox caret igne ſuo: primus tegis Icare vultus,*
*Erigoneque pio ſacrata parentis amore.*
[f] *Ter pedis offenſi ſigno eſt revocata: ter omen*
*Funereus bubo lethali carmine fecit.*
*It tamen, & [g] Tenebræ minuunt, nóxq; atra pudorem:*
*Nutricíſque manum lævâ tenet; altera motu*
*Cæcum iter explorat; Thalami jam limina tangit,*
*Iámque fores aperit, jam ducitur intus: at illi*
*Poplite [h] ſucciduo genua intremuêre, fugitque*
*Et color, & ſanguis, animúſque reliquit euntem.*
*Quóq; ſuo propior ſceleri eſt, magis horret, & auſi*
*Pœnitet: & vellet non cognita poſſe reverti.*
*Cunctantem longæva manu deduxit, & alto*
*Admotam lecto cùm traderet, Accipe, dixit,*
*Iſta tua eſt Cinyra; devotáque [i] pectora junxit.*
*Accipit obſcœno genitor [k] ſua viſcera lecto,*
*Virgineóſque metus levat, hortatúrque timentem.*
*Forſitan ætatis quoque nomine, Filia, dixit;*
*Dixit & illa, Pater: ſceleri nè nomina deſint.*
[l] *Plena patris thalamis excedit, & impia diro*
*Semina fert utero, conceptáque crimina portat.*
*Poſtera nox facinus geminat: nec finis in illâ eſt.*
*Cúm tandem Cinyras avidus cognoſcere amantem*
*Poſt tot concubitus, illato lumine vidit*
*Et ſcelus, & natam, verbiſque dolore retentis,*
*Pendenti nitidum vagina deripit enſem.*
*Myrrha fugit, tenebriſque & cæcæ munere noctis*
*Intercepta neci eſt, latóſque vagata per agros,*
*Palmiferos Arabas, Panchæáque rura reliquit,*
*Perque novem erravit redeuntis cornua Lunæ.*

e Luna prius nitida & ſydera latuerunt ſubitò nubibus tecta tanti ſceleris conſpectū perhorreſcentia. præcipuè verò Erigone propter pietatem in patrem Icarium à ruſticis interemptum in conſtellationem Virginis relata. Hygin. fab. 130.

f Offendiſſe pedem in limine ſiniſtri ominis in egreſſu erat. ut & augurium Infauſtum bubonis carmen.

g *Nox & amor vinumquè nihil moderabile ſuadent: Illa pudore vacat, Liber, amorque metu.* Ov. 6 el. 1. l. Amorum. & Terent. in Adelphis: *Perſuaſit nox, amor, vinum.* *Quia* ut Plautus in Bacchide, *iſtoc illecebroſius fieri nihil poteſt: nox, mulier, vinum homini adoleſcentulo.* h Metu languido & ſuccumbenti. *Et corde & genibus tremit.* Horat. 22. od. 1. lib. i Mss. *corpora junxit.* k Filiam ſuam, ex ſe natam. l Gravida ex patre.

Cù



*Cùm tandem terra requievit feſſa Sabæâ,*
*Vixque uteri portabat onus, tum neſcia voti,*
*Atque inter mortiſque metus, & tædia vitæ,*
*Eſt tales complexa preces; [m] O ſiqua patetis*
*Numina confeſſis, merui; nec triſte recuſo*
*Supplicium: ſed, [n] nè violem vivóſque ſuperſtes,*
*Mortuáque extinctos, ambobus pellite regnis,*
*Mutatæque mihi vitámque necemque negate.*
*Numen confeſſis aliquod patet; ultima certè*
*Vota ſuos habuere deos: nam crura loquentis*
*Terra ſupervenit, [o] ruptóſque obliqua per ungues*
*Porrigitur radix, longi firmamina trunci,*
*Oſſaque robur agunt, mediáque manente medullâ*
*Sanguis it in ſuccos, in magnos brachia ramos,*
*In parvos digiti duratur cortice pellis.*
*Iámq; gravem creſcens uterum præcinxerat arbor*
*Pectoráque obruerat, collumque operire parabat.*
*Non tulit illa moram: venientique obvia ligno*
*Subſedit, merſítque ſuos in cortice vultus.*
*Quæ quanquam amiſit veteres cum corpore ſenſus,*
[o] *Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ:*
*Eſt honor & lacrymis, ſtillatáque cortice Myrrha*
*Nomen herile tenet, nullóque tacebitur ævo.*

m Ad illa Lycophronis; ὄψεται δ' τλήμονος Μύῤῥας ἐρυμνὸν ἄςυ, τῆς μυγοςόνους ὠδῖνας ἐξέλυσε δενδρώδης κλάδος. Iſ. Tzetzes hæc Μύῤῥα ἐρασθεῖσα τοῦ πατρὸς, &c. Myrrha patrem amans & ex illo gravida, patrem hoc ſerò ſcientem & iratum fugiens precabatur Deos, ut in aliam formam mutaretur, ita ut neque inter vivos eſſet neque mortuos. unde in arborem converſa eſt, Myrrham dictam. ubi verò jam adeſſet pariendi tempus, dirupto dehiſcentéque cortice peperit Adonin. n Αὕτη δ' ἀνασχοῦσα τὰς χεῖρας ηὔξατο μήτε παρὰ ζῶσι, μήτ' ἐν νεκροῖς φανῆναι. Ant. Liberalis. o Pater, inquit Fulgentius, evaginato eam perſequitur gladio. Illa in arborem myrrham converſa eſt. quam pater gladio percutiens Adon exinde natus eſt. Quid ſibi vult hæc fabula? Myrrha eſt ex genere arborum quæ Solis calore crepant. Iam quia Solis vi quaſi genitali prægnans parit, patrem amaſſe dicitur. illa itaque juſto partus tempore rhagades facit, per quas ſuccum deſudat, quæ myrrha dicitur: & redolentibus lacrymoſa guttulis fletus ſuaves ſciſſuris hiantibus emittit. lib. 3. Plinius l. 12. cap. 15. Inciduntur bis & ipſæ. Sudant autem ſponte priùs quàm incidantur, ſtacten dictam, cui nulla præfertur. Quid autem ſit στακτὴ ex Theophraſto & Dioſcoride docet, Io. Brodæus lib. 5. Miſcellan. cap. 7.

## Adonis à Venere amatus.

### FAB. 10.

*AT* [p] *malè conceptus ſub cortice creverat infans:*
*Quærebatq́; viam, qua ſe, genitrice relictâ,*
*Exereret: media gravidus tumet arbore venter,*
*Tendit* [q] *onus matrem,* [r] *neque habent ſua verba dolores,*
*Nec Lucina poteſt parientis voce vocari;*
*Nitenti tamen eſt ſimilis, curvataque crebros*
*Dat gemitus arbor: lacrymiſque cadentibus humet.*
*Conſtitit ad ramos mitis Lucina dolentes,*
*Admovitque manus, & verba* [ſ] *puerpera dixit.*
*Arbor agit rimas, &* [t] *ſciſſo cortice vivum*
*Reddit onus, vagitq́; puer: quem mollibus herbis*
*Naiades impoſitum* [u] *lacrymis unxêre parentis,*
*Laudaret faciem livor quoque: qualia namque*
*Corpora nudorum tabula pinguntur Amorum,*
*Talis erat. Sed nè faciat diſcrimina cultus,*
*Aut huic adde leves, aut illis deme pharetras.*
Labitur occultè, fallitque volatilis ætas,
Et nihil eſt annis velocius. *Ille ſorore*
*Natus* [x] *avoq́; ſuo, qui conditus arbore nuper,*
*Nuper erat genitus, modò formoſiſſimus infans,*
*Iam juvenis, jam vir, jam ſe formoſior ipſo eſt,*
*Iam placet & Veneri, matriſq́; ulciſcitur* [y] *ignes:*
*Namque pharetratus dum dat puer oſcula matri,*
*Inſcius extanti diſtrinxit arundine pectus.*
*Læſa manu natum dea reppulit: altiùs actum*
*Vulnus erat ſpecie, primoq́; fefellerat ipſam.*

p Ex inceſto Cinyræ & Myrrhæ concubitu. q Infans in utero. r Neque Myrrha jam arbor poteſt invocare Iunonem Lucinam. de quâ dictum ad 284. verſ. 9. lib. ſ Quę puerperii dolores levare & ſolvere poſſint. t Mſs. *ſiſſo.* & in elegiâ de Nuce: *At cum maturas fiſſo nova cortice rimas Nux agit.* u Myrrhæ guttis. *Illius lacrymis, quas arbore fundit odoratas, Vngitur, & dominæ nomina gutta tenet.* 1. de *Arte.* x Redi ad verſ. 347. y Apollodorus lib. 3. ſcribit Myrrham, ab iratâ Venere, quòd eam nihili faceret, in dirum patris amorem fuiſſe impulſam. Lactantius matri hoc Myrrhæ imputat.





*Capta viri forma, non jam* [z] *Cythereïa curat*
*Litora; non alto repetit Paphon æquore cinctam,*
*Piſcoſamq́;* [a] *Cnidon, gravidamq́; Amathunta* [b] *metallis,*
*Abſtinet & cælo:* Cœlo præfertur Adonis.
*Hunc tenet, huic comes eſt, aſſuetaq́; ſemper in umbra*
*Indulgere ſibi, formamq́; augere colendo.*
[c] *Per juga, per ſylvas, dumos, & ſaxa vagatur*
*Nuda genu, veſtem ritu ſuccincta Dianæ:*
*Hortaturq́; canes, tutæq́; animalia prædæ,*
*Aut* [d] *pronos lepores, aut* [e] *celſum in cornua cervum,*
*Aut agitat damas. At fortibus abſtinet apris,*
*Raptoreſque lupos, armatoſq́; unguibus urſos*
*Vitat, & armenti ſaturatos cæde leones.*
*Tu quoque, ut hos timeas, ſi quid prodeſſe monendo*
*Poſſet, Adoni, monet; fortiſq́; fugacibus eſto,*
*Inquit:* [f] in audaces non eſt audacia tuta.
*Parce meo, juvenis, temerarius eſſe periclo,*
*Neve feras, quibus arma dedit natura, laceſſe;*
*Stet tibi nè magno tua gloria: Non movet ætas,*
*Nec facies, nec quæ Venerem movêre, leones,*
*Setigeroſq́; ſues, oculoſq́;, animoſq́; ferarum.*
[g] *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri:*
*Impetus eſt fulvis, & vaſta leonibus ira,*
*Inviſumque mihi genus eſt. Quæ cauſa roganti*
*Dicam ait, & veteris monſtrum mirabile culpæ.*

z Inſula hæc maris Ægæi Stephano, aliiſque eſt χυθήρα. *Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos atque Cythera.* Æneid. 10. & in Idyllio Adonidis & apri, quod Theocrito aſcribitur, Ἄδωνιν ἡ χυθήρη ὡς εἶδε νεκρὸν, &c. producitur. penult. Heſiodus tamen habet Ἀφροδίτην τε θεὰν ἐϋστέφανον χυθέρειαν. quem ſecuti alii, *Parce metu Cytherea.* 1. Æneid. *Iam Cytherea choros ducit.* Hor. ſunt itaque hæc litora, ad quæ Venus Cytherea primùm è mari apparuit. a Promontorium Cariæ velut peninſula, in quâ urbs celebris Veneris imagine quam fecit Praxiteles, quam ut viderent, ab omni parte plurimi navigârunt Cnidon. Plin. 36 lib. 5. cap. b Æriſodinis. ſupra 220. verſ. c Venatrix facta Venus, comitatura Adonin. d Veloces, in fugam inclinatos, ut quibus anteriora crura ſint breviora. e Ὑψίκερον ἔλαφον. Nonnus 10. lib. *ſurgentem in cornua cervum.* Virg. l. decimo Æneid. καρήατα μετήορον ἀείροντα. Oppian. 2. lib. f *Licet eminus eſſe Fortibus: Ancæo nocuit temeraria virtus.* Theſeus Pirithoo lib. 8. verſ. 420. g Vide lib. 1. verſ. 305. & lib. 8. verſ. 289.

*Sed labor inſolitus jam me laſſavit, & (ecce!)*
*Opportuna ſua blanditur populus umbrâ,*
*Datque torum ceſpes; libet hac requieſcere tecum:*
*Et requievit humo, preſſitque & gramen, & ipſum,*
*Inque ſinu juvenis poſita cervice reclivis,*
*Sic ait; ac mediis interſerit oſcula verbis.*

## Hippomenes in leonem, & Atalanta in leænam. FAB. 11.

*Forſitan audieras aliquam certamine curſus*
*Veloces ſuperâſſe viros.* [h] *Non fabula, rumor*
*Ille fuit; ſuperabat enim. nec dicere poſſis*
*Laude pedum, formane bono præſtantior eſſet.*
[i] *Scitanti deus huic de conjuge, Conjuge, dixit,*
*Nil opus eſt Atalanta tibi, fuge conjugis uſum.*
*Nec tamen effugies;* [k] *teque ipſa viva carebis.*
*Territa ſorte dei per opacas innuba ſylvas*
*Vivit, & inſtantem turbam violenta procorum*
*Conditione fugat: Nec ſum potienda niſi, inquit,*
*Victa prius curſu: pedibus contendite mecum.*
*Præmia veloci conjux thalamique dabuntur;*
*Mors pretium tardis: ea lex certaminis eſto.*
*Illa quidem immitis: ſed (tanta potentia formæ)*
*Venit ad hanc legem temeraria turba procorum:*
*Sederat Hippomenes curſus ſpectator iniqui:*
*Et petitur cuiquam per tanta pericula conjux?*
*Dixerat: ac nimios juvenum damnârat amores.*
*Ut faciem, & poſito corpus velamine vidit,*
*Quale meum, vel quale tuum, ſi fœmina fias,*
*Obſtupuit, tollénſque manus, Ignoſcite, dixit,*
*Quos modò culpavi: nondum mihi præmia nota,*
*Quæ peteretis, erant. Laudando concipit ignem:*
*Et, nè quis juvenum currat velociùs, optat,*

h Non eſt hæc, inquit Venus, fictio ad delectandum comparata; ſed rumor, imò fama conſtans & certa. Confunditur tamen hæc fabula. Cùm enim duæ fuerint Atalantæ, ut habet Jo. Tzetzes 13. Chil. 453. & ſcholiaſtes Apollonii Argonaut. 1. ἣ μὲν ἀρκὰς Ἰασίονος θυγάτηρ ἣν ἔγημε Μειλανίων· ἡ δὲ Ἀργεία ἡ Σχοινέως, ἣν ἔγημε Ἱππομέδων· Tzetzes ipſe, Palæphatus, alii tribuunt hoc filiæ Iaſi, quod erat filiæ Schœnei: Milanioni item quod erat Hippomenis. i Conſulenti oraculum, quem qualémve habitura eſſet virum. k Transformata ſcil. vives humanæ formæ ſuperſtes.

l *Invi-*



l *Invidiámque timet. Sed, Cur certaminis hujus*
*Intentata mihi fortuna relinquitur? inquit:*
m Audentes deus ipſe juvat. *Dum talia ſecum*
*Exigit Hippomenes, paſſu volat alite virgo.*
*Quæ quanquam Scythica non ſegniùs ire ſagittâ*
n *Aonio viſa eſt juveni; tamen ille decoris*
*Mirator magis eſt, curſus facit ipſe decorem.*
*Aura* o *refert ablata citis talaria plantis,*
*Tergáque jactantur crines per eburnea, quæque*
*Poplitibus ſuberant picto* p *genualia limbo,*
q *Inque puellari corpus candore ruborem*
*Traxerat: haud aliter quàm cùm ſuper atria velū*
*Candida purpureum ſimilem dat, & inficit umbram.*
*Dum notat hæc hoſpes, decurſa noviſſima meta eſt:*
*Et tegitur feſta victrix Atalanta coronâ.*
*Dant gemitum victi, pendúntque ex fœdere pœnas:*
*Non tamen eventu juvenum deterritus horum*
*Conſtitit in medio, vultúque in virgine fixo,*
*Quid facilem titulum ſuperando quæris inertes?*
r *Mecum confer, ait. Seu me fortuna* ſ *potentem*
*Fecerit; à tanto non indignabere vinci:*
*(*t *Namq; mihi genitor Megareus, Oncheſtius illi:*
*Eſt Neptunus avus, pronepos ego regis aquarum;*
*Nec virtus citra genus eſt) Seu vincar; habebis*
*Hippomene victo magnum & memorabile nomen.*
*Talia dicentem molli Schœnëia vultu*
*Aſpicit. & dubitat, Superari, an vincere malit:*

l Veretur, ne cujus fortè victoria ſibi Atalantæ nuptias præripiat. Micyllus legit. *Invidiaque timet.* ipſe ſcil. invidens aliis timet, ne quis victoriam præripiat. m *Audentes fortuna juvat*, Turnus, 10. Æneid. n Bœotico Hippomeni. Eſt Aonia pars Bœotiæ. o Reflat, retro agit talaria pedibus ablata. p Γονατόδεσμοι. Gloſſ. genuum vincula, ſeu ornamenta. q Fuitque in Atalantæ corpore is color rubi-candens: qui ſolet à purpureo velo aut aulæo ſuſpenſo reflecti in album parietem. r Mecum collato curſu certa. ſ Voti compotem, ut l. 8. verſ. 66. & 80. & alibi ſæpius. t Raph. Regii editio habuit; *Namque mihi genitor Macareus, Acceſtius illi.* emendat Micyllus diſtinguitque; *Namque mihi genitor Megareus Oncheſtius, illi Eſt Neptunus avus*, autore Pauſanii in Atticis; Βοιωτοὶ δ' ἐν Ὀγχηστῷ Μεγαρέα τὸν Ποσειδῶνος οἰκοῦντα, ἀφικέσθαι στρατιᾷ Βοιωτῶν φασὶ, &c. Idem tamen in Bœoticis Oncheſtum ſtatuit Neptuni filium. φασὶ δὲ ἐνταῦθα οἰκῆσαι Ποσειδῶνος παῖδα Ὀγχηστόν.

Atque ita,[u] Quis deus hunc formoſis, dixit, iniquus
Perdere vult, charæque jubet diſcrimine vitæ
Conjugium petere hoc? Non ſum me judice tanti.
Nec forma tangor: poteram tamen hac quoque tangi:
Sed quòd adhuc puer eſt; non me movet ipſe, ſed ætas.
Quid quòd ineſt virtus, & mens interrita lethi?
Quid quòd ab æquorea numeratur origine quartus?
Quid quòd amat, tantiq; putat connubia noſtra,
Ut pereat, ſi me fors illi dura negârit?
[x] Dum licet, hoſpes, abi, thalamoſq; relinq; cruentos;
Conjugium crudele meum: Tibi nubere nulla
Nollet, & optari potes à [y] ſapiente puellâ.
Cur tamen eſt mihi cura tui tot jam antè peremptis?
[z] Viderit: intereat; quoniam tot cæde procorum
Admonitus non eſt, agiturque in tædia vitæ.
Occidet hic igitur, voluit quia vivere mecum?
Indignamque necem pretium patiatur amoris?
Non erit invidiæ victoria noſtra ferendæ.
Sed non culpa mea eſt: utinam deſiſtere velles!
Aut, quoniam es demens, utinam velocior eſſes!
Ah! quàm virgineus puerili vultus in ore eſt!
Ah miſer Hippomene! nollem tibi viſa fuiſſem:
Vivere dignus eras. Quòd ſi felicior eſſem,
Nec mihi conjugium fata importuna negarent:
Unus eras, cum quo ſociare cubilia vellem.
Dixerat: utque rudis, primoq; Cupidine tacta,
Quod facit ignorans, amat, & non ſentit amorem.
Iam ſolitos poſcunt curſus, populuſque, [a] paterque
Cùm me ſollicita proles Neptunia voce
Invocat Hippomenes; Cythereaque, comprecor, auſis
Adſit, ait, noſtris, & quos dedit adjuvet ignes.
[b] Detulit aura preces ad me non invida blandas:
Motaque ſum fateor, nec opis mora longa dabatur.

u Lucta hæc affectuum, & deliberatio διχογνώμων, τῇ ἢ καχεῖσε κλίνουσα ὡς ὅτι πλάστιγγος, multa habet in utramque partem momenta. hinc miſeretur Hippomenis ætatis, tangitur formâ, virtuti favet, generi, & amori: inde oraculi minas & eventum timet, diſſuadentis conjugium ut inutile & pernicioſum. Idem artificium in Medeâ l.7. Scyllâ, & Althæâ, l.8. x Ad abſentem Apoſtrophe. Eſt enim hæc mentis & apud ſe deliberatio: non vocis coràm admonitio. y Dotes tuas, uti par eſt, æſtimante, & cui nuptiæ cordi. z Verùm ipſe viderit. *Viderit utilitas; ego cœpta fideliter edam.* a Patreſque Pontan. b Quæ vota rata cupiebant, ad Deorum aures à benignis auris perferri precabantur: *Partem aliquam venti divûm referatis ad aures.* Virg. ecl. 3. quæ irrita volebant, ea ventis malignis diſſipanda aut procul avehenda tradebant. *Hæc jubeat tepidos irrita ferre Notos.* Tibul. l.3. eleg.4. idem, *venti temeraria vota, Aëria & nubes diripienda ferant.*

Eſt



Eſt ager, indigenæ [c] Tamaſeum nomine dicunt,
Telluris Cypriæ pars optima, quam mihi priſci
Sacravêre ſenes, templiſque accedere dotem
Hanc juſsêre meis: medio viret arbor in arvo
Fulva comas, fulvo ramis crepitantibus auro.
[d] Hinc tria fortè mea veniens decerpta ferebam
Aurea [e] poma manu, nullique videnda, niſi ipſi:
Hippomenen adii, docuique, quis uſus in illis.
Signa tubæ dederant, cùm carcere pronus uterque
Emicat, & ſummam celeri pede libat arenam:
[f] Poſſe putes illos ſicco freta radere paſſu,
Et ſegetis canæ ſtantes percurrere ariſtas.
Adjiciunt animos juveni clamorq;, favorque,
Verbaq; dicentum: Nunc, nunc incumbere tempus,
Hippomene propera, nunc viribus utere totis,
Pelle moram, Vinces. Dubium [g] Megareïus heros
Gaudeat, an virgo magis his Schœneïa dictis.
O quoties, cùm jam poſſet tranſire, morata eſt,
Spectatoſq; diu vultus invita reliquit!
Aridus à laſſo veniebat anhelitus ore,
Metaque erat longè: tum denique de tribus unum
Fœtibus arboreis proles [g] Neptunia miſit.
Obſtupuit virgo, nitidique cupidine pomi
Declinat curſus, aurumque volubile tollit.
Præterit Hippomenes: reſonant ſpectacula plauſu.
Illa moram celeri ceſſataque tempora curſu

c Levi unius literæ mutatione reſtitutum ſpero redonatumque ſolo cœloque Cyprio agrum ſuum. *Damaſeum* ſibi habeat Syria *Damaſcum*, *Damaſcenum* Critici. Inter oppida Cypri quindecim admittit. *Tamaſeum* Plinius lib. 5. cap. 31. & Stephanus. *Tamaſſum* in eadem inſ. agnoſcit Strabo. lib. 14. μέταλλά τε χαλκοῦ ἐστιν ἄφθονα ἐν Ταμασσῷ. hodie *Borgo di Tamaſſo*. Ferrarius. d Mala hæc ex Heſperidum hortis deportata narrat Scholiaſtes Theocriti in Idyll. 3. & Virgil. 6. elog. *Tum canit Heſperidum miratam mala puellam.* Scyros autem certaminis hujus ſcena eſt. e Mala eſſe inter illicia & ſymbola Veneris notum ex Theocriti Idyll. 6. Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα. & interprete ibi, ut & Scholiaſte Ariſtophanis. *Malo me Galatea petit.* Virg. 3. eclog. f *Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret Gramina*, &c. Virg. 7. Æneid. de Camillâ. g Hippom. Megar. filius. Neptuni nepos. v. 605. ſupra. Pomum aureum. Δρόμῳ νικῶσα πάντας ἢ ποδῶν τῇ ταχυτῆτι Νικᾶται Μελανίωνι μῆλα χρυσᾶ ῥιπτοῦντι. Καὶ ταῦτα ἢ συνάγουσα, καὶ οὕτως ἡττηθεῖσα. Μᾶλλον δὲ τούτῳ ἔρωτι πολλῷ καταχυθεῖσα. Io. Tzetzes 13. Chil. 453. qui ibidem citat. Theocriti verſus ex Idyll. 3. Ἱππομένης ὅκα δὴ, &c.

 Corrigit,

*Corrigit, atq; iterum juvenem poſt terga relinquit:*
*Et rurſus pomi jactu remorata ſecundi*
*Conſequitur, tranſitque virum. Pars ultima curſus*
*Reſtabat: Nunc, inquit, ades dea muneris autor,*
*Inque latus campi, quò tardiùs illa rediret,*
*Iecit ab obliquo [i] liquidum juveniliter aurum.*
*An peteret virgo viſa eſt dubitare; coëgi*
*Tollere, & adjeci ſublato pondera malo,*
*Impediique oneris pariter gravitate, moráque:*
*Néve meus ſermo curſu ſit tardior ipſo;*
[k] *Præterita eſt virgo, duxit ſua præmia victor.*
*Dignáne cui grates ageret, cui thuris honorem*
*Ferret, Adoni, fui? Nec grates immemor egit,*
*Nec mihi thura dedit. Subitam convertor in iram,*
*Contemptúque dolens, nè ſim ſpernenda [l] futuris,*
*Extemplo caveo, meque ipſam exhortor in ambos.*
*Templa deûm matri, quæ quondam clarus [m] Echion*
*Fecerat ex voto, nemoroſis abdita ſylvis,*
*Tranſibant: & iter longum requieſcere ſuaſit.*
*Illic concubitus intempeſtiva cupido*
*Occupat Hippomenen à numine concita noſtro.*
[n] *Luminis exigui fuerat prope templa receſſus*
*Speluncæ ſimilis, nativo pumice tectus,*
*Religione ſacer priſca: quò multa ſacerdos*
*Lignea contulerat veterum ſimulacra deorum.*
*Hunc init, & vetito temerat ſacraria probro.*
*Sacra [o] retorſerunt oculos: [p] turritaq; mater,*
*An Stygia fontes, dubitavit, mergeret undâ.*
*Pœna levis viſa eſt. Ergò modò levia fulvæ*
*Colla jubæ velant, digiti curvantur in ungues,*
*Ex humeris armi fiunt, [q] in pectora totum*
*Pondus abit: ſumma cauda verruntur arenæ,*
*Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt,*

i Mss. noſtri aliique vet. Giof. nitidum.
k Cl. Baconus hanc fab. interpretatus, Atalantæ, inquit, id eſt, artis prærogativam & vigorem, mala aurea retardant. illa enim plerumque ſtadium deſerit & ad lucrum declinat, &c. quæ videre operæ pretium.
l Poſteris.
m Rex fortè Scyri inſ.
n Al. *Luminis exigui.*
o Avertebant oculos, ne ſcelus viderent.
p Cybele, mater Deorum. quam turrigerâ, inſtar muralis, coronâ cinctam ferunt; vel, quia urbis Midæ clauſæ muros capite ſublevavit, atque ita eſt ingreſſa, Arnob. 5. lib. vel *quod primis turres urbibus illa dedit.* Ov. Faſt. vel quia eadem eſt cum Terrâ, quæ urbes turribus munitas ſuſtinet. Lucret. lib. 2. *Muraliqueæ caput*, &c. q Leonibus in pectore ſumma ſubſidet moles.





*Pro thalamis celebrant ſylvas, aliiſque timendi*
*Dente premunt domito Cybeleïa fræna leones.*
*Hos tu chare mihi, cúmq; his genus omne ferarum,*
*Quod non terga fugæ, ſed pugnæ pectora præbet,*
*Effuge: nè virtus tua ſit damnoſa duobus.*

## Adonis in Anemonen, & Minthe nympha in Mentham herbam.

### FAB. 12. 13.

*ILla quidem monuit, junctiſque per aëra cycnis*
*Carpit iter: ſed ſtat monitis contraria virtus.*
*Fortè [r] ſuem latebris veſtigia certa ſecuti*
*Excivêre canes, ſylviſque exire parantem*
*Fixerat obliquo juvenis Cinyreius ictu.*
*Protinus excuſſit pando venabula roſtro,*
*Sanguine tincta ſuo: trepidúmque, & tuta petentem*
*Trux aper inſequitur, totóſque [ſ] ſub inguine dentes*
*Abdidit, & fulva moribundum ſtravit arenâ.*
*Vecta levi curru, medias Cytherea per auras*
*Cydron olorinis nondum pervenerat alis.*
*Agnovit longè gemitum morientis, & albas*
*Flexit aves illuc; útque æthere vidit ab alto*
*Exanimem, inque ſuo jactantem ſanguine corpus,*
*Deſiluit, pariterque ſinum, pariterque capillos*
*Rupit, & indignis percuſſit pectora palmis;*
*Queſtáque cum fatis, Et non tamen omnia veſtri*
*Iuris erunt, dixit: Luctus monimenta manebunt*

r Ἄρης δὲ ἀντεραστὴς ὤν, &c. Tzetzes in Lycophr. Mars rivalis in apri ſpeciem mutatus juvenem incautè ſe ferentem interemit. Iul. Firmicus.
ſ Ἄγριον ἕλκος ἔχει κατὰ μηρὸν Ἄδωνις· Μεῖζον δ᾽ ἁ κυθέρεια φέρει ποτὶ κάρδιον ἕλκος. Bion. eidyll. lege lepidum Theocriti Idyllion, in mortuum Adonin.

*Semper, Adoni, mei; [t] repetitaque mortis imago*
*Annua plangoris peraget ſimulamina noſtri;*
*At cruor in florem mutabitur. An tibi quondam*
[u] *Fœmineos artus in olentes vertere menthas,*
*Perſephone, licuit? nobis Cinyreïus heros*
*Invidiæ mutatus erit? Sic fata, cruorem*
*Nectare odorato ſparſit: qui tactus ab illo*
*Intumuit, ſicut pluvio perlucida cœlo*
*Surgere bulla ſolet. Nec plena longior horâ*
*Facta mora eſt, cùm flos de ſanguine concolor ortus,*
*Qualem, quæ lento celant ſub cortice granum,*
*Punica ferre ſolent:* [x] *Brevis eſt tamen uſus in illo.*
*Namque malè hærentem, & nimia levitate caducum*
*Excutiunt iidem, qui perflant omnia, venti.*

t In plurimis orientis civitatibus, inquit Iul. Firmicus, Adonis quaſi maritus plangitur Veneris, & perculſor ejus circumſtantibus, vulnuſque monſtratur, &c. Quæcunque certè ſolennia luctus aut gaudii contra, Ægyptii inſtituerunt Oſiridi ſuo, Iſidi, & Typhonis eadem Syrii colebant in Adonide, Venere & Marte. Oſiridis autem & Adonidis ἀφανισμὸν, ζήτησιν, εὕρεσιν, acceſſum & receſſum repræſentare volunt. Adonin enim, Attyn, Oſirim, Horum aliud non eſſe quàm Solem probat Macrobius 1. lib. Saturn. 21. cap. videantur Lucianus de Deâ Syriâ. Gyraldus Syntagm. 13. Nat. Comes 5. lib. 16. cap. I. Seldenus de Diis Syris Syntagm. cap. 10. de cultu Thammuz. Qui ad Phyſiologiam transferunt fabulam, per Adonin intelligunt Solem; per Venerem, tellurem; per aprum, Zodiaci Capricornum, ſignum brumale. u Menthen Plutonis pellicem Proſerpina in herbam cognominem mutavit. Nicandri interpres in Alexipharmacis. x Forma flos brevis ævi; bonum fragile, anceps, fugax. *Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus.* Martial. 6. lib. 29. epigram. In anemonen itaque mutatur Adonis, cujus florem, ut & roſæ, *Vna dies aperit, Conficit una dies.* Et cujus formæ ventus quilibet ſpolium aufert. Alluſum ſimul ad nomen floris ἀπὸ τοῦ ἀνέμου.





# LIBER XI.

## Orpheus à Bacchis diſcerptus, & ſerpens in lapidem.

### FAB. I.

*Carmine dum tali* [*] *ſylvas,* [a] *animoſq; ferarum,*
*Threïcius vates, & ſaxa ſequentia traxit:*
*Ecce!* [b] *Nurus Ciconum tecta lymphata ferinis*
*Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt*
*Orphea percuſſis ſociantem carmina nervis.*
*E quibus una, leves jactato crine per auras,*
*En! ait, En!* [c] *Hic eſt noſtri contemptor: & haſtam*
*Vatis Apollinei vocalia miſit in ora;*
*Quæ* [d] *foliis præſuta notam ſine vulnere fecit.*
*Alterius telum lapis eſt: qui miſſus, in ipſo*
*Aëre, concentu victus vociſque lyræque eſt.*
*Ac veluti ſupplex pro tam furialibus auſis*
*Ante pedes jacuit, ſed enim temeraria creſcunt*
*Bella, moduſque abiit, inſanaque regnat Erinnys:*
*Cunctaq; tela forent cantu mollita; ſed ingens*
*Clamor, & inflato* [e] *Berecynthia tibia cornu,*
*Tympanaq;, & plauſus, & Bacchei ululatus*
[f] *Obſtrepuêre ſono citharæ. Tum denique ſaxa*
*Non exauditi rubuerunt ſanguine vatis.*
*Ac primùm attonitas etiamdum voce canentis*
*Innumeras volucres, angueſq;, agmenq; ferarum,*

* Orpheus, poſtquam Naturali inſtructus Philoſophiâ in rerum corruptibiliũ conſervatione & inſtauratione laboraſſet; ſed fruſtra: ad Moralem & Civilem converſus, homines à ſylveſtri & ferino victu ad æquitatem & pacem transferre; vitia tollere; virtutes, leges, religionem ſancire; oppida munire, agros colere inſtituit. ſed & hæc ſucceſſu haud feliciori. namque & hîc ſeditioſi rudis vulgi oboriuntur tumultus; quorum inter ſtrepitus non audiuntur leges, verùm in ipſarum principum & legiſlatorum perniciem ſævit populi furor. quod in Lycurgi, Solonis, aliorum, miſero exitu videre eſt. a Senſus. infra verſ. 43. *perque os Auditum ſaxis intellectumque ferarum Senſibus.* b Threſſæ Bacchantes. ſunt a. Cicones Thraciæ populi ad Iſmarum montem. c Lib. 10. verſ. 81. d Pampinis involuta & hederâ, uti ſolent thyrſi. e Qua primùm uſi ſunt in ſacris Cybeles, quæ Berecynthis dicta à monte Phrygiæ Berecyntho Matri Deûm dicato. *Tympana vos, buxuſque vocat Berecynthia Matris Idææ,* Æneid. 9. 619. f Reſpice notam primam ſupra *



НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

*Mænades Orpheï titulum rapuêre* g *theatri.*
*Indè cruentatis vertuntur in Orphea dextris,*
*Et coëunt, ut aves, ſi quando luce vagantem*
*Noctis avem cernunt: ſtructóq;* h *utrinq; theatro*
*Ut matutina cervus periturus arenâ*
*Præda canum eſt: vatemque petunt & fronde virentes*
*Conjiciunt thyrſos,* i *non hæc in munera factos.*
*Hæ glebas, illæ direptos arbore ramos,*
*Pars torquent ſilices, neu deſint tela furori.*
*Fortè boves preſſo ſubigebant vomere terram,*
*Non procul hinc multo fructum ſudore parantes*
*Dura lacertoſi fodiebant arva coloni;*
*Agmine qui viſo fugiunt, operiſque relinquunt*
*Arma ſui, vacuoſq; jacent diſperſa per agros*
*Sarculaque, raſtrique graves, longique ligones,*
k *Quæ poſtquam rapuêre feræ, cornuque minaces*
*Divulſere boves: ad vatis fata recurrunt,*
*Tendentemque manus, atque illo tempore primum*
l *Irrita dicentem, nec quicquam voce moventem*
*Sacrilegæ perimunt: perque os (proh Juppiter!) illud*
*Auditum ſaxis, intellectumque ferarum*
*Senſibus, in ventos anima exhalata receſſit.*
m *Te mœſtæ volucres, Orpheu, te turba ferarum,*
*Te rigidi ſilices, tua carmina ſæpe ſecutæ*
*Fleverunt ſylvæ, poſitis te frondibus arbos*
*Tonſa comas luxit: lacrymis quoque flumina dicunt*
*Increviſſe ſuis; obſcuraque carbaſa pullo*
*Naiades, & Dryades, paſſóſque habuêre capillos.*
n *Membra jacent diverſa locis: caput, Hebre, lyramq;*
*Excipis, & (mirum) medio dum labitur amne,*

g Lib. 10. v. 88. h Amphitheatro in quo ſpectacula matutina, ubi cum beſtiis pugnabant: & meridiana, ubi qui ſuperfuerant ex beſtiarum pugnâ, inter ſe dimicabant. Lipſ. Saturn. 3. l. 25. cap. i *Non hos quæſitum munus in uſus.* Æneid. 4. de gladio Æneæ. k Hæc poſtquam furentes Bacchæ rapuere, & boves cornu minaces ab aratro avulſere, ut inde aratri partes raperent. Regius exponit, dilaceravere. ut infra v. 58. de ſerpente & Orphei capite. *Lambit & hymniferos inhiat divellere vultus.* Ms. alter ſupra *feræ* præfert ſcriptum *nurus* alter *inſanæ.* uterque *cornuque minaci Divulſere boves.* l Non audita, nihil proficientia apud ebrias fœminas verba, quæ ſaxis priùs audita fuerant & feras moverant. m Lege Antipatri epigramma in Orpheum 3. lib. Anthol. 25. cap. n Membra tamen Orphei diſcerpti à Muſis collecta & in Dio Macedoniæ condita refert Pauſanias in Bœoticis. caput in Lesbum, lyram in ſidus novem inſignitum ſtellis relatam ferunt. Lege quæ Lucianus habet adverſ. indoctum, de Neantho nacto Orphei lyram.

p Flebile



o *Flebile neſcio quid queritur lyra, flebile lingua*
*Murmurat exanimis.* p *reſpondent flebile ripæ,*
*Iamque mare invectæ flumen populare relinquunt,*
*Et Methymnææ potiuntur litore Lesbi.*
q *Hîc ferus expoſitum peregrinis anguis arenis*
*Os petit, & ſparſos ſtillanti rore capillos*
*Lambit, & hymniferos inhiat divellere vultus.*
*Tandem Phœbus adeſt, morſuſque inferre parantem*
*Arcet, & in lapidem rictus ſerpentis apertos*
*Congelat, & patulos (ut erant) indurat hiatus.*
r *Umbra ſubit terras, &, quæ loca viderat antè,*
*Cuncta recognoſcit: quærenſque per arva piorum*
*Invenit Eurydicen, cupidiſque amplectitur ulnis.*
*Hîc modò conjunctis ſpatiantur paſſibus ambo:*
*Nunc præcedentem ſequitur, nunc prævius anteit;*
*Eurydicenque ſuam* ſ *jam tutò reſpicit Orpheus.*

o *Eurydicen vox ipſa & frigida lingua, Ah miſeram Eurydicen anima fugiente vocabat: Eurydicen toto referebant litore ripæ.* Virg. 4. Georgic. p Ἀνηχοῦσι. q Sic Mss. noſtri & quos citat Ciofanus. in quibus omnibus non apparet verſus tertius. *Lambit & hymniferos,* &c. Vulgati habent, *Hic ferus expoſito peregrinis anguis arenis Obſtitit,* quos ſecutus Planudes vertit Ἄγριος ὄφις ἀντέστη. r Imago, animæ & corporis ſimulacrum. Hoc autem ex opinione eorum, quibus homo conſtat animâ, corpore, umbrâ. animam cælo, aſtris, aëri, corpus terræ; umbram inferis reddi volunt. Dido 6. Æneid. *Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.* & quæ nos ibi. ſ Non lege datâ ne reſpiceret eam, ut antea, lib. 10. verſ. 50.

## Thraciæ mulieres in arbores.

### FAB. 2.

NOn impunè tamen ſcelus hoc ſinit eſſe Lyæus:
*Amiſſoque dolens* t *ſacrorum vate ſuorum,*
*Protinus in ſylvis matres* u *Edonidas omnes,*
x *Quæ vidêre nefas, torta radice ligavit.*

t Sacra Liberi Patris Orpheus primus induxit in Græciam, celebravitque in monte Bœotiæ Cithero. Ea ſacra Orphica nominantur. Lactantius 1. lib. & Diodorus lib. 1. u Thracias. Edonus mons Thraciæ. Plin. 4. lib. 11. cap. ἀπὸ Ἠδωνοῦ τοῦ Μύγδονος ἀδελφοῦ. Steph. x Non quæ fecere nefas tantùm, ſed quæ vidêre, quæ adfuere.

Quippe

*Quippe pedum digitos, [y] in quantum eſt quæque ſecuta,*
*Traxit, & in ſolidam detruſit acumine terram.*
*Utq; ſuum laqueis, quos callidus abdidit auceps,*
*Crus ubi commiſit volucris, ſenſitq; teneri,*
*[z] Plangitur, ac trepidans aſtringit vincula motu:*
*Sic, quæcunque ſolo defixa cohæſerat harum,*
*Externata fugam fruſtra tentabat; at illam*
*Lenta tenet radix, exultantemq; coërcet.*
*Dumq; ubi ſint digiti, dum pes ubi quærit, & ungues,*
*Aſpicit in teretes lignum ſuccedere ſuras;*
*Et conata femur mœrenti plangere dextrâ,*
*Robora percuſſit: pectus quoque robora fiunt;*
*Robora ſunt humeri; longos quoque brachia vera*
*Eſſe putes ramos, & non fallere putando.*

y Vbi quæque conſtiterat ſequendo.

z Alis ſe verberat. ſed quo magis contra vincula tendit, eo arctiùs conſtringitur.

## Midas & aurea Pactoli arena.

### FAB. 3.

*NEc ſatis hoc Baccho eſt. Ipſos quoque deſerit agros,*
*Cumq; [a] choro meliore, [b] ſui vineta [c] Timoli,*
*Pactolonque petit: quamvis non aureus illo*
*Tempore, [d] nec charis erat invidioſus arenis.*
*Hunc aſſueta cohors Satyri, Bacchæq; frequentant;*
*At Silenus abeſt: [e] titubantem annisq;, meroq;,*
*Ruricolæ cepere Phryges, [f] vinctumq; coronis*
*Ad regem duxêre Midam, [g] cui Thracius Orpheus*

a Quàm qui Orpheum diſcerpſit.

b Feraciſſimi ſcil. optimi vini.

c Tmoli montis Lydiæ.

d Necdum pretioſis & auriferis. e *Quique ſenex ferula titubantes ebrius artus ſuſtinet*, &c. de eodem Seleno, lib. 5. verſ. 26. f Sertis coroniſque, ex edera, myrto, roſâ præcipuè, quæ vini exhalationes arceant, capitis gravitatem ledent. & æſtuantes refrigerent, redimitos in conviviis potâſſe veteres, nemini non notum. ex ipſis ſertis vincula huic Sileno injeciſſe Chromin & Mnaſylum notum etiam ex Virgilii eclogâ 6. neque enim Semideos niſi vinctos retineri aut vaticinari ſolere. g Midam ſacrorum ſolennibus ab Orpheo initiatum, Phrygiam religione excoluiſſe, ſcribit Iuſtinus, lib. 11.

Orgia



*Orgia tradiderat cum [h] Cecropio Eumolpo.*
*Qui ſimul agnovit ſocium, comitemq; ſacrorum,*
*Hoſpitis adventu feſtum genialiter egit*
*Per bis quinq; dies, & junctas ordine noctes.*
*Et jam ſtellarum ſublime coëgerat agmen*
*Lucifer undecimus, Lydos cùm lætus in agros*
*Rex venit, & juveni Silenum reddit alumno.*
*[i] Huic deus optanti gratum, ſed inutile, fecit*
*Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.*
*Ille malè uſurus donis, ait: Effice, quicquid*
*Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.*
*Annuit optatis, nocituraq; munera ſolvit*
*Liber: & indoluit, quòd non meliora petiſſet.*
*Lætus abit, gauditque malo [k] Berecynthius heros,*
*Pollicitiq; fidem tangendo ſingula tentat.*
*Vixque ſibi credens, non alta fronde virentem*
*Ilice detraxit virgam; virga aurea facta eſt:*
*Tollit humo ſaxum, ſaxum quoq; palluit auro:*
*Contigit & glebam; contactu gleba potenti*
*Maſſa fit: arentes Cereris decerpſit ariſtas;*
*Aurea meſſis erat: demptum tenet arbore pomum;*
*Heſperidas donâſſe putes: ſi poſtibus altis*
*Admovit digitos; poſtes radiare videntur.*
*Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,*
*Unda fluens palmis [l] Danaën eludere poſſit.*
*Vix ſpes ipſe ſuas animo capit, aurea fingens*
*Omnia: gaudenti menſas poſuêre miniſtri*
*Extructas dapibus, nec toſtæ frugis egentes.*
*Tum verò, ſive ille ſua [m] Cerealia dextrâ*
*Munera contigerat; Cerealia dona rigebant:*
*Sive dapes avido convellere dente parabat;*
*Lamina fulva dapes admoto dente nitebat.*
*Miſcuerat puris [n] autorem muneris undis;*
*Fuſile per rictus aurum fluitare videres.*

h Eleuſinio ſeu Athenienſi, Muſæi filio, Orphei diſcipulo. ad differentiam Thracenſis, qui filius Neptuni & Chiones.

i Max. Tyrius refert, Midam à captivo Satyro inebriato, non à Baccho, impetrâſſe ut arbores, ſegetes, flores, terra, omnia in aurum verterentur. annonæ hinc penuriam Phrygas invaſiſſe. quem vide Differtat. 30. vide Photii bibliothecam, ex Conone. vide & Philoſtrat. 1. lib. Icon.

k Midas rex Phrygiæ, in quâ mons Berecynthus.

l Referebat aureum imbrem, quo Iupiter auri pluvius Danaën eluſit. 4. lib. 611. verſ. m Panes. *Dona laboratæ Cereris*. Virgil. 8. lib. n Bacchum. vinum.

Attonitus

*Attonitus novitate mali, [o] Diveſque, miſerque,*
*Effugere optat opes, & quæ modò voverat, odit.*
*Copia nulla famem relevat; ſitis arida guttur*
*Urit: & inviſo meritus torquetur ab auro.*
*Ad cœlumq́; manus, & [p] ſplendida brachia tollens,*
*Da veniam Lenæe pater, peccavimus, inquit:*
*Sed miſerere, precor, ſpecioſoq́; eripe damno.*
Mite deûm numen: *Bacchus peccâſſe fatentem*
*Reſtituit, [q] factique fide data munera ſolvit.*
*Néve malè optato maneat circumlitus auro,*
*Vade, ait, ad magnis [r] vicinum Sardibus amnem,*
*Perque jugum ripæ labentibus obvius undis*
*Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus,*
*Spumigeroque tuum fonti, quà plurimus exit,*
*Subde caput, corpuſque ſimul, ſimul elue crimen.*
*Rex juſſæ ſuccedit aquæ: [ſ] vis aurea tinxit*
*Flumen, & humano de corpore ceſſit in amnem.*
*Nunc quoque jam veteris percepto ſemine venæ*
*Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.*

o Dives utique erat Midas φιλόχρυσος Suidæ; ὅπως τὲ θησαυρῷ περιτυχὼν, ἀθρόον εἰς πλοῦτον ἄρθῃ, ut habet Photius: ſed avarus; cui tam deerit quod habuit, quàm quod non habuit: Tantali inſtar congeſto pauper in auro. nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miſerrimus; *fœlix atque miſer, dives inopſque ſimul.* Lege apud Plutarchum, lib. de virtutibus mulierum, ſolertiam uxoris cujuſdam Pythæ, cui in aurifodinis toti occupato oppoſuit panes & cibos aureos, adeoque avocavit à metallis ad agriculturam. *p* Quæ & ipſa contactu efficaci, ab auro, in quæ vertebant cætera, radiabant. *q* Eâdem fide qua dederat, data munera reſolvit atque irrita fecit. Neque enim placet quod habent interpretes; *ob præſtitam fidem reſtituendo Silenum amiſſum.* *r* Pactolum ex Tmolo monte ortum Sardis opp. præterfluere ſcribit Strabo lib. 13. per medium Sardium forum fluere, Herodotus lib. 5. *ſ* Propter grumulos & ramenta auri quæ ſabulo ſuo miſta devehit Pactolus inter Chryſorrhoos fluvios nobilitatur, quæ perhibentur Indus, Ganges, Hermus, Pactolus, Iber, Tagus, Arimaſpus, Padus, Hebrus, Rhenus, &c.

## Midæ aures in aſininas. FAB. 4.

*ILle [t] peroſus opes, ſylvaſque & rura colebat,*
*Panaque montanis habitantem ſemper in antris:*

t Ibi, inquit Max. Tyrius Diſſertat. 30. Midas divitias deplorare ſuas, preces averſari priores: nec amplius Satyrum, ſed Deos Deaſque precari omnes, ut priorem illam fœcundam paupertatem ſibi reſtituerent, aurum in hoſtium capita transferrent.

u Pingue



*[u] Pingue ſed ingenium manſit, nocituraque, ut antè,*
*Rurſus erant domino ſtolidæ præcordia mentis.*
*Nam freta proſpiciens latè riget arduus alto*
*Tmolus in aſcenſu, clivoque extenſus utroque*
*Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.*
*Pan ibi dum teneris jactat ſua carmina Nymphis,*
*Et leve [x] cerata modulatur arundine carmen,*
*Auſus Apollineos præ ſe contemnere cantus,*
*Iudice ſub [y] Tmolo certamen venit ad impar.*
*Monte ſuo ſenior judex conſedit, & aures*
*Liberat arboribus: quercu coma cærula tantùm*
*Cingitur, & pendent circum cava tempora glandes.*
*Iſque deum pecoris ſpectans, In judice, dixit,*
*Nulla mora eſt. Calamis agreſtibus inſonat ille,*
*Barbaricoque Midan (aderat nam fortè canenti)*
*Carmine deliniit. Poſt hunc ſacer ora [z] retorſit*
*Tmolus ad os Phœbi; vultum ſua ſylva ſecuta eſt.*
*Ille caput flavum lauro Parnaſſide vinctus,*
*[a] Verrit humum Tyrio ſaturata murice pallâ,*
*[b] Diſtinctamque lyram gemmis, & dentibus Indis*
*Suſtinet à læva: tenuit manus altera plectrum,*
*Artificis ſtatus iſte fuit. Tum ſtamina docto*
*Pollice ſollicitat: quorum dulcedine captus*
*Pana jubet Tmolus citharæ ſummittere cannas.*
*Iudicium, ſanctique placet ſententia montis*
*[c] Omnibus: arguitur tamen, atque injuſta vocatur*

u Quod deprecatur Venuſinus vates, ipſe utcunque pinguis, nitiduſque bene curatâ cute & Epicuri de grege porcus, Satyrâ 6. *hac prece te oro, Pingue pecus domino facias, & cætera, præter Ingenium.* *x* *Diſparibus calamis compagine ceræ junctis.* lib. 1. verſ. 712. *y* Deo montis, namque & montibus ſua fuerunt numina æquè ac fontibus. *z* Ut modò, *Deum pecoris ſpectavit*: & quod ſequitur *vultum ſua ſylva ſecuta eſt.* Alii tamen præferunt *reſolvit*, Alii *remiſit*. *a* Magnificè procedebant in ſcenam cùm hiſtriones tum citharœdi, purpureum induti trahenteſque ſyrma. Horat. in Arte, *traxitque vagus per pulpita veſtem.* Sed -- *b* Vide habitum ornatumque ipſius Phœbi apud Tibullum lib. 3. eleg. 4. necnon citharœdi 4. lib. ad Herennium, Uti citharœdus, cùm prodierit optimè veſtitus, pallâ inauratâ indutus, cum chlamyde purpureâ coloribus variis intextâ, & cum coronâ aureâ fulgentibus gemmis illuminatâ, citharam tenens exornatiſſimam, auro & ebore diſtinctam, &c. *c* Nymphis & Diis ruſticis.

Unius

*Unius ſermone Midæ.*[d] *Nec Delius aures*
*Humanum ſtolidas patitur retinere figuram:*
*Sed trahit in ſpatium, villiſq; albentibus implet,*
*Inſtabileſq; illas facit, & dat poſſe moveri.*
*Cætera ſunt hominis: partem damnatur in unam,*
*Induiturq; aures lentè gradientis aſelli.*

d Ariſtophanis interpres narrat, Midæ naturâ prælongas fuiſſe aures. vel etiam, quod Bacchi aſinos præteriens injuriâ affeciſſet, affixas illi ab irato numine aures aſininas. Midam tyrannum dimittere ſolitum Corycæos ὠτακουστὰς referunt Lucianus, Suidas, Photius. Io. Tzetzes ad illa Lycophronis. Ὅς δή ποτ' ἀμφώδοντος ἐξ ἄκραν λοβῶν φθέρσας κύφελλα καλλυνεῖ παρωτίδας refert, duos fuiſſe in Phrygiâ colles, qui aures aſini vocarentur, quos cum expugnâſſet Midas, latroneſque inde ſuſtuliſſet, fabuloſè dictum eſſe, Midam aſini aures occupâſſe.

## Cannæ vocales. FAB. 5.

*ILle quidem celare cupit, turpique pudore*
*Tempora purpureis tentat velare tiaris.*
*Sed ſolitus longos ferro reſecare capillos*
*Viderat hoc famulus: qui cùm nec prodere viſum*
*Dedecus auderet, cupiens efferre ſub auras,*
*Nec poſſet reticere tamen, ſecedit, humumq;*
*Effodit, &, domini quales conſpexerit aures,*
*Voce refert parvâ, terræq; immurmurat hauſtæ,*
*Indiciumq; ſuæ vocis tellure regeſtâ*
*Obruit, & ſcrobibus tacitus diſcedit opertis.*
*Creber arundinibus tremulis ibi ſurgere lucus*
*Cœpit, &, ut primùm pleno maturuit anno,*
*Prodidit*[e] *agricolam: leni nam motus ab Auſtro*
*Obruta verba refert, dominique coarguit aures.*

e Servum tonſorem, qui ſcrobi verba illa infoderat. Perſius Sat. 1. *Men' mutire nefas? nec clam, nec cum ſcrobe? nuſquam? Hic tamen infodiam, vidi, vidi ipſe, libelle, Auriculas aſini quis non habet?*

## Apollo & Neptunus auxiliares Laomedonti in Trojâ condendâ. FAB. 6.

[f] *ULtus abit Tmolo, liquidumq; per aëra vectus*
[g] *Anguſtum citra pontum Nepheleïdos Helles*
*Laomedonteïs Latoïus aſtitit arvis.*

f Apollo ultus Midę, verè aſini ad lyram, judicium, à Tmolo Lydiæ in agrum Trojanum migrat. g Citra Helleſpontum, cui nomen ab Helle Athamantis ex Nephele filiâ, quæ ab aureo vellere vecta ibi intercidit.

h Dextera



h *Dextera Sigæi, Rhœtei læva profundi*
*Ara Panomphæo vetus eſt ſacrata Tonanti.*
*Indè nova primùm moliri mœnia Trojæ*
*Laomedonta videt, ſuſceptaq; magna labore*
*Creſcere difficili, nec opes expoſcere parvas:*
*Cumque*[i] *Tridentigero tumidi genitore profundi*
k *Mortalem induitur formam, Phrygiæque tyranno*
*Ædificat muros, pacto pro mœnibus*[l] *auro.*
*Stabat opus: pretium rex inficiatur, & addit*
*Perfidiæ cumulum, falſis perjuria verbis.*
*Non impunè feres, rector maris inquit: & omnes*
*Inclinavit aquas ad avaræ litora Trojæ,*
*Inque freti formam terras convertit, opeſq;*
*Abſtulit agricolis, & fluctibus obruit agros.*
*Pœna neque hæc ſatis eſt. Regis quoq;*[m] *filia monſtro*
*Poſcitur æquoreo: quam dura ad ſaxa revinctam*
*Vindicat Alcides, promiſſaque munera dictos*
*Poſcit*[n] *equos; tantique operis mercede negatâ,*
o *Bis perjura capit ſuperatæ mœnia Trojæ.*
*Nec pars militiæ Telamon ſine honore receſſit:*
*Heſioneque data potitur. Nam conjuge*[p] *Peleus*
*Clarus erat*[q] *diva, nec*[r] *avi magis ille ſuperbit*
*Nomine, quam*[ſ] *ſoceri: ſiquidem Jovis eſſe nepotem*
*Contigit haud uni, conjux dea contigit uni.*

h Inter promontoria Sigæum à dextrâ & Rhœteum à ſiniſtrâ ara eſt Iovis Panomphæi, ex πᾶν & ὀμφή. quòd omnium voces audiat, vel quòd omnium vocibus colatur. Euſtat. i Neptuno l.8 v.596. k Quid Apollo? inquit Lactantius lib. 1. nonne muros Laomedonti extruxit, cum Neptuno, mercede conductus, &c. Iovis juſſu, ut Pindarus in Olympicis: damnati à Iove quòd cum Iunone adverſus Iovem conſpiraſſet, ut habet Didymus. l Herodotus ſcribit, Laomedontem templa Apollinis & Neptuni depeculatum, theſauros Deorum ſacris dicatos ad extruenda Trojæ mœnia convertiſſe. Quamvis vero ſimilius eſt, lutea, vel etiam lateritia mœnia aquâ Neptuniâ primùm miſta, Phœbeâ deinde face aruiſſe. Martialis crateras aureos fuiſſe ait. *Laomedontiæ fuerant hæc pocula menſæ. Ferret ut hæc, muros ſtruxit Apollo lyrâ.* l.8. epigr.6. m Heſione ceto exponi jubetur. n De ſemine Solis equorum progenitos. o In Deos primùm, deinde in Herculem. p Frater Telamonis. q Thetide. r Iovis. ſ Nerei.

## Thetis in varias figuras. FAB. 8.

*NAmque ſenex Thetidi Proteus prædixerat*[t] *udæ,*
*Concipe:*[u] *mater eris juvenis, qui fortibus armis*
*Acta patris vincet, majorque vocabitur illo.*

t Marinæ. *per numina matris aquoſa.* Briſeis Achilli, epiſt. Al. *unda.* u Vaticinii hujus meminit Lucianus 1. dialogo Deorum. Iovi, inquit Fulgentius, qui ignis eſt, cum Thetide, id eſt, aquâ, coire non licet. lib. 3.

Ergo

*Ergò nè quicquam mundus Iove majus haberet,*
*Quamvis haud tepidos ſub pectore ſenſerat ignes*
*Iuppiter, æquoreæ Thetidis connubia vitat,*
*Inque ſua* [x] *Æaciden ſuccedere vota nepotem*
*Iuſſit, & amplexus in virginis ire marinæ.*
*Eſt ſinus Æmoniæ curvos falcatus in arcus,*
[y] *Brachia procurrunt; ubi ſi foret altior unda,*
[x] *Portus erat; ſummis inductum eſt æquor arenis:*
*Litus habet ſolidum, quòd nec veſtigia ſervet,*
*Nec remoretur iter, nec opertum pendeat algâ.*
*Myrtea ſylva ſubeſt bicoloribus obſita baccis,*
*Et ſpecus in medio, natura factus, an arte,*
*Ambiguum; magis arte tamen: quò ſæpe venire*
*Frænato Delphine ſedens, Theti, nuda ſolebas.*
*Illîc te Peleus, ut ſomno victa jacebas,*
*Occupat: &, quoniam precibus tentata repugnas,*
[y] *Vim parat, innectens ambobus colla lacertis.*
[z] *Quòd niſi veniſſes variatis ſæpe figuris*
*Ad ſolitas artes, auſo foret ille potitus.*
[a] *Sed modò tu volucris; volucrem tamen ille tenebat:*
*Nunc gravis arbor eras; hærebat in arbore Peleus:*
*Tertia forma fuit maculoſæ tigridis; illa*
*Territus Æacides à corpore brachia ſolvit.*
*Iſque Deos pelagi* [b] *vino ſuper æquora fuſo,*
*Et pecoris fibris, & fumo thuris adorat,*
*Donec* [c] *Carpathius medio de gurgite vates,*
*Æacide, dixit, thalamis potière petitis:*
*Tu modò, cùm gelido ſopita quieſcit in antro,*
*Ignaram laqueis, vincloque innecte tenaci;*
*Nec te decipiat centum mentita figuras,*

x Peleum Æaci filiũ, quem peperit Iovi Ægina; ut alii, Europa.
y Promontoria utrinque.
z Hic nunc Emathia portus patriamque reviſit Pallenen, &c. Virgil. 4. Georg. de Proteo ipſo
y Πουλίδῃ Θέτιν κατέμαρψε ἐγκονητί. Pindarus 3. Nemeorũ.
z Thetis apud Homerum indignè fert nuptui ſe à Iove dari viro mortali, Ἐκ μὲν μ᾽ ἀλλάων ἁλιάων ἀνδρὶ δάμασσεν. & apud Qu. Calabrum Οὕνεκά μ᾽ οὐκ ἐθέλουσαν ἀνέρι δῶκε δαμῆναι, &c. lib. 3. vide Catulli epigr. 65. Pelei & Thetidos nuptias. a Φασὶ τὴν Θέτιν φεύγουσαν Πελέως συνουσίαν Πρὸς πῦρ, πρὸς ὕδωρ τρέπεσθαι, πρὸς φύσιν τῶν θηρίων. Πρὸς δὲ σηπίας μορφὴν, &c. Io. Tzetzes 2. Chil. 46. b Sicut Diis aliis in arâ, mensâ, foco aut terrâ libatum eſt. *Extaque ſalſos Porriciam in fluctus & vina liquentia fundam.* Virgil. 5. Æn. c *Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates Cæruleus Proteus*, Virg. 4. Georg.





*Sed preme quicquid erit,* [d] *dũ, quod fuit antè, reformet.*
*Dixerat hæc Proteus: & condidit æquore vultum,*
*Admiſitque ſuos in verba noviſſima fluctus.*
*Pronus erat Titan, inclinatoq; tenebat*
*Heſperium temone fretum cùm pulchra relicto*
*Nereïs ingreditur conſueta cubilia fluctu.*
*Vix bene virgineos* [e] *Peleus invaſerat artus:*
*Illa novat formas, donec ſua membra teneri*
*Senſit, & in partes diverſas brachia tendit.*
*Tum demum ingemuit, neq;, ait, ſine numine vincis,*
[f] *Exhibita eſtq; Thetis: confeſſam amplectitur heros,*
*Et potitur votis, ingentique* [g] *implet Achille.*

d Dum in priſtinam, & ſuam, redeat formam.
e Peleus, inquit Fulgentius, eſt πηλὸς, lutum, terra i. e. caro Thetis aqua, id eſt humor; Iupiter, qui utraque gignit & conjungit, eſt ignis i. e. anima. hinc natus Achilles i. e. homo perfectus, &c. l. 3. f Modo verſ. 255. g Impregnat, gravidam facit.

## Chione ab Apolline & Mercurio compreſſa, & Dædalion in accipitrem.

### FAB. 8.

*Felix & nato, felix & conjuge Peleus,*
*Et cui; ſi demas* [h] *jugulati crimina Phoci,*
*Omnia contigerant. Fraterno ſanguine ſontem,*
*Expulſumque domo patria* [i] *Trachinia tellus*
*Accipit: hîc regnum ſine vi, ſine cæde regebat*
*Lucifero genitore ſatus, patriumq; nitorem*
*Ore ferens Ceyx, illo qui tempore mœſtus,*
*Diſſimiliſque ſui, fratrem lugebat ademptum.*
*Quò poſtquam Æacides feſſus curaque viaque,*
*Venit, & intravit paucis comitantibus urbem,*
*Quoſq; gregres pecorum, quæ ſecum armenta trahebat,*
*Haud procul à muris ſub opaca valle reliquit.*
*Copia cùm facta eſt adeundi tecta tyranni,*

h Peleus Phocum fratrem diſco per quinquertii ludum, ſed ſævum, interemit. matri ſcil. gratificatus ſuæ, quæ Scyronis erat filia. namque Phocum Peleo peperit Pſamathe Nerei filia. Pauſan. Corinth. Ant. Liberalis 38. fabul. i Theſſaliæ regio τραχεῖα, in quâ Trachin urbs ab Hercule condita. infra verſ. 627. Apollodorus tamen l. 3. refert Peleum non Trachin ſed Phthiam exulatum perveniſſe.

k *Velamenta manu prætendens ſupplice, qui ſit*
*Quoque ſatus memorat: tantùm ſua crimina celat,*
l *Mentiturque fugæ cauſam; petit urbe vel agro,*
*Se juvet. Hunc contrà placido Trachinius ore*
*Talibus alloquitur:* m *Mediæ quoque commoda plebi*
*Noſtra patent, Peleu, nec inhoſpita regna tenemus,*
*Adjicis huic animo monimenta potentia, clarum*
*Nomen, avumq́ Iovem. Ne tempora perde precando:*
*Quod petis omne feres, tuaque hæc pro parte vocato,*
*Qualiacunque vides: utinam meliora videres!*
*Et flebat. Moveat tantos quæ cauſa dolores,*
*Et Peleus, comiteſque rogant: quibus ille profatur*
*Forſitan hanc volucrem, rapto quæ vivit, & omnes*
*Terret aves, ſemper pennas habuiſſe putetis.*
*Vir fuit: & tanta eſt animi conſtantia, quantùm*
*Acer erat, bellóque ferox, ad vimque paratus,*
*Nomine Dædalion,* n *illo genitore creatus,*
o *Qui vocat Auroram, cœloque noviſſimus exit.*
*Culta mihi pax eſt; pacis mihi cura tuendæ*
*Conjugiique fuit: fratri fera bella placebant.*
*Illius virtus gentes, regéſque ſubegit,*
*Quæ nunc* p *Thisbæas agitat mutata columbas.*
*Nata erat huic* q *Chione, quæ dotatiſſima formâ*
*Mille procis placuit, bis ſeptem nubilis annis.*
*Fortè revertentes Phœbus, Majáque creatus,*
*Ille ſuis Delphis, hic* r *vertice Cyllenæo,*
*Vidêre hanc pariter, pariter traxêre* ſ *calorem.*
*Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo:*
*Non fert ille moras, virgaq́ movente ſoporem*

k Velamenta ſupplicum erant κλάδοι ἐλαίας ἐρίῳ περιπεπλεγμένοι. Ariſtophanis interpr. in Pluto. Tacē quippe aut veniam petentes præferebant oleæ ramos laneis vittis obvolutos, qui repræſentarent manus vinctas & ſeſe dedentes. Virg. 7. Æn. 237. v. & 11. Æn. 160. verſ. l Diſſimulat veram, aliam commentus. m Commoda, quæ vel plebeiis hoſpitibus indulgemus, tibi viro nobili & claro negare perinjurium foret. n Lucifero, qui illi mecum genitor communis. o Auroræ prævius, & qui languentium ex conſpectu Solis orientis ſtellarum fixarum agmina cogit, & *cœli ſtatione noviſſimus exit.* l. 2. verſ. 115. utpote ſphærâ terræ propiore vectus. p Quaſlibet columbas Synecdoche. Thisbæ autem oppidum Bœotiæ columbis frequens. q Cui nomen fortè à nive, quæ χιών. De cognomine quâdam Martial. 3. lib. 34. ep. *Frigida es, & nigra es; non es, & es Chione.* r Monte Arcadiæ Amoris.





*Virginis os tangit. Tactu* t *jacet illa potenti,*
*Vimq́ Dei patitur. Nox cœlum ſparſerat aſtris:*
*Phœbus anum ſimulat,* u *præceptaq́ gaudia ſumit.*
*Ut ſua maturus complevit tempora venter:*
*Alipedis de ſtirpe Dei verſuta propago*
*Naſcitur Autolycus, furtum ingenioſus ad omne,*
*Qui facere aſſuêrat,* x *patriæ non degener artis,*
Candida de nigris, & de candentibus atra.
*Naſcitur è Phœbo* y *(namque eſt enixa gemellos)*
*Carmine vocali clarus citharaque* z *Philammon.*
*Quid peperiſſe duos, & Diis placuiſſe duobus,*
*Et forti genitore, & progenitore Tonante*
*Eſſe ſatam prodeſt?* An obeſt quoque gloria multis?
*Obfuit huic certè, quæ ſe præferre Dianæ*
*Suſtinuit, faciémque Deæ culpavit. At illi*
*Ira ferox mota eſt:* a *factiſque placebimus, inquit.*
*Nec mora: curvavit cornu, nervoque ſagittam*
*Impulit, & meritam trajecit arundine linguam.*
*Lingua jacet, nec vox, tentataq́ verba ſequuntur:*
*Conantemque loqui cum ſanguine vita reliquit.*
b *Quam miſer amplexans ego tunc, patrioq́ dolorem*
*Corde tuli, fratrique pio ſolatia dixi.*
*Quæ pater haud aliter, quàm cautes murmura Ponti*
*Accipit: & natam delamentatur ademptam.*
*Ut verò ardentem vidit; quater impetus illi*
*In medios fuit ire rogos: quater indè repulſus*
*Concita membra fugæ mandat, ſimiliſque juvenco*
*Spicula crabronum preſſa cervice gerenti,*
*Quà via nulla fugit: jam tum mihi currere viſus*
*Plus homine eſt, alaſque pedes ſumpſiſſe putares.*
*Effugit ergò omnes, veloxque cupidine lethi*

t Somno reſoluta. u Iam animo priùs concepta. Mss. & Vulg cod. *præcepta.* ſcil. a Mercurio. x Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Pater quidem Mercurius, Ἠῶος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐγκιθάριζεν, Ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. Filius Autolycus patriæ non degener artis, furta exercuit, & ipſe ὀξύχειρ καθάπερ ἐν τῇ γαστρὶ ἐκμελετήσας τὴν κλεπτικήν. ut, de patre, Lucianus in Dialogo Apollinis & Vulcani. y Superfœtationi hîc locus. z Philammonem hunc cum Argonautis navigâſſe, non Orphea, ex Pherecyda citat Apollonii interpres. Thamyræ Thracis patrem fuiſſe ſcribit Suidas. a Sarcaſmus: ſi non facie & formâ; re certè & facto ſenties me placituram. b Ita eſt in editione And. Naugerii, & Ms. Ciofani antiquiore. vulgati cod. habent. *Quàm miſer (ô pietas) ego tunc.*

*Vertice Parnaſſi potitur.* [c] *Miſeratus Apollo,*
*Cum ſe Dædalion ſaxo miſiſſet ab alto,*
*Fecit avem, & ſubitis pendentem ſuſtulit alis,*
*Oraq́; adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos,*
*Virtutem antiquam, majores corpore vires.*
*Et nunc accipiter nulli ſatis æquus, in omnes*
*Sævit aves, aliiſque dolens fit cauſa dolendi.*

c Aliam Metamorphoſ. cauſam ex Boëi Ornithogoniâ recitat. Ant. Liberalis fab. 3. Hieracem quia Teucris fame ab irato Neptuno immiſsâ laborantibus ſuppetias tuliſſet, ejuſdem numinis irâ in accipitrem verſum. καὶ τὸ ἦθος ἤλλαξεν, ἀφανίσας· μέγιστα γὰρ ὑπ' ἀνθρώπων φιληθέντα πλεῖστον ἐποίησεν ὑπὸ τῶν ὀρνέων μισηθῆναι, &c.

## Lupus in lapidem.

### FAB. 9.

QVæ dum Lucifero genitus miracula narrat,
[d] *De conſorte ſuo, curſu feſtinus anhelo*
*Advolat armenti cuſtos* [e] *Phocæus Anetor,*
*Et, Peleu Peleu, magnæ tibi nuncius adſum*
*Cladis, ait. Quodcunq́; ferat, jubet edere Peleus:*
[f] *Pendet & ipſe metu trepidi Trachinius oris.*
*Ille refert, Feſſos* [g] *ad litora curva juvencos*
*Appuleram,* [h] *medio cùm ſol altiſſimus orbe*
*Tantum reſpiceret quantum ſupereſſe videret:*
*Parſque boum fulvis genua inclinârat arenis,*
*Latarumque jacens campos ſpectabat aquarum;*
*Pars gradibus tardis illuc errabat & illuc;*
*Nant alii, celſoque extant ſuper æquora collo.*
[i] *Templa mari ſubſunt, nec marmore clara, nec auro,*
*Sed trabibus denſis, lucoque umbroſa vetuſto:*
*Nereïdes, Nereuſque tenent. Hos navita ponti*
*Edidit eſſe Deos, dum retia litore ſiccat.*
*Iuncta palus huic eſt denſis obſeſſa ſalictis,*

d De fratre ſuo Dædalione.

e E Phocide oriundus.

f Et ipſe Ceyx timore obmutuit.

g Aquatum, aut ad refrigerium. Mercurius, patris juſſu, armenta illius regionis ad litus compellit. ſub exitu lib. 2.

h *Iamque dies medius rerum contraxerat umbras, Et ſol ex æquo meta diſtabat utraque.* lib. 3.

i Adjacet mari templum, rude, inornatum, vili aut nullo ſchemate exultum, in luco veteri Nereo Nymphiſque marinis Nerei filiabus ſacro, quantum ex piſcatoribus intelleximus.





*Quam reſtagnantis fecit maris unda paludem.*
*Indè fragore gravi ſtrepitus loca proxima terret.*
*Bellua vaſta lupus, ſylviſque paluſtribus exit*
*Oblitus & ſpumis, & craſſo ſanguine rictus*
[k] *Fulmineos, rubra ſuffuſus lumina flammâ.*
*Qui quanquam ſævit pariter rabieque, fameque,*
*Acrior eſt rabie: Neque enim jejunia curat*
*Cæde boum, diramque famem finire, ſed omne*
*Vulnerat armentum, ſternitque hoſtiliter omnes.*
*Pars quoque de nobis funeſto ſaucia morſu,*
*Dum defenſamus, letho eſt data: ſanguine litus,*
*Undaq́; prima rubet,* [l] *demugitæque paludes,*
*Sed mora damnoſa eſt, nec res dubitare* [m] *remittit.*
*Dum ſupereſt aliquid, cuncti coëamus ad arma:*
*Arma capeſſamus, conjunctaque tela feramus.*
*Dixerat agreſtis. Nec Pelea damna movebant:*
[n] *Sed memor admiſſi Nereïda colligit orbam*
*Damna ſuo inferias extincto mittere Phoco.*
*Induere arma viros, violentaque ſumere tela*
*Rex jubet* [o] *Oetæus; cum quis ſimul ipſe parabat*
*Ire: ſed Halcyone conjux excita tumultu*
*Proſilit, & nondum totos ornata capillos,*
*Disjicit hos ipſos, colloque infuſa mariti,*
*Mittat ut auxilium ſine ſe, verbiſque precatur*
*Et lacrymis, animaſque duas ut ſervet in unâ.*
*Æacides illi: Pulchros, Regina, pioſque*
*Pone metus;* [p] *plena eſt promiſſi gratia veſtri:*
*Non placet arma mihi contra nova monſtra movere;*
*Numen adorandum pelagi eſt. Erat ardua turris.*
*Arce locus ſumma, feſſis loca grata carinis.*
*Aſcendunt illuc, ſtratoſque in litore tauros*
*Cum gemitu aſpiciunt, vaſtatoremque cruento*
*Ore ferum, longos infectum ſanguine villos.*

k Fulminis inſtar omnia proſternentis. De fulmineis apri dentibus dictum ad 305. v. l. 8.

l Boum ſauciorum mugitu reboantes.

m Permittit. ut lib. ſeq. *Viribus uſus avis, pennis, roſtroque redunco.* pro adunco.

n Conſcius ſibi parricidii Peleus ſuſpicatur Pſamathen, Nerei filiam, quæ in templo illo colebatur, ſibi infenſam, boum cæde filio ſuo Phoco inferias referre velle; reprimit ergo ſe ſuoſque ab armis & vindictâ, atque ad placandum numen ſe convertit. o Ceyx rex Trachinis urbis Theſſaliæ, quam Hercules ſub Oetâ monte condidit. ſupra ad 270. verſ. p Pro plenâ cumulatâque gratiâ duco promiſſum à vobis hoſpitium, oblatum auxilium. illo quidem utar, hoc minimè. precibus avertenda eſt numinis infenſi ira.

q Indè manus tendens in aperti litora ponti,
Cæruleam Peleus Pſamathen, ut finiat iram,
Orat, opemque ferat. Nec vocibus illa rogantis
Flectitur Æacidæ: Thetis hanc pro conjuge ſupplex
Accepit veniam. Sed enim irrevocatus ab acri
Cæde lupus perſtat, dulcedine, ſanguinis aſper,
Donec inhærentem laceræ cervice juvencæ
Marmore mutavit, corpus, præterque colorem,
Omnia ſervavit. Lapidis color indicat illum
Iam non eſſe lupum, jam non debere timeri.
Nec tamen hac profugum conſiſtere Pelea terrâ
Fata ſinunt: Magnetas adit vagus exul, & illic
Sumit ab Æmonio purgamina cædis Acaſto.

q Sed audi Ant. Liberalem fab. 38. Peleus ad Eurytionem Iri fil. ſe confert, eique ſupplex cæde expiatur. Hunc Peleus in venatione poſtea, dum aprum ferire intendit, imprudens interficit. profugus deinde ad Acaſtum contendit. is eum (ab uxore falſo inſimulatum de ſolicitatâ pudicitiâ quum ipſa in amore repulſam à continenti Peleo paſſa eſſet. ut Pindarus Nemeor. 5. & Horat. 7. ode 3. l.) in Pelio monte ſolum & inermem deſtituit. Peleus oberrans ad Chironem venit. inde multis ovibus & bobus collectis ad Irum pergit, eaque cædis mulctæ nomine offert. cùm recuſaret Irus, Peleus ea, oraculo monitus, incuſtodita dimittit. Ibi lupus ea invadit & occidit. Is lupus divino prodigio in ſaxum mutatur, quod diu permanſit inter Locridem & Phocidem.

## Ceyx & Halcyone in halcedones. FAB. 10.

INterea r fratriſque ſui, fratrémque ſecutis
Anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,
Conſulat ut ſacras hominum ſ oblectamina ſortes,
t Ad Clarium parat ire Deum: nam templa u profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica u Phorbas.
Conſilii tamen antè ſui fidiſſima certam
Te facit Halcyone: cui protinus intima frigus
Oſſa receperunt, buxoque ſimillimus ora
Pallor obit, lacrymiſque genæ maduere profuſis.
Ter conata loqui, ter fletibus ora rigavit,
Singultuque pias interrumpente querelas,

r Dædalionis Chione filiâ Dianæ iram provocante, orbati, ipſius deinde in accipitrem mutati, lupi denique Pelei hoſpitis ſui boves perſecuti, in lapidem verſi prodigiis territus.

ſ Quæ mentes humanas anxiis expediant curis, futura præmoneant, infortuniis medeantur. t Ad Apollinis Clarii oraculum. Claros autem urbs fuit Ioniæ non procul à Colophone. ubi templum & nemus Apollini dicatum. Strabo. l. 14. u Theſſalus, Lapithæ filius, vir ferox & ſacrilegus. Pauſan. Eliac. prior. Phlegyas autem Delphicum templum ſpoliare agreſſos, idem ſtatur in Phocicis.

Qui



Quæ mea culpa tuam, dixit, chariſſime mentem
Vertit? ubi eſt, quæ cura mei prior eſſe ſolebat?
Iam potes Halcyone ſecurus abeſſe relictâ?
Iam via longa placet? jam ſum tibi charior abſens?
At puto per terras iter eſt? tantumq; dolebo,
Non etiam metuam? curæque timore carebunt?
Æquora me terrent, & ponti triſtis imago:
Et laceras nuper tabulas in litore vidi,
Et ſæpe in x tumulis ſine corpore nomina legi.
Néve tuum fallax animum fiducia tangat,
Quòd ſocer y Hippotades tibi ſit, qui carcere fortes
Contineat ventos, &, cùm velit, æquora placet:
Cùm ſemel emiſſi tenuerunt æquora venti,
Nil illis vetitum eſt; z incommendataque tellus
Omnis, & omne fretum eſt; cœli quoq; nubila vexant,
Excutiuntque feris rutilos concurſibus ignes.
Quo magis hoc novi (nam novi, & ſæpe paternâ
Parva domo vidi) magis hos reor eſſe timendos.
Quòd tua ſi flecti precibus ſententia nullis
Chare poteſt conjux, nimiumq; es certus eundi,
Me quoque tolle ſimul, certè jactabimur unà:
Nec, niſi quæ patiar, metuam, paritérque feremus
Quicquid erit, pariter ſuper æquora lata feremur.
Talibus a Æolidis dictis lachrymiſque movetur
b Sydereus conjux: c neq; enim minor ignis in ipſo eſt.
Sed neque propoſitos pelagi dimittere curſus,
Nec vult Halcyonen in partem adhibere pericli;
Multaque reſpondit timidum ſolantia pectus:
d Non tamen idcirco cauſam probat; addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo ſolo flexit amantem.
Longa quidem eſt nobis omnis mora: ſed tibi juro

x Sicubi in bello, naufragio aut peregrè interiiſſent aliqui, ita ut corpora eorum haberi non poſſent ad ſepulturam juſtam, amicorum pietas illis extruebat repræſentativa buſta, ſepulchra imaginaria ſeu cenotaphia perſuaſum ſc. antiquis inſepultorum animas, Styga trajicere non poſſe per annos 100. niſi corporibus quoquo modo ſepultis juſtiſque peractis. tumulum inanem Hectoris appellat Virgil. 3. Æneid. & Deiphobi 6. Æneid. Vide Anthologiæ lib. 4. cap. 22. εἰς Ναυαγήσαντας. y Æoli filii Hippotæ filiam facit: Lucianus verò, in Halcyone ſuâ, filiam Æoli Hellenis, qui fuit Deucalionis nepos. z Suſque deque habita ſine reſpectu aut curâ perturbata. *verrunt-que per auras.* Æneid. 1. *Maria ac terras cœlumque profundum Quippe ferunt rapidi ſecum,* lib. 4. verſ. 663. a Halcyones, quam noſter b Ceyx Luciferi filius. c Neque enim in amore mutuo cedit uxori. d Non tamen perſuadit uxori, quo minus diſceſſum ægrè ferat.



e Per

e *Per patrios ignes, (ſi me modo fata remittant)*
*Antè reverſurum quàm Luna bis impleat orbem.*
*His ubi promiſſis ſpes eſt admota recurſus:*
*Protinus eductam navalibus æquore tingi,*
f *Aptarique ſuis pinum jubet armamentis.*
*Quæ rurſus viſa, veluti præſaga futuri*
*Horruit Halcyone, lacrymaſque emiſit obortas,*
*Amplexuſque dedit, triſtique miſerrima tandem*
*Ore vale, dixit., g collapſaque corpore toto eſt.*
*At juvenes, quærente moras Ceyce, reducunt*
h *Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,*
*Æqualique ictu ſcindunt freta. Suſtulit illa*
*Humentes oculos, ſtantemque in puppe recurvâ,*
*Concuſſaque manu dantem ſibi ſigna maritum*
*Prima videt, redditque notas, ubi terra* i *receſſit*
*Longiùs, atque oculi nequeunt cognoſcere vultus:*
*Dum licet, inſequitur fugientem* k *lumine pinum.*
*Hæc quoque, ut haud poterat ſpatio ſummota videri,*
*Vela tamen ſpectat ſummo fluitantia malo.*
*Ut nec vela videt, vacuum petit anxia lectum,*
*Seque toro ponit: renovat lectuſque locuſque*
*Halcyones lacrymas, & quæ pars admonet* l *abſits*
*Portubus exierant, & moverat aura rudentes*
*Obvertit lateri pendentes navita remos,*
*Cornuaque in ſumma locat arbore, totaque malo*
*Carbaſa deducit, venienteſque excipit auras.*
*Aut minus, aut certè medium non amplius æquor*
*Puppe ſecabatur, longeque erat* m *utraque tellus:*
*Cùm mare ſub noctem tumidis albeſcere cœpit*
*Fluctibus, & præceps ſpirare valentiùs Eurus.*
*Ardua jamdudum demittite cornua, rector*

e Per patrem meum Luciferum ſtellam lucidiſſimã. f Inſtrui navem jubet, armarique malis, antennis, velis, rudentibus, remis. g Animo delinquens *auras ægre ſugit.* h De remorum remigumque ordinibus, vide quæ nos ad 5. l. Æn. *triplici pubes quam Dardana verſu impellunt; terno conſurgunt ordine remi.* verſ. 119. & quos ibi citamus. i Videſne navem illam? (inquit Cicero in Lucullo.) ſtare nobis videtur: at iis qui in navi ſunt, moveri hæc villa. quære rationem cur ita videatur, &c. reddent Mathematici. Oculus nempe quieſcere nos judicans, motu conſpecto, quaſi ſemet retractans, terram retro tendere, ſolventibus è portu, opinatur, *Provehimur portu. terræque urbeſque recedunt.* 3. Æneid. & Lucret. 4. l. *Qua vehimur navi, fertur, cum ſtare videtur: Quæ manet in ſtatione, ea præter creditur ire,* &c. ſupra 6. l. 518. verſ. k Oculis proſpicientibus virum, navem, vela denique. l Priſcianus lib. 9. legit. *abſtit.* i. e. abſtitit. verùm nil tanti eſt. m Hinc Trachine, inde Ionia in quâ Claros. ſupra verſ. 383.





*Clamat, &* n *antennis totum ſubnectite velum.*
*Hic jubet: impediunt adverſæ juſſa procellæ,*
*Nec ſinit audiri vocem fragor æquoris ullam;*
*Sponte tamen properant. Alii ſubducere remos,*
*Pars munire latus, pars ventis vela negare:*
*Egerit hic fluctus,* o *æquorque refundit in æquor;*
*Hic rapit antennas, quæ dum ſine lege geruntur,*
*Aſpera creſcit hyems, omnique à parte feroces*
*Bella gerunt venti, fretaque indignantia miſcent.*
*Ipſe pavet, nec ſe, quis ſit ſtatus, ipſe fatetur*
*Scire ratis rector, nec quid jubeatve, velitve:*
*Tanta mali moles, tantoque potentior arte eſt.*
*Quippe ſonant clamore viri, ſtridore rudentes*
*Undarum incurſu gravis unda, tonitrubus æther.*
*Fluctibus erigitur, cœlumque æquare videtur*
*Pontus, & inductas aſpergine tangere nubes.*
p *Et modo, cùm fulvas ex imo vertit arenas,*
*Concolor eſt illis; Stygia modò nigrior undâ;*
*Sternitur interdum, ſpumiſque ſonantibus albet.*
*Ipſa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis;*
*Et nunc ſublimis veluti de vertice montis*
*Deſpicere in valles, imumque Acheronta videtur:*
*Nunc, ubi demiſſam curvum circumſtetit æquor,*
*Suſpicere inferno ſummum de gurgite cœlum.*
*Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragorem:*
*Nec leviùs pulſata ſonat, quàm ferreus olim*
*Cùm laceras aries balliſtave concutit arces.*
*Utque ſolent, ſumptis incurſu viribus, ire*
*Pectore in arma feri protentaque tela leones:*
*Sic ubi ſe ventis commiſerat unda coortis.*

n Nautæ, ſi quandoſpirante valentius Euro ingruat tempeſtas, aut etiam ventis nimium ſecundis vela negent, demittunt antennas, vela colligunt, & complicata antennis ſubnectũt. Fruſtra itaque ſunt qui interpretantur, *ſubducite, detrahite velum antennis,* &c. *Eſt enim* inquiunt *dictũ quaſi denectite.* o Ecquid elegantius aut ingenioſius dici fingive poteſt? & tamen Hypercriticus Iul. Scalig. in 5. l. poetices qui Criticus inſcribitur 12. c. *nimis properè* hæc induci à noſtro clamitat. *At enimvero,* inquit, *nautas ita repente facere amentes minimè decuit. nondum enim re deſperata, Hic rapit antennas,* &c. p Tempeſtatem hanc maris confer, ſi lubet, cum Virgilianâ, 1. Æneid. verſ. 83. ut & illâ 3. Æneid. 194. & in Culice verſ 346. videantur & Horat. 10. Epod. Ovid. Faſtor. 3. v. 587. Ovid. Triſt. 1. lib. el. 2 & 3. & eleg 10. Senec. Agamemn. v. 462. Thyeſt. 575. Lucan. 5. l. v. 565 & 625. Stat. Theb. 3. lib. v. 26 & 5. l. v. 363. Sil. Ital. 17. lib. verſ. 241. Val. Flacc. 1. lib. 614. verſ. Iuvenal. 12. Sat. 17. verſ. Barcl. Euphor. 1. lib. 2. metr. Cauſsin. Solym. 3. act. ſcen. 2. Iac. Gaddii lib. 2. verſ. 65.

*Ibat in q arma ratis, multoque erat altior illis.*
*Iamque labant r cunei, ſpoliataque tegmine s ceræ*
*Rima patet, præbetq́; viam lethalibus undis.*
*Ecce! cadunt largi reſolutis nubibus imbres:*
*Inque fretum credas totum deſcendere cœlum;*
*Inque plagas cœli tumefactum ſcandere pontum.*
*Vela madent nimbis, & cum cœleſtibus undis*
*Æquoreæ miſcentur aquæ, caret t ignibus æther,*
*Cæcaq́; nox premitur tenebris hyemiſque ſuiſque.*
*Diſcutiunt tamen has, u præbentq́; micantia lumen*
*Fulmina: fulmineis ardeſcunt ignibus undæ.*
*Dat quoque jam ſaltus intra cava texta carinæ*
*Fluctus, & ut miles numero præſtantior omni*
*Cùm ſæpe aſiliit defenſæ mœnibus urbis,*
*Spe potitur tandem, laudiſque accenſus amore*
*Inter mille viros, murum tamen occupat unus:*
*Sic, ubi pulsârunt celſi latera ardua fluctus,*
*Vaſtius inſurgens x decimæ ruit impetus undæ;*
*Nec priùs abſiſtit feſſam oppugnare carinam,*
*Quàm velut in captæ deſcendat mœnia navis.*
*Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum,*
*Pars maris intus erat: trepidant haud ſegniùs omnes,*
*Quàm ſolet urbs, aliis murum fodientibus extrà,*
*Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus,*
*Deficit ars; animique cadunt: totidemque videntur,*
*Quot veniunt fluctus, ruere, atque irrumpere mortes.*
*Non tenet hic lacrymas; ſtupet hic; vocat ille beatos,*

q Supra verſ. 456. r Quibus tabulæ navium inter ſe committuntur. Subſeudes, Feſt. 17. l. cuneatę tabellæ, quibus tabulæ inter ſe configuntur: quia, quo eæ immittuntur, ſucciditur. Turnebo 14. lib. 1. c. ſucciditur. Vitruvio l. 10. ſecuriculæ, à formâ, quibus duo tigna tenaciſſimè inter ſe vinciuntur. Noſtri hirundinum caudas appellant. s Picis, quâ obducuntur navium rimæ. Scaliger 5. l. poet. 12. c. hunc locum confert cū illo Virgiliano; *laxis laterum compagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem rimiſque fatiſcunt.* t Stellis, quæ jam nubibus obductæ. u *Incendia lumen Præbebant, aliquiſque malo fuit uſus in illo.* 2. lib. de Phaëthontis incendio. x Decumanus fluctus, qui maximus putatur. Sic & maxima quæque dicuntur decumana. Ova, ſcuta, porta in caſtris, decumana. denarium quippe numerum volebant eſſe perfectiſſimum, ut qui conſtet ex uno, duobus, tribus & quatuor. undè ad numerum denarium progreſſi redimus ad unitatem. Sphærarum inſuper decada mundo tribuebant Pythagoræi. Laudat & ipſe Scaliger 5. l. Poët. 12. c. numeri hujus expreſſionem 2. el. 1. l. Triſtium. *Qui venit hic fluctus, fluctus ſupereminet omnes, Poſterior nono eſt, undecimoque prior.*





*y Funera quos maneant; hic votis numen adorat,*
*Brachiaq́; ad cœlum, quod non videt, irrita tollens*
*Poſcit opem. ſubeunt illi fratèrque, parenſque;*
*Huic cum pignoribus domus, & quod cuiq́; relictum eſt.*
*Halcyone Ceyca movet, Ceycis in ore*
*Nulla niſi Halcyone eſt; &, cùm deſideret unam,*
*Gaudet abeſſe tamen; patriæ quoque vellet ad oras*
*Reſpicere, inque domum ſupremos vertere vultus;*
*z Verùm ubi ſit neſcit: tanta vertigine pontus*
*Fervet, & inducta piceis è nubibus umbrâ.*
*Omne latet cœlum, a duplicataq́; noctis imago eſt.*
*Frangitur incurſu nimboſi turbinis b arbor,*
*Frangitur & c regimen, ſpoliiſque animoſa ſuperſtes*
*Unda, velut victrix, ſinuataque deſpicit undas;*
*d Nec levius quàm ſi quis Athon, Pindumq́; revulſos*
*Sede ſua, totos in apertum verteret æquor,*
*Præcipitata cadit; paritérque & pondere, & ictu,*
*Mergit in ima ratem: cum qua pars magna virorum*
*Gurgite preſſa gravi, neque in aëra reddita, fato*
*Functa ſuo eſt. alii partes, & membra carinæ*
*Trunca tenent, tenet ipſe manu, qua ſceptra ſolebat,*
*Fragmina navigii Ceyx, e ſocerumque, f patremque*
*Invocat (heu!) fruſtra. Sed plurima nantis in ore*
*Halcyone eſt conjux: illam meminitq́; refértque;*
*Illius ante oculos ut agant ſua corpora fluctus,*
*Optat, & exanimis manibus tumuletur amicis.*
*Dum natat, abſentem, quoties ſinit hiſcere fluctus,*
*Nominat Halcyonen: ipſiſq́; immurmurat undis.*
*Ecce! ſuper medios fluctus g niger arcus aquarum*
*Frangitur, & rupta merſum caput obruit unda.*
*Lucifer obſcurus, nec quem cognoſcere poſſes,*

y In mari interire acerbè tulerunt fortes, ubi virtuti ſuæ non erat locus, ut pulchrè exirent è vitâ. Ariſtot. 3. l. Ethic. Nicom. 6. cap. Adde quod animam cenſebant veterum plerique igneam eſſe quam in aquis extingui naturæ contrarium videbatur. Super omnia exequiarum honore deſtitui & exequiis, horrebant. ſine quibus Styga tranſvehi per annos 100. deſperabant. Vide quæ ad v. 429. ſupra. & Triſt. 1. lib. el. 2. *Eſt aliquid fatove ſuo, &c.*

z A quâ verò parte ſita ſit patria, neſcit. a Supra verſ. 251. *Cæcaque nox premitur tenebris hyemiſque ſuiſque.* b Malus. c Clavus gubernaculum. d Naufragium deſcribunt Lucret. 2, lib. 552, verſ. Propert. 3, lib. 5. eleg. Lucan. 1. lib. 498, verſ. Silius 10. lib. 321, verſ. Iuvenal. 14. Sat. 395, verſ. Claudian. 4, conſ. Honorii verſ. 136. e Æolum. f Luciferum. g Nubes atra, aquis gravida, inquiunt. ego fluctum inſtar arcus triumphalis advolutum factumque intelligo.

*Illa nocte fuit; quoniamque excedere cœlo*
*Non licuit, denſis texit ſua nubibus ora.*
*Æolis interea tantorum ignara malorum*
*Dinumerat noctes: & jam, quas induat ille,*
[h] *Feſtinat veſtes, jam quas, ubi venerit ille,*
*Ipſa gerat: reditusque ſibi promittit inanes.*
*Omnibus illa quidem ſuperis pia thura ferebat:*
[i] *Ante tamen cunctos Iunonis templa colebat,*
*Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras,*
*Utque foret ſoſpes conjux ſuus, utque rediret*
*Optabat, nullamque ſibi præferret: At illi*
[k] *Hoc de tot votis poterat contingere ſolum,*
*At Dea non ultrà pro functo morte rogari*
*Suſtinet: utque manus funeſtas arceat aris,*
*Iri, meæ, dixit, fidiſſima nuncia vocis*
*Viſe ſoporiferam Somni velociter aulam,*
*Extinctique jube Ceycis imagine mittat*
*Somnia ad Halcyonen veros imitantia caſus.*
*Dixerat.* [m] *Induitur velamina mille colorum*
*Iris, & arcuato cœlum curvamine ſignans*
*Tecta petit juſſi ſub nube latentia regis.*
[n] *Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu*
*Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni,*
*Quò nunquam radiis oriens, mediuſve, cadenſve,*
*Phœbus adire poteſt: nebulæ caligine miſtæ*
*Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.*
*Non* [o] *vigil ales ibi criſtati cantibus oris*
*Evocat Auroram, nec voce ſilentia rumpunt*

h Non patronis tantum purpuras trahebant clientę plebeiæ, ut Horat. 18. ode l. 2. ſed & nobiliſſimarum fœminarũ erat lana ac tela. viris, fratribus, ſibi, liberis veſtes manu ſua texebant. ut omittam Deïaneiram & Clytemnæſtram; Auguſtus non temerè aliâ quàm domeſtica veſte uſus eſt, ab uxore & ſorore & filiâ neptibuſque confectâ. Sueton. Auguſt. 73. c. ad quem locum vide quæ Cauſabonus. i Virg. 4. Æneid. *Iunoni ante omnes cui vincla jugalia curæ.* k Vt nullam aliam ipſi præferret. l Thura manibus funeſtis injiciebat aris, ſi cui polluta eſſet domus morte alicujus è familia. m *Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis, Mille trahens varios adverſo Sole colores Devolat.* Æneid. 4. ſub exitu libri. ad quem locum vide quæ nos. videatur & Iul. Scalig. exercitat. 80. n Somni regiam accommodatiſſimè amovet ad Scythię regionẽ, frigidam, tenebroſam, humidam, Boſphorum Cimmerium, Ἔνθα ἢ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε Ἠέρι ἢ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, ὐδέποτ' αὐτοὺς Ἠέλιος Φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν Οὐδ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα Οὐδ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται, &c. Homer. Odyſ. 11. o Gallus.





*Sollicitive canes,* [p] *canibuſve ſagacior anſer;*
*Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,*
*Humanæve ſonum reddunt convitia linguæ:*
*Tuta quies habitat; ſaxo tamen exit ab imo*
[q] *Rivus aquæ Lethes, per quem cum murmure labens*
*Invitat ſomnos crepitantibus unda lapillis.*
[r] *Ante fores antri fœcunda papavera florent,*
*Innumeræque herbæ: quarum de lacte ſoporem*
*Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.*
*Ianua, nè verſo ſtridorem cardine reddat,*
*Nulla domo tota eſt, cuſtos in limine nullus:*
*At medio torus eſt hebeno ſublimis in antro*
*Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,*
*Quo cubat ipſe Deus membris languore ſolutis.*
*Hunc circa paſſim varias imitantia formas*
[ſ] *Somnia vana jacent totidem, quot meſſis ariſtas,*
*Sylva gerit frondes, ejectat litus arenas.*
*Quò ſimul intravit, manibuſq; obſtantia virgo*
*Somnia dimovit, veſtis fulgore reluxit*
*Sacra domus, tardaque Deus gravitate jacentes*
*Vix oculos tollens, iterumque iterumq; relabens,*
*Summaq; percutiens nutanti pectora mento,*
*Excuſſit tandem* [t] *ſibi ſe, cubitoque levatus,*
*Quid veniat (cognovit enim) ſcitatur: At illa,*
*Somne* [u] *quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,*
*Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris*
*Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori:*
*Somnia, quæ veras æquant imitamine formas,*
[x] *Herculeam Trachina jube, ſub imagine regis,*
*Halcyonen adeant, ſimulacraque naufraga fingant.*
*Imperat hoc Iuno. Poſtquam mandata peregit,*

p Reſpicit hiſtoriam Rom. quæ ab anſeribus excitati canes, Manlius aliique repulerunt Gallos qui noctu Capitolium conſcenderant Liv. 5. l. Columella l. 8. cap. 13. q Et ſomno tanquam ἀδῦ κασιγνήτῳ convenit Lethe; & dormientes occupat ad tempus rerum oblivio, necnon ſomniculoſos veternum. r Civitatem ſomni, quam deſcribit Lucian. 2. lib. verar. hiſt. cingit ſylva, cujus arbores μήκωνες ὑψηλαὶ ἢ μανδραγόραι. Elegantiſſimè autem apponit quæ ſomnum concilient: amovet quæ ſomnum impediant. ſ Et ſomniorum formas atque naturas varias recenſet Lucianus lib. modò dicto. vide & Indicem Poeticum noſtrum. tit. *Somnium.* t Somno ſomnum. Ὀξύμωρον 3. lib. 5. verſ. 7. lib. 341. verſ. 8. lib. 477. verſ. u Lege ὕπνου θυμίαμα, in iis quę tribuuntur Orpheo. & quos citat autores Index noſter Poëticus tit. *Somnus.* x Ab Hercule conditam ad verſ. 383. ſupra.

Iris abit; y neq; enim ulteriùs tolerare ſoporis
Vim poterat: labique ut ſomnum ſenſit in artus,
Effugit, & remeat, per quos modò venerat arcus.
At pater z è populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem, ſimulatoremq; figuræ
Morphea: Non illo juſſos ſolertiùs alter
Exprimit inceſſus, vultumque ſonumque loquendi;
Adjicit & veſtes, & conſuetiſſima cuique
Verba; ſed hic ſolos homines imitatur. a At alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens:
Hunc Icelon ſuperi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Eſt etiam diverſæ b tertius artis
Phantaſos: ille in humum, ſaxumque, undamque, trabemque
Quæque vacant anima fallaciter omnia tranſit.
Regibus hi, ducibuſque ſuos oſtendere vultus
Nocte ſolent: populos alii, plebemq; pererrant.
Præterit hos ſenior: cunctiſque è fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit, & rurſus molli languore ſolutus,
Depoſuitque caput, ſtratoque recondidit alto.
Ille volat nullos ſtrepitus facientibus alis
Per tenebras, intraq; moræ breve tempus in c urbem
Pervenit Æmoniam, poſitiſq; è corpore pennis
In faciem Ceycis abit, ſumptaque figurâ
Luridus, exanimi ſimilis, ſine veſtibus ullis,
Conjugis ante torum miſeræ ſtetit: uda videtur
Barba viri, madidiſque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu ſuper ora profuſo,
Hæc ait: Agnoſcis Ceyca, miſerrima conjux?
An mea mutata eſt facies nece? reſpice: noſces,
Invenieſque tuo pro conjuge conjugis umbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua e vota tulerunt.
Occidimus: falsò tibi me promittere noli.

y Ita & Ceteris nympha lib. 8. verſ. 814. *Quanquam aberat longè, quanquam modo venerat illuc, Viſa tamen ſenſiſſe famem*, &c. z Ex numero innumero ſomniorum evocat Morphea, qui primipilus, tribunus, ceu dux ſomniorũ, quę formam, perſonamque humanam ſuſtinere poſſunt. a Secundus hic princeps eſt eorum, quæ animantium ſed rationis expertium aſſumunt imagines, unde Icelos, & quia terret, Phobetor dictus. b Tertius eorum præfectus, quæ inanimatorum repræſentant imagines. unde & nomen. Quintum hoc ſomniorum genus ſtatuitur à Macrobio lib. 1. in ſomnium Scipionis cap. 3. c Trachina, urbem Theſſaliæ, ut ſupra ad 270. verſ. d Naufragi. e Redi ad verſ. 577. ſupra.

Nubilus



Nubilus f Ægæo deprendit in æquore navem
Auſter, & ingenti jactatam flamine ſolvit:
Oraque noſtra tuum fruſtra g clamantia nomen
Implêrunt fluctus. Non hæc tibi nunciat autor
Ambiguus, non iſta vagis rumoribus audis;
Ipſe ego fata tibi præſens mea naufragus edo:
Surge age, da h lacrymas, i lugubriaque indue: nec me
Indeploratum ſub k inania Tartara mitte.
Adjicit his vocem Morpheus, quam conjugis illa
Crederet eſſe ſui: fletus quoque fundere veros
Viſus erat, l geſtumque manus Ceycis habebat.
m Ingemit Halcyone: lacrymas movet atq; lacertos
Per ſomnum, corpuſque petens amplectitur auras.
Exclamatque, Mane, Quò te rapis? Ibimus una.
Voce ſua, ſpecieque viri turbata, ſoporem
Excutit, & primò ſi ſit circumſpicit illic
Qui modò viſus erat: nam moti voce miniſtri
Intulerant lumen) Poſtquam non invenit uſquam,
Percutit ora manu, n laniatque à pectore veſtes,
Pectoraque ipſa ferit, nec crines ſolvere curans
Scindit, &, o altrici, quæ luctus cauſa, roganti,

f Quod è ſinu Maliaco ſub Heracleâ ceu Trachine ſolventi trajiciendum eſt in Ioniam naviganti. ſupra v. 478 namque Ægæum mare duo alluit Græciæ latera, illud ad ortum Solis, hoc ad Meridiem, &c. Strabo lib. 7. Ægæum unde dicatur vide quæ ad Senecæ Thebaidem verſ. 313. g Verſ. 566. ſupra.

h Lacrymas in juſtis deſiderari, deberi, ſolvi, nemo non novit. Δεύετο δὲ χθὼν πᾶσα περὶ νέκυν Αἰακίδαο δάκρυσι, καὶ μέγα πένθος ἐνέστενεν ἀμφὶ δὲ λαῶν Μυρμιδόνων δάκρυσι φορύνετο τεύχεα πάντα. Quint. Calaber. 3. l. Nec minùs in funerum umbris exigebantur, & inferiis. Ὄφρα τύχοι καλὰ πότμον ἐϋκλαύτοιο κονίης. Nonnus lib. 11. Dionyſiac. i Veſtes pullas, luctui convenientes. l. 8. v. 448. *Et auratis mutavit veſtibus atras.* k Virgil. 6. Æn. dixit *domos Ditis vacuas & inania regna.* in quibus ſc. neque corpora, nec animæ, ſed idola tantùm, umbræ & ſimulachra rerum. Dido 4. Æneid. *Et nunc magna mei ſub terris ibit imago.* Ἦ ῥά τίς ἐστι καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι ψυχὴ καὶ εἴδωλα, ἀτὰρ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν. & Οἴῳ πεπνῦσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι, &c. quæ Homeri citat Plato 3. de Republicâ. Hinc Horatio 4. ode lib. 1. *domus exilis Plutonia.* niſi præferas lectionem Cl. Heinſii *domus exilis Plutonia* quam confirmat ex eodem, ode 3. lib. 2. *Et nos in æternum Exilium impoſitura cymbæ.* l Planudes, καὶ σκῆπτρον τῇ χειρὶ εἶχε. m *Ingemit Halcyone lacrymans, movet atque lacertos.* editio Aldina. n In dolore crines lacerare, veſtes abſcindere uſitatum. 12. Æneid. Amata *moritura manu diſcindit amictus.* ibid. *it ſciſſa veſte Latinus.* Curtius 3. lib. nobilium fœminarum turba ſteterat, laceratis crinibus, abſciſſa veſte. o Principibus & nobilibus fœminis additæ à poetis nutrices à conſiliis.

P Nulla

p Nulla eſt Halcyone, nulla eſt, ait, occidit unà
Cum Ceyce ſuo: ſolantia tollite verba
Naufragus interiit; vidi, agnovique, manuſque
Ad diſcedentem, cupiens retinere, tetendi:
Umbra fuit ſed & umbra tamen manifeſta, viriqne
Vera mei. Non ille quidem, ſi quæris, habebat
Aſſuetos vultus, nec, quo priùs, ore nitebat.
Pallentem, nudumque, & adhuc humente capillo,
Infelix vidi; ſtetit hoc miſerabilis ipſo
(Ecce!) loco: & q quærit veſtigia ſiqua ſuperſint.
Hoc erat, hoc animo quod divinante timebam,
Et, nè me fugiens ventos ſequerêre, rogabam:
At certe vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoq; duxiſſes. Fuit (ah!) fuit utile, tecum
Ire mihi: r neque enim vitæ de tempore quicquam
Non ſimul egiſſem, nec mors diſcreta fuiſſet.
Nunc abſens perii, jactor quoque fluctibus abſens,
Et ſine me te pontus habet: crudelior ipſo
Sit mihi mens pelago, ſi vitam ducere nitar
Longiùs, & tanto pugnem ſupereſſe dolori.
Sed neque pugnabo, nec te, miſerande, relinquam:
Et tibi nunc ſaltem veniam comes, inque s ſepulcro
Si non urna, tamen junget nos t littera; ſi non
Oſſibus oſſa meis, at nomen nomine tangam.
Plura dolor prohibet: verboque intervenit omni
Plangor, & attonito gemitus à corde trahuntur.
Manè erat: egreditur tectis ad litus, & illum
Mæſta locum repetit, de quo ſpectârat * euntem.
u Dumq; moratur ibi, dumque, hinc retinacula ſolvit,
Hoc mihi diſcedens dedit oſcula litore, dixit;
Dumq; notata oculis reminiſcitur acta, fretumque
Proſpicit; in liquida ſpatio diſtante tuetur
Neſcio quid; x quaſi corpus, aqua; primoq;, quid illud

p Perii, interii, occidi, nulla ſum.
q Pulchra, & mira inquit Glareanus, phantaſia.
r Te pereunte, quæ melior pars mei. δύο μὲν σώματα, ψυχὴ δ᾽ μία.
s Vide quæ dicta ad verſ. 429. ſupra, de cenotaphiis, ſepulchris imaginariis, tumulis honorariis ſive repræſentativis.
t Epitaphium. Inſcribar ſcil. ſepulchro Halcyone Ceycis conjux. lib. ſeq. 2. verſ. de cenotaphio, tumulo quoque nomen habenti.
* Diſcedentem Ceyca.

u Dixitque ſibi Halcyone, dum Ceyx meus hic morabatur, dum hinc ſolvebat, diſcedens dedit mihi hoc in loco oſcula. x Proſpicit primùm quaſi corpus; deinde propiùs appulſum apparet eſſe corpus humanum; appropinquans denique planè corpus eſt mariti ſui.

Eſſet,



Eſſet, erat dubium: poſtquam paulum appulit unda,
Et quamvis aberat, corpus tamen eſſe liquebat.
Quis foret ignorans, quia naufragus, omine mota
eſt:
Et tanquam ignoto lacrymas daret, Heu miſer, inquit,
Quiſquis es, & ſiqua eſt conjux tibi! fluctibus actum
Fit propius corpus; quod quò magis illa tuetur,
Hoc minus & minus eſt mentis; jam jamq; propinquat,
Admotum terræ, jam quod cognoſcere poſſet
Cernit, erat conjux, Ille eſt, exclamat, & unà
Ora, comas, veſtem lacerat, tendenſque trementes
Ad Ceyca manus, Sic, ô Chariſſime conjux,
Sic ad me miſerande redis? ait, y Adjacet undis
Facta manu moles, quæ primas æquoris undas
Frangit, & incurſus quæ prædelaſſat aquarum.
Inſilit huc, mirumque fuit potuiſſe; z volabat:
Percutienſque levem modò natis aëra pennis,
Stringebat ſummas ales miſerabilis undas.
Dumque volat, a mæſto ſimilem, plenumque querelæ
Ora dedêre ſonum tenui crepitantia roſtro.
Ut vero tetigit mutum & ſine ſanguine corpus,
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oſcula roſtro.
Senſerit hæc Ceyx, an vultum b motibus undæ
Tollere ſit viſus, populus dubitabat; at ille
Senſerat: & tandem ſuperis miſerantibus, c ambo
Alite mutantur. Fatis obnoxius iiſdem
Tunc quoque manſit amor; nec conjugiale ſolutum eſt

y Portus manu & arte facti notatio. quam Iuvenal. Sat. 12. circumſcribit, poſitas incluſa per æquora moles, Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rurſus, Quæ pelago occurrant medio, longeque relinquunt Terram.
z Ceyx nobilitate, opibus, formâ, conjugio ſuperbiens, ſe Iovem, Halcyonem appellavit Iunonem. Quam arrogantiam indignatus Iupiter prodigiis primùm, mox naufragio ultus eſt. Luciferi & Thetidos tandem miſericordiâ ipſe cum uxore in aves Halcyones verſi ſunt. Ant. Liberalis fab. 11. narrat Procnen in Halcyonem fuiſſe mutatam. a Γοώδη ὡς ἀληθῶς τὴν ἦχον ἀφίησι τὸ ζῶον. Lucianus in Halcyone. b Agitatione & impulſu undæ cadaver inferentis. c Μεγάλην μέντοι διὰ τὴν φιλανδρείαν εἴληφασι παρὰ τῶν θεῶν τιμήν. ἐπὶ γὰρ τῇ τούτων νεοττείᾳ, &c. Lucian. in Halcyone. Magnum quidem ob amorem conjugalem acceperunt à Diis honorem. namque in iſtarum avium nidulatione, per mediam hyemem agit mundus tranquillos dies. ἡ δὲ ἀλκυὼν τίκτει περὶ τροπὰς χειμερινάς, &c. Ariſt. 5. l. hiſt. animalium. Plin. lib. 10. c. 32. Ælian. hiſt. anim. 1. l. v. 37. Plutarch. Quæ animalia magis ratione utantur.

Fœdus

*Fœdus in alitibus: coëunt, fiuntque parentes,*
*Perque dies placidos hyberno tempore ſeptem*
*Incubat [d] Halcyone pendentibus æquore nidis.*
*Tum via tuta maris: ventos cuſtodit, & arcet*
*Æolus egreſſu, [e] præſtatq; nepotibus æquor.*

d Παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν.

e Tranquillat, placidumque reddit æquor ſuis ex Halcyone nepotibus, nidificantibus, ova excludentibus, excluſis.

## Æſacus in mergum. FAB. II.

*HOs aliquis ſenior circum freta lata volantes*
*Spectat, & ad finem ſervatos laudat amores.*
*[f] Proximus, aut idem, ſi fors tulit, hic quoque, dixit,*
*Quem mare carpentem, ſubſtrictaq; crura gerentem*
*Aſpicis, (oſtendens ſpatioſum in guttura mergum)*
*Regia progenies, &, ſi deſcendere ad ipſum*
*Ordine perpetuo quæris, [g] ſunt hujus origo*
*Ilus, & Aſſaracus, raptuſque Iovi Ganymedes,*
*Laomedonque ſenex, Priamuſque noviſſima Trojæ*
*Tempora ſortitus. Frater fuit Hectoris iſte,*
*Qui niſi ſenſiſſet prima nova fata juventa,*
*Forſitan inferius non Hectore nomen haberet:*
*Quamvis eſt illum [h] proles enixa Dymantis.*
*Æſacon umbroſa [i] furtim peperiſſe ſub Idâ*
*Fertur Alixithoë gracili [k] conata bicorni.*
*Oderat hic urbes, nitidaq; remotus ab aulâ,*
*Secretos montes, & inambitioſa colebat*
*Rura, nec Iliacos cœtus, niſi rarus, adibat:*
*Non agreſte tamen, nec inexpugnabile amori*
*Pectus habens, ſylvas. captatam ſæpe per omnes*
*Aſpicit [l] Eperien patria Cebrenida ripâ*
*Injectos humeris ſiccantem Sole capillos.*

f Qui prope ſenem hunc adſtitit, aut fortè ipſe ſenex, qui modò laudaverat conſtantes Ceycis & Halcyones amores.

g Ortum hic ducit à Troë, cui filii erant Ilus, Aſſaracus & Ganymedes; Ili autem filius Laomedon, Laomedontis Priamus, qui pater hujus Æſaci.

h Hecuba, quam Dymantis filiam facit Homerus, Euripedes filiam Ciſſei regis Thracum, peperit Priamo 17. liberos. reliqui nati erant ex concubinis. i Venere non legitimâ. k Dum parturiret, ſtipiti bicornis arboris innixa. ex more parturientium ut habet Apollonii ſcholiaſtes, proxima quæque apprehendentium, ut ſic dolores ſublevent enixiùs. uti de Latonâ dictum ad verſ. 334. l. 6. Nam quod de furcâ aut inſtrumento bicorni dicunt interpretes, non placet. l Filiam Cebreni, qui fluvius Troadis.

Viſa



*Viſa [m] fugit Nymphe, [n] veluti perterrita fulvum*
*Cerva lupum; longéque lacu deprenſa relicto*
*Accipitrem fluvialis anas, quam Troïus heros*
*Inſequitur [o] celeremq; metu, celer urget amore.*
*Ecce! [p] latens herba coluber, fugientis adunco*
*Dente pedem ſtrinxit, viruſque in corpore liquit.*
*Cum vita ſuppreſſa fuga eſt. Amplectitur amens*
*Exanimem, clamatque, piget, piget eſſe ſecutum:*
*Sed non hoc timui, nec erat mihi vincere tanti.*
*Perdidimus miſeram nos te duo: vulnus ab angue,*
*A me cauſa data eſt; Ego ſum ſceleratior illo,*
*Qui tibi morte mea mortis ſolatia mittam.*
*Dixit: & è ſcopulo, quem rauca ſubederat unda,*
*[q] Decidit in pontum. Tethys miſerata cadentem*
*Molliter excepit, nantemque per æquora pennis*
*Texit: & optata non eſt data copia mortis.*
*Indignatur amans invitum vivere cogi;*
*Obſtarique animæ [r] miſera de ſede volenti*
*Exire: utque novas humeris aſſumpſerat alas,*
*[ſ] Subvolat, atq; iterum corpus ſuper æquora mittit.*
*Pluma levat caſus: Furit Æſacus, inque profundum*
*Pronus abit, lethique viam ſine fine retentat.*
*Fecit amor maciem; longa internodia crurum,*
*Longa manet cervix, caput eſt à corpore longè:*
*Æquor amat, nomenq; manet, quia mergitur illo.*

m Vt quæ ſæpe ab Æſaco fuerit captata modò verſ. 769.

n *Sic agna lupum, ſic cerva leonem, ſic aquilam.* &c. 1. lib. verſ. 505.

o Hic ſpe celer, illa timore. 1. lib. verſ. 539.

p Eurydicen pari modo à colubro interfectam, perſequente Ariſtæo, narrat Virgilius 4. Georg.

q Al. *Deſilit in pontum.*

r Corporea carcere, cuſtodiâ, ergaſtulo corporis, animæ ſepulchro. lege quæ Seneca in Conſolatione ad Helviam cap. 11. & quæ Macrobius lib. in ſomnium Scipionis cap. 11. ſ Ad mergi ſubvolantis ſeque ſubinde mergentis naturam fabulam accommodat poëta.

LIBER

# LIBER XII.

## Serpens in ſaxum, & cerva pro Iphigenia ſuppoſita.

### FAB. 1 & 2.

NEſcius aſſumptis Priamus pater Æſacon alis
Vivere, lugebat: [a] tumulo quoq; nomen habenti
[b] Inferias dederat cum fratribus Hector [c] inanes.
Defuit officio Paridis præſentia triſti:
Poſtmodo qui rapta longum cum [d] conjuge bellum
Attulit in patriam, [e] conjurataque ſequuntur
[f] Mille rates, gentiſque ſimul [g] commune Pelaſgæ.
Nec dilata foret vindicta, niſi æquora ſævi
Invia feciſſent venti, Bœotaque tellus
[h] Aulide piſcoſâ puppes tenuiſſet ituras.
Hic patrio de more Iovi cum ſacra paraſſent,
Ut vetus accenſis incanduit ignibus ara,
[i] Serpere cæruleum Danaï vidêre draconem
In platanum, cœptis quæ ſtabat proxima ſacris.
Nidus erat volucrum bis quattuor arbore ſummâ,
Quas ſimul & matrem circum [k] ſua damna volantem
Corripuit ſerpens, avidaque recondidit alvo.
Obſtupuêre omnes. At veri providus augur
[l] Theſtorides, Vincemus, ait, gaudete Pelaſgi,
Troja cadet: ſed erit noſtri mora longa laboris,

a Cenotaphio, quod nomine ſignabatur, cui juſta ſolvebant, tanquam legitimè condito, & inferias dabant. De cenotaphio dictum ad 429. v. lib. præcedentis.

b Χοὰς, fundebant enim inferebantque tumulis lac, mel, ſanguinem, vinum, oleum, flores, thura, lacrymas.

c Vel quoad cenotaphiũ ipſum. ſic Deiphobo Æneas 6. lib. *Tunc egomet tumulum Rhæteo in littore inanem Conſtitui.* Vel quoad ipſos fato functos. ſic poëta funus Marcelli proſequitur eod. libro. *His ſaltem accumulem donis, & fungar inani Munere.* & l. 11. in exequiis Pallantis, *Nos juvenem exanimem vano comitamur honore.* d Helenâ. de cujus raptu Conſt. Manaſſes, Coluthus, Dares, Herodotus, Nat. Comes, alii. fab. notiſſima, & longa. e Conjuraverant principes & populi Græciæ, ſe non reverſuros niſi recuperatâ Helenâ aut exciſa Trojâ. f Numerus rotundus, qui Homero 1186. Dycti 1225. Dareti Phrygio 1140. g Τὸ κοινὸν, populus univerſus, reſp. Cic. 4. Verrin. Statuæ à communi Siciliæ datæ. h Portu Bœotiæ, vide 182. v. l. 18. i Nota hęc ex Homeri Iliade 2. quæ interpretatur Cic. 2. de Divinatione. k Pignora ſua, pullos 8. à dracone devoratos. l Calchas, filius Theſtoris cui pater Idmon vates.

m Atque



[m] Atque novem volucres in belli digerit annos.
Ille, ut erat virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis: & ſervat ſerpentis imagine ſaxum.
[n] Permanet Aoniis Nereus violentus in undis,
Bellaque non transfert. Et ſunt, qui parcere Trojæ
Neptunum credant, [o] quia mœnia fecerat urbis;
At non Theſtorides: neque enim neſcitve, tacétve
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Eſſe [p] Deæ: Poſtquam pietatem publica cauſa,
[q] Rexque patrem vicit, caſtumque datura cruorem
Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia miniſtris,
Victa Dea eſt: nubémque oculis objecit, & inter
Officium turbamque ſacri, vocesque precantum,
[r] Suppoſita fertur mutâſſe Mycenida cervâ.
Ergò ubi, qua decuit, lenita eſt cæde Diana,
Et pariter Phœbes, pariter maris ira receſſit:
Accipiunt ventos à tergo mille carinæ,
Multaque perpeſſæ Phrygia potiuntur arenâ.
[ſ] Orbe locus medio eſt inter terraſque, fretumque,
Cœleſtéſque plagas, triplicis confinia mundi,
Unde quod eſt uſquam, quamvis regionibus abſit,
Inſpicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures:
Fama tenet, ſummaque domum ſibi legit in arce,
Innumeroſque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis incluſit limina portis,
Nocte, diéque patet, tota eſt ex ære ſonanti,
Tota fremit, vocéſque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque ſilentia parte;
Nec tamen eſt clamor, ſed parvæ murmura vocis:

m Paſſer hieroglyphicè denotat annum. Pierius 20 lib. Serpens autem denotat tempus edax rerum. Pierius, l. 14. n Conſtat ſibi maris ira, & venti adverſi remorantur Græcorum claſſem. o Lib. 1. verſ. 204. p Dianæ iratæ Agamemnoni propter cervam ſibi peculiarem ab illo cæſam, Cic. 3. offic. Quid Agamemnon? cùm devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum eſſet natum eo anno, immolavit Iphigen. Lucret. 1. l. *Aulide quo pacto Triviai virginis iram, &c.* q Lib. 13. verſ. 187. *Atque in rege pater eſt.* r Cervam ſuppoſitam, avectamque Iphigeniam in Tauricam ſcribit etiam Euripides in Iphigeniâ in Aulide. & noſter 4. eleg. 4. l. Triſtium. quod tamen negant Pindarus, Pauſanias, alii, immolatamque aſſerunt ex more Scythicæ Dianæ, cui litatum victimis humanis. Ex SS. hiſtoriis adumbratum volunt alii, Iephthes ſc. ex voto temerario immolantis filiam: aut Abrahami, cui filium immolaturo, pro filio ſuppoſitus eſt hircus. ſ Conferatur deſcriptio Famæ cum illa Virgilii 4. Æn. verſ. 173. & aliorum quos citat Index noſter Poëticus, tit. *Fama*, & Cl. Fr. Baconi, *Soror Gigantum ſive Fama*, lib. de Sapientiâ veterum.

Qualia

Qualia de pelagi (ſi quis procul audiat) undis
Eſſe ſolent; qualémve ſonum, cùm Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet: veniunt leve vulgus, euntque;
[t] Miſtaque cum veris paſſim commenta vagantur
Millia rumorum; confuſaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio: menſuraque ficti
Creſcit, & auditis aliquid novus adjicit autor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Lætitia eſt, conſternatiq; Timores,
Seditioque recens, dubioque autore Suſurri.
[u] Ipſa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur
Et tellure videt: totumq; inquirit in orbem.

t Lib. verſ. 138. *Fama loquax: quæ veris addere falſa Gaudet, & è minimo ſua per mendacia creſcit.*

u Famigerationis filios cœnipetas forenſes bellè depingit Megaronides in Plauti Trinummo; *Sciunt id, quod in aurem Rex Reginæ dixerit. Sciunt, quod Iuno fabulata eſt cum Iove. Sciunt Quæ neque futura, neque facta ſunt: tamen illi ſciunt*, &c. Filiam famiger. laudat more ſuo Iuvenalis 6. Sat. *Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe; Quid Seres, quid Thraces agant*, &c.

## Cycni & Achillis certamen, & Cycnus in avem. FAB. 3.

Fecerat hæc notum, Graias cum milite forti
Adventare rates: neq; inexpectatus in armis
[x] Hoſtis adeſt, prohibentq; aditus, lituſque tuentur
Troës, & Hectorea primus [y] fataliter haſtâ
Proteſilaë cadis, commiſſaque prælia magno
Stant Danais: forteſq; animæ, nec cognitus Hector,
Nec Phryges exiguo, quid Achaïca dextera poſſit,
Sanguine ſenſerunt; & jam Sigæa rubebant
Litora, jam letho proles Neptunia Cycnus

x Ἀλλ' ὁ μὲν ἤδη πρόσθεν ὑφ' Ἕκτορι κεῖτο δαϊχθεὶς Ἠΰς Πρωτεσίλαος. Calaber. 1. l. Alii tamen Æneæ, alii Achatæ manu cecidiſſe eum autumant. y Oraculi præmonitu, occubiturum illum qui primus de Græcis in litus Trojanum exſcenderet. *Sors quoque neſcio quem fato deſignat*, &c. epiſt. Laodamiæ. Auſonius in Epitaphiis Heroum, omen à nomine ſumit. *Fatale adſcriptum nomen mihi Proteſilao*, &c. Quod tamen illi poſtea inditum, cùm priùs Iolaus dictus fuerit.

Mille



Mille viros dederat, jam[z] curru inſtabat Achilles,
Totaque Peliacæ ſternebat cuſpidis ictu
Agmina, perq; acies aut Cycnum aut Hectora quærens;
Congreditur Cycno. Decimum dilatus in annum
Hector erat. Tum colla jugo canentia preſſos
Exhortatus equos, currum direxit in hoſtem,
Concutienſque ſuis vibrantia tela lacertis,
Quiſquis es, ô juvenis, dixit, [b] Solamen habeto
Mortis, ab Æmonio quòd ſis jugulatus Achille.
Hactenus Æacides. Vocem gravis haſta ſecuta eſt:
Sed quanquam certa nullus fuit error in haſtâ,
Nil tamen emiſſi profecit acumine ferri.
Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu,
Nate dea, (nam te fama prænovimus) inquit
Ille, Quid à nobis vulnus miraris abeſſe?
(Mirabatur enim) non hæc, quam cernis, [c] equinis
Fulva jubis caſſis, nec onus cava parma ſiniſtræ
Auxilio mihi ſunt: decor eſt quæſitus ab iſtis.
Mars quoque ob hoc capere arma ſolet. Removebitur omne
Tegminis officium, [d] tamen indiſtrictus abibo.
Eſt aliquid, Non eſſe ſatum Nereïde, [e] ſed qui
Nereaque, & natas & totum temperat æquor.
Dixit: & hæſurum clypei curvamine telum
Miſit in Æaciden, quod & æs, & proxima rupit
Terga novena boum, [f] decimo tamen orbe moratum eſt.
[g] Excutit hoc heros, rurſuſq; trementia forti
Tela manu torſit: Rurſus ſine vulnere corpus
Sincerumque fuit. Nec tertia cuſpis [h] apertum,
Et ſe præbentem valuit diſtringere Cycnum.
Haud ſecùs exarſit quàm circo taurus aperto,
Cùm ſua terribili petit irritamina cornu

z Ab illo Virgiliano 1. Æn. *inſtaret curru criſtatus Achilles.* inſipidum enim eſt quod vulgò legebatur, *jam curru ſtabat Achilles*, vel *currus ſtabat Achillis.*

a Confectæ ex arbore in monte Pelio cæſâ. Sic & Argo, *Pelias arbor* dicta.

b Vide 191. verſ. lib. 5.

c Galearum criſtas inſignibant heroes jubis equinis. Hinc Homero ἱπποδάσεια κόρυς. λόφος ἱπποχαίτης. ἱππόκομος τρυφάλεια. ἀνὴρ ἱπποκορυστής. Virg. Æn. 10. *criſtâque hirſutus equina.* d Me vel nudum & inermem nullo vulnere poteris diſtringere. e Sed Neptuno, cui famulatur Nereus matris tuæ pater. f Decimo tergore. erat ergo clypeus decemplex. g Ita emendare auſus ſum, Mss. meorum, qui diſertim ita habent, autoritate. ut & Planudis, qui vertit, ἀνέσπασε δὲ τοῦτο ὁ ἥρως Ἀχιλλεύς. necnon Mariangeli, editi habent, *Excipit hoc heros.* h Armis nudatum.

Phœni-

[i] Phœniceas veſtes, eluſaque vulnera ſentit.
Num tamen exciderit ferrum conſiderat haſtæ.
Hærebat ligno: Manus eſt mea debilis ergo?
Quaſque, ait, antè habuit vires, effudit in uno?
Nam certè valuit: vel cùm [k] Lyrneſſia primùm
Mœnia dejeci; vel cùm Tenedonque, ſuoque
[l] Eëtioneas implevi ſanguine Thebas;
Vel cùm purpureus populari cæde Caïcus
Fluxit [m] opuſque meæ bis ſenſit Telephus haſtæ.
Hic quoque tot cæſis, quorum per litus acervos
Et feci, & video, valuit mea dextra, valétque.
Dixit: & antè actis veluti malè crederet, haſtam
Miſit in adverſum Lycia de plebe Menœten,
Loricamque ſimul, ſubjectaque pectora rupit.
Quo plangente gravem moribundo pectore terram,
Extrahit illud idem calido de vulnere telum,
Atq; ait, Hæc manus eſt, hæc, quâ modo vicimus, haſta:
Utar in hoc iiſdem; ſit in hoc precor exitus idem.
Sic fatur, Cycnumque petit: nec fraxinus errat,
Inque humero ſonuit non evitata ſiniſtro.
Indè velut muro ſolidaque à caute, repulſa eſt:
Quà tamen ictus erat, ſignatum ſanguine Cycnum
Viderat, & fruſtra fuerat gaviſus Achilles:
Vulnus erat nullum; ſanguis fuit ille Menœtæ.
Tum verò præceps curru fremebundus ab alto
Deſilit, & nitido ſecurum comminus hoſtem
Enſe petens, parmam gladio, galeamque cavari
Cernit, & in duro [n] lædi quoque corpore ferrum.
Haud tulit ulterius: gladioque adverſa reducto

i Pallas id eſt, effigies hominum rubris indutas veſtibus quas ſtramento aut fœno farciebant, tauris in arena objectare ſoliti ſunt, quò eos ad pugnam irritare voluerunt. Seneca 3. l. de Irâ. *Taurum color rubicundus excitat*, Plutarchus in Connub. monitis. Οἱ ταῦρους ἐλέφασιν ἐσθῆτα λαμπρὰν ἐ λαμβάνουσιν, ἐδὲ φοινικίδας οἱ ταῦροις. διαγραίνεται γὰρ ὑπὸ τῶν χρωμάτων τέτων μάλιςα τὰ ζῶα. k Lyrneſſus erat urbs Troadis, patria Hippodamiæ Briſeidos. l Thebas in Ciliciâ, ubi regnavit Eetion Andromaches pater. Ὠχόμεθ' ἐς Θήβην ἱερὴν πόλιν Ἠετίωνος τὴν ἢ διεπράθομεν, Iliad. 1. m Vulnus & auxilium. Telephus rex Myſiæ tranſitu prohibiturus Græcos ad Trojam proficiſcentes ab Achille vulneratus eſt. vulnus ubi putreſcebat, oraculo conſulto reſponſum tulit, quærendum eſſe remedium ab eâdem haſtâ. conciliatus ergo Achilli, ærugine cuſpidis ſanatus eſt. Sunt qui ad Achillem uſque autorem, aut etiam Chironem, à quo Medicinam edoctus eſt, referant unguentum armarium ſeu Magneticum. De ὁπλιατρείᾳ videantur Paracelſus. Bapt. Peras, Grollius, Godenius, Robertus de Fluctibus, alii. n Retundi.

Ter



Ter quater ora viri capulo & [o] cava tempora pulſat,
Cedentemque ſequens inſtat, turbatque, ruitque,
Attonitoque negat requiem. Pavor occupat illum,
Ante oculoſque natant tenebræ, retroque ferenti
Averſos paſſus, medio lapis obſtitit arvo:
Quem ſuper impulſum reſupino corpore Cycnum
Vi multa vertit, terræque affixit Achilles.
Tum clypeo, genibuſq; premens præcordia duris,
Vincla trahit galeæ, quæ preſſo ſubdita mento
Elidunt fauces, & reſpiramen, iterque
Eripiunt animæ. Victum ſpoliare parabat:
Arma relicta videt, corpus Deus æquoris albam
Contulit in volucrem, cujus modo nomen habebat.

o Hinc illa Lycophronis, Στερρῷ τυπέντα κλεῖδας εὐάρχε μύλῳ, videtur jure refellere Iſ. Tzetz. Ψεύδεται ὁ λυκόφρων &c. Fallitur, inquit, Lycophron; neque enim humeris ſed capite, ab Achille, pulſato interiit Cycnus. erat enim toto corpore invulnerabilis, excepto capite. Aliter Heſiodus in Clypeo. Neque deſunt interea, qui etiam apud veteres in uſu fuiſſe autument amuleta & carmina, quibus præmuniti, neque comminus, punctim aut cæſim vulnerari poſſunt. * Al. *afflixit.*

## Cæneus in virum invulnerabilem, & deinde in volucrem. Lapitharum cum Centauris pugna.

### FAB. 4 & 5.

Hic labor, hæc requiem multorum pugna dierum
Attulit: & poſitis pars utraque ſubſtitit armis.
Dumque vigil Phrygios ſervat cuſtodia muros,
Et vigil Argolicas ſervat cuſtodia foſſas:
Feſta dies aderat, qua Cycni victor Achilles
[p] Pallada mactatæ placabat ſanguine vaccæ.
Cujus ut impoſuit [q] proſecta calentibus aris,
Et Diis acceptus penetravit in æthera nidor:
Sacra tulêre ſuam, pars eſt data cætera menſis.

p *Mactatur vacca Minervæ; Alipedi vitulus; taurus tibi, ſumme Deorum.* lib. 4. verſ. 755. idem Auſonius epigr. 64. q Carnes hoſtiarum quas proſecabant, id eſt, primùm ſecabant Diiſque adolebant. Partem, inquit Turnebus l. 15. cap. 7. Diis adolebant; partem ſacerdotibus dabant; partem ſibi apponebant. Cujus commenti rationem ex hoc Ovidii loco videtur ſumpſiſſe.

 Diſcu-

*Diſcubuêre toris proceres: & corpora* [t] *toſtâ*
*Carne replent, vinoque levant curaſque, ſitimque.*
*Non illos cithara, non illos carmina vocum,*
*Longaque multifori delectat tibia buxi:*
*Sed noctem ſermone trahunt: virtuſque loquendi*
*Materia eſt. Pugnas referunt hoſtiſq; ſuaſque,*
*Inque vices adita atque exhauſta pericula ſæpe*
*Commemorare juvat: Quid enim loqueretur Achilles?*
*Aut quid apud magnũ potiùs loquerentur Achillem?*
*Proxima præcipuè domito victoria Cycno*
*In ſermone fuit. Viſum mirable cunctu,*
*Quòd juvenis corpus nullo penetrabile telo,*
*Invictumque à vulnere erat, ferrumque terebat;*
*Hoc ipſe Æacides, hoc mirabantur Achivi:*
*Cùm ſic Neſtor ait. Veſtro fuit unicus ævo*
*Contemptor ferri, nulloque* [t] *forabilis ictu*
*Cycnus; at ipſe olim patientem vulnera mille*
*Corpore non læſo* [u] *Perrhæbum Cænea vidi,*
*Cænea Perrhæbum, qui factis inclytus Othryn*
*Incoluit; quoque id mirum magis eſſet in illo,*
*Fœmina natus erat. Monſtri novitate moventur,*
*Quiſquis adeſt, narretq; rogant: quos inter Achilles*
*Dic age (nam cunctis eadem eſt audire voluntas)*
*O facunde ſenex, ævi prudentia noſtri,*
*Quis fuerit Cæneus, cur in contraria verſus,*
*Qua tibi militia, cujus certamine pugnæ*
*Cognitus, à quo ſit victus, ſi victus ab ullo eſt.*
*Tum ſenior, Quamvis obſtet mihi tarda vetuſtas,*
*Multaque me fugiunt primis ſpectata ſub annis:*
*Plura tamen memini; nec, quæ magis hæreat, ulla*
*Pectore res noſtro eſt, inter bellique domuſque*

[r] Heroicis temporibus elixâ carne veſci non ſolere Servius adnotat ad 1. Æneid. vide & Athenæum l. 1. cap. 8.
[ſ] Lepidiſſimum, inquit Plutarchus, eſt illud convivium in quod non intrat tibicen. Quibus de rebus in convivio differendũ ſit, docet A. Gellius 13. l. 11. c. & Macrobius 7. lib. Saturnal. 1. cap. hîc duces de virtute bellicâ & pugnis.
[t] Ἄτρωτος ἄτρωτος, impenetrabilis, invulnerabilis. Palæphato l. 1. Apollonio. 1. Argonaut. 63. v. ἄρρηκτος, ἀκάματος.
[u] Perrhæbi, pop. Theſſaliæ, qui à Lapithis devicti in montana confugerunt ad Olympum & Tempe ſita. Homer. 2. Il. μενεπτόλεμοί τε Περαιβοί. verſus ſc. gratiâ cùm Strab. l. 9. paſſim ſint Περραιβοί. Lycophroni Περραιβικὸν γένος. Propertio 3. l. 5. el. *Aut cur Perrhebi tremuere cacumina Pindi.* non itaque neceſſaria erit hîc Enallage interpretum, *Perrhæbum* poni pro *Perrhæbeum*.





*Acta tot. Ac, ſi quem potuit ſpatioſa ſenectus*
*Spectatorem operum multorum reddere: Vixi*
[x] *Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.*
*Clara decôre fuit proles* [y] *Elateïa Cænis*
*Theſſalidum virgo pulcherrima, perq; propinquas,*
*Perque tuas urbes (tibi enim popularis Achille)*
*Multorum fruſtra votis optata procorum.*
*Tentâſſet Peleus thalamos quoque forſitan illos:*
*Sed jam aut contigerant illi connubia matris,*
*Aut fuerant promiſſa tuæ; nec Cænis in ullos*
*Denupſit thalamos, ſecretaque litora carpens*
*Æquorei vim paſſa Dei eſt. Ità fama ferebat.*
*Utque novæ Veneris Neptunus gaudia ſenſit,*
*Sint tua vota licet, dixit, ſecura repulſæ,*
*Elige quid voveas: eadem quoq; fama ferebat.*
[z] *Magnum, Cænis ait, facit hæc injuria votum,*
*Tale pati jam poſſe nihil, Da fœmina nè ſim,*
*Omnia præſtiteris. Graviore noviſſima dixit*
*Verba ſono, poteratque viri vox illa videri,*
*Sicut erat: nam jam voto Deus æquoris alti*
*Annuerat dederatque ſuper, nè ſaucius ullis*
*Vulneribus fieri, ferrove occumbere poſſet.*
*Munere lætus abit, ſtudiiſque virilibus ævum*
*Exigit* [a] *Atracides, Peneïaque arva pererrat.*
*Duxerat* [b] *Hippodamen* [c] *audaci Ixione natus:*

[x] Hinc Euſtathium, Servium aliosque falli liquet, qui nonagenarium tantùm faciunt Neſtora; ſeculum 30. annis terminantes, neque in tantum mira foret illa vitæ longinquitas, ſi conferatur (ut primæ ætatis mortales taceam quorum meminit Sacra pagina) cum eâ quæ à Plinio recenſetur. 7. l. 48. cap. quin & hodie Ann. Dom. 1635. Londini viſitur in ædibus Arundelianis ex agro Salopienſi accitus quidam Thomas Par annum ætatis agens centeſimum quinquageſimum ſecundum. Nævius porro apud A. Gellium lib. 9. cap. 7. vocat eum *Triſeclisenem*. ſeculum autem Scaliger 2. lib. de emendatione temporum definit annis 110. luſtris nempe 22. quos tamen numero rotundato recenſeri, centeno, ait. ſeculum tamen à nonnullis pro tempore vitæ hominis, quæ plerunque eſt 70. annorum, uſurpari ait. Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων Ἐφθίαθ', οἱ, &c. Pylo ab Hercule expugnatâ & Neleo cùm filiis undecim interfectis, Neſtori, qui apud Gerenios alebatur, ſuperſtiti fingunt poetæ adjectos annos fratribus ademptos. vide & Phleg. Trallianum περὶ μακροβίων. & Euſebium de præp. Euang. l. 9. c. 13. [y] Elati Lapitharum regis filia. [z] Illata mihi contra virginitatis perpetuæ votum & inſtitutum meum injuria hæc immenſa, me etiam voti à te mihi indulti immodicam facit. Ne itaque ultra cogar contumeliam pati, da ut è ſexu ſequiore & imbelli migrem in maſculum & fortem. [a] Cæneus Theſſalus, eſt enim Atrax urbs Theſſaliæ apud Peneum fl. [b] Iſchomachen, nominat Propertius lib. 2. el. 2. Deidamiam, Theſeus in Plutarcho. [c] Iunonem de adulterio interpellare auſo.

[d] *Nubigenaſque feros, poſitis ex ordine menſis,*
*Arboribus tecto diſcumbere juſſerat antro.*
*Æmonii proceres aderant; aderamus & ipſi:*
*Feſtaque confuſa reſonabat regia turbâ.*
*Ecce! Canunt* [e] *Hymenæon, &* [f] *ignibus atria fumant:*
*Cinctaq; adeſt virgo matrum nuruumq; catervâ,*
*Præſignis faciem.* [g] *Felicem diximus illâ*
*Conjuge Pirithoum, quod penè fefellimus omen.*
*Nam tibi ſævorum ſæviſſime Centaurorum*
*Euryte, quàm vino pectus, tam virgine viſâ*
*Ardet: & Ebrietas geminata libidine regnat.*
*Protinus everſæ turbant convivia menſæ,*
*Raptaturq; comis per vim nova nupta prehenſis.*
*Eurytus Hippodamen; alii, quam quiſque probabat,*
*Aut poterat, rapiunt: captæq; erat urbis imago.*
*Fœmineo clamore ſonat domus. Ocyùs omnes*
*Surgimus: & primus, Quæ te vecordia, Theſeus,*
*Euryte pulſat, ait, qui* [h] *me vivente laceſſas*
*Pirithoum? violeſque duos ignarus in uno?*
*Néve ea magnanimus fruſtra memoraverit heros,*
*Summovet inſtantes, raptamq; furentibus aufert.*
*Ille nihil contrà; neq; enim defendere verbis*
*Talia facta poteſt: ſed vindicis ora protervis*
*Inſequitur manibus, generoſaque pectora pulſat.*
*Fortè fuit juxtà ſignis extantibus aſper*
*Antiquus* [i] *crater, quem vaſtum vaſtior ipſe*
*Suſtulit Ægides, adverſaque miſit in ora.*
*Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque, merumq;*
*Vulnere & ore vomens, madida reſupinus arenâ*

d Nube pro Iunone à Iove ſuppoſitâ genitos, fabulam exponit Palæphatus l. 1. de incolis montani pagi, cui nomen Nephele, qui equos primi domuerunt, iidem equis vecti tauros œſtro in furorem exagitatos & Theſſaliæ culta, ſata, & pecora infeſtantes, ab Ixione præmio invitati interemerunt. unde & nomen ἀπὸ τοῦ κεντᾷν τοὺς ταύρους. *Sed neque Centauri fuerunt, neque, &c.* Lucretius lib. 5.

e Nuptiale carmen. de Hymenæo vide quæ nos ad Senecam. Theb. v. 262. & Medeæ verſ. 67. *f* Nuptiis non faces modò, ſed & aræ, & ſacra adhibita, Diique advocati. *g* Ex formulâ ſponſus ſalutantium. *Feliciter*. Quod tamen omen propemodum inominatum irritumque fecerat Centaurorum vis nuptæ, matronis, virginibus per vinum illata. * Εὐρυτίων Hom. odyſſ. 21. & Pauſaniæ in Eliacis prioribus *h* Ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο. Verùm hic emphaticè, *me*, qui amicus. i. e. alter ego, dimidium animæ diviſæ in duobus corporibus. i Craterem hunc Hylæo dat Virgilius 2. Georg. *Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem*. Martialis Rhæto, *Hoc crater ferox commiſit prælia Rhætus, cum Lapithis*, lib. 8. epigram. 6. Hoc telo Perſeus Eritbum ſternit lib. 5. verſ. 81.





[k] *Calcitrat: ardeſcunt germani cæde* [l] *bimembres,*
*Certatimque omnes uno ore arma arma loquuntur.*
*Vina dabant animos: & primâ pocula pugnâ*
*Miſſa volant, fragileſque cadi, curvique lebetes,*
[m] *Res epulis quondam, tum bello & cædibus aptæ.*
*Primus Ophionides Amycus penetralia donis*
*Haud timuit ſpoliare ſuis: & primus ab æde*
[n] *Lampadibus denſum rapuit funale coruſcis,*
*Elatumque altè, veluti qui candida tauri*
*Rumpere ſacrifica molitur colla ſecuri,*
*Illiſit fronti Lapithæ Celadontis, & oſſa*
*Non cognoſcendo confuſa reliquit in ore.*
*Exiluêre oculi, disjectiſque oſſibus oris*
*Acta retro naris, medioque eſt fixa palato.*
*Hunc pede convulſo menſæ Pellæus acernæ*
*Stravit humi Pelates, dejecto in pectora mento,*
*Cumq; atro* [o] *miſtos ſpumantem ſanguine dentes,*
*Vulnere Tartareas geminato miſit ad umbras.*
*Proximus ut ſteterat, ſpectans* [p] *altaria vultu*
*Fumida terribili, Cur non, ait, utimur iſtis?*
*Cumque ſuis Gryneus immanem ſuſtulit aram*
*Ignibus, & medium Lapitharum jecit in agmen,*
*Oppreſſitque duos, Brotean & Orion: Orio*
*Mater erat Mycale,* [q] *quam deduxiſſe canendo*
*Sæpe reluctantis conſtabat cornua Lunæ.*
*Non impunè feres, teli modò copia detur,*
*Dixerat Exadius: teliqne habet inſtar, in altâ*
[r] *Quæ fuerant pinu, votivi cornua cervi.*

k Vide quæ ad verſ. 40. lib. 5. l Centauri biformes. modò ad verſ. 211. *m Natis in uſum lætitiæ ſcyphis Pugnatur*. Hor. od. 27. lib. 1. *Crateres menſæque volant*. Flaccus l. 1 vide quæ ad 82. verſ. l. 5. *furor arma miniſtrat*. Æn. 1. *n* Funalia (deſcribente Iſidoro l. 20. c. 10.) erant candelabra extantes ſtimulos habentia quibus funiculi cerâ vel hujuſmodi alimento luminis obliti figebantur. Vnde conjicio fuiſſe hoc funale lychnuchum trabalem, de fornicato laqueari & camerâ cœli cavum referente pendentem lampadibus aut lucernis ſtellatum. Virg. 1. Æn. 730. verſ. *dependent lychni laquearibus aureis Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt*. Petron. *lucerna bilychnis de camerâ pendebat*. *o* Virgilius dixerat, *craſſumque cruorem Ore rejectantem, miſtoſque in ſanguine dentes*. Æn. 5. *p* In nuptiis aræ extructæ & ſacra victimarum & thuris, Dii advocati ſunt, uti dictum ad locum huic germanum l. 5. in nuptiis Perſei & Andromedæ. niſi poſt altaria Phineus iſſet. v. 36. *q* Lunam deficientem credebat olim vulgus è cœlo devocari carminibus magicis. vide quæ ad verſ. 333. l. 4. & Virg. 8. eclog. *Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam*. Theſſalia autem veneficiis infamis erat. *r* Ecloga 7. Virg Dianæ vovet *ramoſa Mycon vivacis cornua cervi*, cornibus itaque pinu, in quâ figebantur votiva Dianæ, direptis ſubitorum vice armorum utitur Exadius.

*Figitur hinc duplici Gryneus in lumina ramo,*
*Eruiturque oculos: quorum pars cornibus hæret.*
*Pars fluit in barbam, concretaque ſanguine pendet.*
*Ecce! Rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris*
ſ *Primitium torrem, dextraque à parte Charaxi*
*Tempora perfringit fulvo protecta capillo.*
*Correpti rapida, veluti ſeges arida, flammâ*
*Arſerunt crines, & vulnere ſanguis inuſtus*
*Terribilem ſtridore ſonum dedit: ut dare ferrum*
*Igne rubens plerunque ſolet, quod forcipe curvâ*
*Cùm faber eduxit, lacubus demittit; at illud*
*Stridet, & in tepida ſubmerſum ſibilat undâ.*
*Saucius hirſutis avidum de crinibus ignem*
*Excutit, inque humeros limen tellure revulſum*
*Tollit, onus plauſtri:* [t] *quod nè permittat in hoſtem,*
*Ipſa facit gravitas; ſocium quoque ſaxea moles*
*Oppreſſit ſpatio ſtantem propiore Cometen.*
*Gaudia nec retinet Rhœtus: Sic comprecor, inquit,*
*Cætera ſit fortis caſtrorum turba tuorum,*
*Semicremoque novat repetitum ſtipite vulnus*
*Terque quaterque: gravi juncturas verticis ictu*
*Rupit, & in liquido* [u] *ſederunt oſſa cerebro.*
*Victor ad Evagrum, Coritumque,* [x] *Dryantaq́; tranſit:*
*E quibus ut prima tectus lanugine malas*
*Procubuit Coritus, Puero quæ gloria fuſo*
*Parta tibi eſt? Evagrus ait: Nec dicere Rhœtus*
*Plura ſinit: rutilaſque ferox in aperta loquentis*
*Condidit ora viri, pérque os in pectora flammas.*
*Te quoque ſæve Drya, circum caput igne rotato,*
*Inſequitur: ſed non in te quoq́; conſtitit idem*
*Exitus, Aſſiduè ſucceſſu cædis ovantem,*
*Quà juncta eſt humero cervix,* [y] *ſude figis obuſtâ.*
*Ingemuit, duroque ſudem vix oſſe revellit*
*Rhœtus: & ipſe ſuo madefactus ſanguine fugit.*

ſ Qui maximus erat & primæ magnitudinis. ita lib. 12. Æn. ambuſtum torrem Chorinæus ab arâ Corripit, & venienti Ebiſo. plagamque ferenti Occupat os flammis: illi ingens barba reluxit.
t Quod ne valeret, quo deſtinârat, projicere, retardat ipſa molis gravitas.
u Preſſa deſcenderunt.
x Dryantis hujus, ut & Exadii, de quo modò 266. v. Cænei & aliorum meminit ipſe Neſtor Il. α Hom. Οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας, ὐδὲ ἴδωμαι, Οἷον Πειρίθοόν τε Δρύαντά τε ποιμένα λαῶν Καινέα τ' Ἐξάδιόν τε. &c. y Stipitibus duris agitur, ſudibuſque præuſtis. 7. Æneid. & 11. Æneid. Stipitibus ferrum, ſudibuſque imitantur obuſtis.





*Fugit & Orneus, Lycidaſque, & ſaucius armo*
*Dexteriore Medon, & cum Piſenore Caumas,*
*Quique pedum nuper certamine vicerat omnes*
*Mermeros, accepto tum vulnere tardiùs ibat,*
*Et Pholus, & Meneleus, & Abas prædator aprorum,*
*Quique ſuis fruſtra bellum diſſuaſerat augur*
*Aſtylos: ille etiam metuenti vulnera Neſſo,*
*Nè fuge, ad Herculeos, inquit,* [z] *ſervaberis arcus.*
*At non Eurynomos, Lycidas, & Araus, & Imbreus*
*Effugêre necem, quos omnes dextra Dryantis*
*Perculit adverſos. Adverſum tu quoque, quamvis*
*Terga fuga dederas, vulnus,* [a] *Cænee, tuliſti:*
[b] *Nam grave, reſpiciens, inter duo lumina ferrum,*
*Quà naris fronti committitur, accipis, ima.*
*In tanto fremitu cunctis ſine fine jacebat*
*Sopitus venis, & inexperrectus* [c] *Aphypnas,*
*Languentique manu carcheſia miſta tenebat,*
*Fuſus in* [d] *Oſſæa villoſis pellibus urſæ.*
*Quem procul ut vidit fruſtra nulla arma moventem,*
*Inſerit amento digitos, miſcendaque, dixit,*
[e] *Cum Styge vina bibes, Phorbas. Nec plura locutus,*
*In juvenem torſit jaculum: ferrataque collo*
*Fraxinus, ut caſu jacuit reſupinus, adacta eſt.*
*Mors caruit ſenſu: plenoque è gutture fluxit,*
*Inque toros, inque ipſa niger* [f] *carcheſia ſanguis.*
*Vidi ego Petræum conantem evellere terrâ*
*Glandiferam quercum: quam dum complexibus ambit*
*Et quatit huc, illuc, labefactaque robora pulſat,*
*Lancea Pirithoi coſtis immiſſa Petræi*
*Pectora cum duro luctantia robore fixit.*

z Periturus Herculis ſagittâ, ubi Deianiram aliquando, trajiciens, depoſitum fallere paraveris. l. 9 verſ. 127.
a Alium hunc eſſe à Cæneo primariâ hujus fabulæ perſonâ, numerus ſyllabarum, & penultima longa, & vulnus inflictum arguunt. Mss. aliquot habent Cerneus.
b Alluſum volunt ad Pomponiū quendam vulnus in ore multoties jactantem, monitumque Cæſaris dicterio ne poſthac fugiens reſpiceret. Quintilian. lib. 6. c. 3. Necnon alium ab Auguſto ſimili notatum ſcommate. Macrob. Saturnal. l. 2. c. 4. c Naugerii editio & Mss. *Aphidas.* d In Oſſa monte nutritæ, aut etiam captæ. e *Hinc Stygias ebrius hauſit aquas.* f Iſ. Caſaubonus carcheſium ab Athenæo ex Callixeno deſcriptum, & à Macrobio verſum, nec intellectum probè; ex verbis Græcis ſanitati reſtituit. Carcheſium, inquit, eſt poculum procerum & circa mediam partem compreſſum mediocriter, anſatum, anſis à ſummo ad infimum pertinentibus. Macrobius hoc poculi genus ut & cymbium aliaque à re navali ducta autumat. lib. 5. Saturnaliorū c. 12. Caſaub. à κέρχνος Ionicè pro κέγχρος, milium, cujus formam habuiſſe carcheſia dicit. ad Athenæi lib. 11. cap. 7.

Pirithoi cecidiſſe Lycum virtute ferebant;
Pirithoi virtute Chromin: ſed uterque minorem
Victori titulum, quàm Dictys, Helopſq́; dederunt.
Fixus Helops jaculo eſt, quod tempora pervia fecit,
Et miſſum à dextra lævam penetravit ad aurem:
Dictys ab ancipiti delapſus acumine montis,
Dum fugit inſtantem trepidans Ixione natum,
Decidit in præceps, & pondere corporis ornum
Ingentem fregit, ſuaque g induit ilia fractæ.
Ultor adeſt Phareus, ſaxumq́; è monte revulſum
Mittere conatur: mittentem ſtipite querno
Occupat Ægides, cubitique ingentia fregit
Oſſa, nec ulteriùs dare corpus inutile letho
Aut vacat, aut curat, tergoque Bianoris alti
Inſilit, haud ſolito quenquam portare niſi ipſum,
Oppoſuitque genu coſtis, prenſamque ſiniſtrâ
Cæſariem retinens, vultum, minitantiaque ora
h Robore nodoſo, præduraque tempora fregit.
Robore i Nedymnum, jaculatoremq́; Lyceſpen
Sternit, & immiſſa protectum pectora barbâ
Hippaſon, & ſummis extantem Rhiphea ſylvis,
Thereaque Æmoniis qui prenſos montibus urſos
Ferre domum vivos indignanteſque ſolebat.
Haud tulit utentem pugnæ ſucceſſibus ultrà
Theſea Demoleon, ſolidoque revellere dumo
Annoſam pinum magno molimine tentat:
Quod quia non potuit, præfractam miſit in hoſtem.
Sed procul à telo Theſeus veniente receſſit
Palladis admonitu (credi ſic ipſe volebat)
Non tamen arbor k iners cecidit: nam Crantoris alti
Abſcidit jugulo pectuſque, humerumq́; ſiniſtrum.
Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille,
Quem Dolopum rector bello ſuperatus Amyntor
Æacidæ dederat pacis pignuſq́; fidemque.
Hunc procul ut fœdo dejectum vulnere Peleus

g Ventrem, orni, quam illapſu corporis ſui fregerat, ſchidio confixit.
h Clavâ è robore nodoſo.
i Tumultuarias hujuſmodi pugnas & cædes promiſcuas habes apud Virg. 9.10.11. & 12. l. Æn. vide noſtrum l.5. ſub initio in nuptiis Perſei & Andromedæ. adi etiam Indicem noſtrum Poëticum. tit. *Pugna tumultuoſa.* Hujus meminit Homerus 1. & 2. Il. Heſiodus in clypeo, Horat. od. 18. lib. 1.

k Non incaſſum & ſine ictu. namque Crantora percuſſit atque interemit, armigerum Pelei, quem ei Amyntor Dolopum rex Phœnicis pater ab eo victus, Peleo obſidem dederat.

Viderat,



Viderat, Inferias, juvenum gratiſſime Crantor,
Accipe, ait: validoq́; in Demoleonta lacerto
Fraxineam miſit l mentis quoque viribus haſtam,
Quæ laterum cratem perrupit, & oſſibus hærens
Intremuit. Trahit ille manu ſine cuſpide lignum,
Id quod vix ſequitur: cuſpis pulmone retenta eſt.
Ipſe dolor vires animo dabat: æger in hoſtem
Erigitur, pedibuſq́; m virum conculcat equinis.
Excipit ille ictus galea clypeoque ſonantes,
Defenſatq́; humeros, prætentaque ſuſtinet arma,
Perque armos uno n duo pectora perforat ictu:
Ante tamen letho dederat Phlegræon, & Hylen
Eminus; Iphinoum collato Marte Daninque:
Additur his Dorylas, qui tempora tecta gerebat
o Pelle lupi, ſævique vicem præſtantia teli
p Cornua dura boum multo rubefacta cruore.
Huic ego (nam vires animus dabat) Aſpice, dixi,
Quantum concedant noſtro tua cornua ferro,
Et jaculum torſi: quod cùm vitare nequiret,
Oppoſuit dextram paſſuræ vulnera fronti.
Affixa eſt cum fronte manus; fit clamor: at illum
Hærentem Peleus, & acerbo vulnere victum
(Stabat enim propior) mediam ferit enſe ſub alvum.
Proſiluit, terraq́; ferox ſua viſcera traxit,
Tractaque calcavit, calcataque rupit, & illis
Crura quoque impediit, & inani concidit alvo.
Nec te pugnantem tua, Cyllare, forma redemit.
q Si modo naturæ formam concedimus illi:
Barba erat incipiens, barbæ color aureus, aurea
Ex humeris medios coma dependebat in armos,
Gratus in ore vigor, cervix, humerique, manuſque,
Pectoraque r artificum laudatis proxima ſignis,
Ex qua parte vir eſt; neq́; equi mendoſa ſub illo

l Nec validis tantùm lacertis & corporis viribus; ſed mentis quoque; id eſt, tantâ irâ atque indignatione, quantam capere valuit animus amicæ animæ vindex.
m Peleum.
n Equi & hominis: Centauri ſcil. infra verſ.478. *Qua vir equo commiſſus erat.*
o Περικρανα θήρεια. Strabo l.11 *cudones ferinos* Silius vocat galeas haſce pellibus tectas. Virg. 7. Æneid.688 v. *fulvoſque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti.* vide quæ nos ad Senecæ Hippolytum. verſ. 541.
p Pyrrhum Epirotarum regem cornua hircina in galeâ geſtaſſe ſcribit Plutarchus. Non ſubſcribo interpretibus qui Dorylam putant itidem cornua bubula in galero geſtaſſe: quin manu gerebat potiùs, uti cervi cornua Exadius: v.267. ſupra.
q Siquidem formæ laus in Centauream cadat naturam.
r Summorum artificum operibus & ſtatuis non multum inferiora.

 Deterior-

Deteriorque viro [s] facies. Da colla, caputque,
[t] Caſtore dignus erit: ſic tergum ſeſſile, ſic ſunt
Pectora celſa toris, totus pice nigrior atrâ,
Candida cauda tamen; color eſt quoque cruribus albus.
Multæ illum petiêre [u] ſua de gente, ſed una
Abſtulit Hylonome: qua nulla decentior inter
Semiferas altis habitavit fœmina ſylvis.
Hæc & blanditiis, & amando, & amare fatendo
Cyllaron una tenet: cultus quoque quantus in illis
Eſſe poteſt membris, ut ſit coma pectine levis,
Ut modò rore maris, modò ſe violave, roſave
Implicet, interdum canentia lilia geſtet,
Biſque die lapſis [x] Pagaſææ vertice ſylvæ
Fontibus ora lavet, bis flumine corpora tingat,
Nec niſi quæ deceant, electarumque ferarum
Aut humero, aut lateri prætendat vellera lævo!
Par amor eſt illis: errant in montibus unâ.
Antra ſimul ſubeunt, & tum [y] Lapitheïa tecta
Intrabant pariter, pariter fera bella gerebant.
[z] Autor in incerto eſt: jaculum de parte ſiniſtrâ
Venit, & inferius, quà collo pectora ſubſunt,
Cyllare, te fixit: parvo cor vulnere læſum
Corpore cum toto poſt tela educta refrixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus,
Impoſitaque manu vulnus fovet, oraque ad ora
Admovet, atque [a] animæ fugienti obſiſtere tentat.
Ut videt extinctum: dictis, quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo quod inhæſerat illi
Incubuit, moriénſque ſuum complexa maritum eſt.

ſ Forma, figura, ſpecies. t Alluſum ad Caſtoris equum cognominem, qui tamen alternis inſerviebat fratribus Dioſcuris, uti dictum ad 3. Georgic. Virg. *Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.* u Centaureâ, biformi, ſemiferâ. x Pagaſæ, vel Pagaſa, oppidum Theſſaliæ in orâ ad Pagaſicum ſinum Iolco proximum. cui πηγῶν id eſt, fontium copiam nomen indidiſſe volunt. repugnante tamen ſyllabæ quantitate. vide quæ ad 7. l. Metam. 1. verſ. y Antrum arboribus tectum quo Pirithoi Lapitharum regis celebratæ ſunt nuptiæ. ſupra verſ. 212. z *Ecce viro ſtridens alis dilapſa ſagitta eſt; Incertum qua pulſa manu, quo turbine adacta,* &c. Virg. Æneid. 12. a Veteribus in more poſitum, ut parens, cognatus, aut amicorum intimorum quiſpiam expirantem deoſculatus, extremum halitum & fugientem animam ore exciperet. uti dictum ad 7. lib 870. verſ. & ad 4. Æneid. Virgil. ibi, *vulnera lymphis Abluam, & extremus ſi quis ſuper halitus errat, Ore legam.* Hîc autem Hylonome animam Cyllari fugientem obſtruere videtur & coërcere ne effugiat.

b Ante



[b] Ante oculos ſtat & ille meos, qui ſæva leonum
Vinxerat inter ſe connexis vellera nodis
[c] Phæocomes, hominémque ſimul protectus, equumque:
[d] Codice qui miſſo, quem vix juga bina moverent
Juncta Phonoleniden ſummo de vertice fregit.
Fracta [e] volubilitas capitis latiſſima, pérque os
Pérque cavas nares, oculoſque, auréſque, cerebrum
Molle fluit; [f] veluti concretum vimine querno
Lac ſolet; utve liquor rari ſub pondere cribri
Manat, & exprimitur per denſa foramina ſuccus.
Aſt ego, dum parat hic armis nudare jacentem,
(Scit tuus hoc [g] genitor) gladium ſpoliantis in ima
Ilia demiſi. Chthonius quoque, Teleboaſque
Enſe jacent noſtro; ramum prior ille bifurcum
Geſſerat, hic jaculum: jaculo mihi vulnera fecit;
Signa vides, apparet adhuc vetus inde cicatrix.
[h] Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti;
Tunc poteram magni, ſi non ſuperare, morari
Hectoris arma meis: illo ſed tempore nullus,
Aut puer Hector erat; Nunc me mea deficit ætas.
Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti;
Ampyca quid referam qui [i] quadrupedantis Oïcli
Fixit in adverſo [k] cornum ſine cuſpide vultu?
Vecte [l] Pelethronius Macareus in pectus adacto
Stravit Erigdupum: memini & venabula condi
Inguine Neſſëi manibus conjecta Cymeli.
Nec tu credideris tantùm ceciniſſe futura
Ampyciden Mopſum. Mopſo jaculante biformis
Occubuit fruſtraque loqui tentavit Odites,
Ad mentum lingua, mentoque ad guttura fixo.
Quinq; neci Cæneus dederat, Stiphelumque, Bromumq;
Antimachumque, Helimumque, ſecuriferumque Pyracmon:

b Videtur & ille mihi ante oculos ſtare. ſubit mihi illius imago, qui. c Exuviis illis leonum ſe totum tegens, quâ homo fuerit, quâ equus. d Arboris ſtipite. e Caput rotundum magnumque. f Sicut lac coagulatum per fiſcellam, aut per cribri foramina transmiſſum ſerum aut liquor alius. g Peleus. h Περιαυτολογία hæc ſenile quiddam eſt, & ætati noſtræ (inquit Cato Ciceronianus) conceditur. Videtiſne ait, ut apud Homerum ſæpiſſimè Neſtor de virtutibus ſuis prædicet? tertiam enim jam ætatem hominum vixerat; nec erat ei verendum, ne vera de ſe prædicans, nimis videretur aut inſolens, aut loquax, &c. i Centauri. Φῆρας λαχνήεντας 2. Iliad. k Puram è corno haſtam. l Lapitha Pelethronium Theſſaliæ montem incolens, *Frena Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere Impoſiti dorſo.* 3. Georgic.

Q 6 Vulnera

*Vulnera non memini; numerum, nomenq́; notavi.*
*Provolat Emathii ſpoliis armatus Aleſi,*
*Quem dederat letho, membris & corpore Latreus*
*Maximus: huic ætas inter juvenémque, ſenémque,*
*Vis juvenilis erat, variabant tempora cani.*
*Qui clypeo, gladioque* [m] *Macedoniaque ſariſſâ*
*Conſpicuus, faciemq́; obverſus in agmen utrumque*
*Armaque concuſſit, certumq́; equitavit in orbem,*
*Verbaque tot fudit vacuas animoſus in auras:*
*Et te,* [n] *Cæni, feram? nam tu mihi fœmina ſemper,*
*Tu mihi Cænis eris. Nec te natalis origo*
*Commonuit, mentémque ſubit, quo præmia facto,*
*Quaque viri falſam ſpeciem mercede parâris?*
*Quid ſis nata vide, vel quid ſis paſſa;* [o] *columque,*
*I, cape cum calathis, & ſtamina pollice torque:*
*Bella relinque viris. Iactanti talia Cæneus*
*Extentum curſu miſſa latus eruit haſtâ,*
*Quà vir equo commiſſus erat. Furit ille dolore,*
*Nudáque* [p] *Phylléi juvenis ferit ora ſariſſâ:*
*Non ſecùs hæc reſilit, quàm tecti à culmine grando;*
*Aut ſi quis parvo feriat cava tympana ſaxo.*
*Comminus aggreditur, laterique recondere duro*
*Luctatur gladium: gladio loca pervia non ſunt.*
*Haud tamen effugies: medio jugulaberis enſe,*
*Quandoquidē mucro eſt hebes, inquit; & in latus enſem*
*Obliquat,* [q] *longaque amplectitur ilia dextrâ.*
*Plaga facit gemitus, ut corpore marmoris icto,*
*Fractaque diſſiluit percuſſo lamina collo.*
*Ut ſatis illæſos miranti præbuit artus,*
*Nunc age, ait Cæneus, Noſtro tua corpora ferro*
*Tentemus: capuloque tenus demiſit in armos*

m Haſtâ Macedoniâ. Q. Curtius l. 9. Macedo juſſa arma ſumpſerat, æreum clypeum, haſtam, quam ſariſſam vocant, lævâ tenens, dextrâ lanceam, &c. ſed & ἄκλασιν adverte in ſecundâ ſyllabâ. n Per contemptum & cum indignatione exprobrat Cæneo ſexum & concubitum Neptuni. de quo ſupra verſ. 195. vide & Ant. Liberalem fab. 17. & Phlegonta Trallianum de monſtris ſexuum. Remulus 9. Æneid. Virgil. *O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.* Homer. Il. 7. Ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. ὦ ἱστὸν ἐπεντύνεσθε ἔσω ἔντοσθε μελάθρων. Ἀνδράσι δ' ἡμετέροισι περὶ πολέμοιο μελήσει. Q. Calaber 1. l. *Cura tibi Divûm effigies & templa tueri; Bella viri pacemque gerent, queis bella gerenda.* Turnus 5. Æn. & Claudianus in Eutropium eunuchum. *Quid te turpiſſime bellis Inſeris? aut ſævis pertentas Pallada campis? Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ; Tu telas, non tela pati; tu ſtamina noſſe, &c.* p Cænei, Theſſali. eſt enim Phyllos opp. Theſſaliæ, Strab. lib. 9. q Extento brachio cæſim ferit, & obliquo ictu; non punctim, ut antea.

*Enſem*



*Enſem fatiferum,* [r] *cæcamque in viſcera movit*
*Verſavitq́; manum, vulnuſque in vulnere fecit.*
*Ecce! ruunt vaſto trepidi clamore bimembres,*
*Telaq́; in hunc omnes unum mittuntque, feruntq́;*
*Tela retuſa cadunt; manet imperfoſſus ab omni*
[ſ] *Inque cruentatus Cæneus Elateïus ictu.*
*Fecerat attonitos nova res. Heu dedecus ingens!*
[t] *Monychus exclamat, Populus ſuperamur ab uno,*
*Vixq́; viro;* [u] *quanquā ille vir eſt: nos ſegnibus actis*
*Quod fuit ille, ſumus. Quid membra immania proſunt?*
*Quid geminæ vires? & quid fortiſſima rerum*
*In nobis duplex natura animalia junxit?*
*Nec nos* [x] *matre dea, nec nos Ixione natos*
*Eſſe reor; qui tantus erat, Iunonis ut altæ*
*Spem caperet: nos ſemimari ſuperamur ab hoſte.*
[y] *Saxa, trabeſque ſuper, totoſq́; involvite montes,*
*Vivacemque animam miſſis elidite ſylvis:*
*Sylva premat fauces; & erit pro vulnere pondus.*
*Dixit: & inſani dejectam viribus Auſtri*
*Fortè trabem nactus, validum conjecit in hoſtem.*
*Exemplumq́; fuit: parvoque in tempore* [z] *nudus*
*Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion umbras.*
[a] *Obrutus immani cumulo ſub pondere Cæneus*
*Æſtuat arboreo, conjectaque robora duris*
*Fert humeris: ſed enim poſtquam ſuper ora, caputq́;*
*Crevit onus, nec habet quas ducat ſpiritus auras,*
*Deficit interdum; modo ſe ſuper aëra fruſtra*
*Tollere conatur jactaſque evolvere ſylvas,*

r Gladium intra vulnus, quem dum viſcera rimando verſaret, vulnus in vulnere fecit. ſ Tmeſis. t Centaurum. μονώνυχος, ſolidungulus. u Qui tamen ſe virum approbat. *Illa virago viri eſt. Nos vires animoſque viri gerimus muliebres.* ex Ennio. x Iunone. nube pro Iunone Ixioni ſuppoſitâ. ἐπεὶ νεφέλᾳ παρελέξατο, ψεῦδος γλυκὺ μεθέπων ἄϊδρις ἀνήρ, &c. Pindar. Pyth. od. 2. & ſupra verſ. 211. y Cæneus, inquit Palæphatus, erat vir bello ſtrenuus & pugnæ ſciens. Is cùm in multis variiſque bellis verſatus fuiſſet, neque vulneratus unquam, cum Lapithis aliquando pugnans, à Centauris interceptus illorum multitudine obrutus eſt. cujus corpus ubi nullo vulnere confoſſum advertiſſent Centauri, ab iis invulnerabilis exiſtimatus eſt. z *Helleniſmus.* arboribus nudatus. a Οἱ δ' ἔμπαλιν ὁρμηθέντες Οὔτε μιν ἐγκλῖναι προτέρω σθένον, οὔτε δαΐξαι. Ἀλλ' ἄρρηκτος, ἀκαμπὴς ἐδύσετο νειόθι γαίης, Θεινόμενος στιβαρῇσι καταΐγδην ἐλάτῃσιν. Apollonius l. 1. v. 61.

 *Inter-*

b De terræ motu, vide quæ ad 299 verſ. l. 15. c Mopſus vates, Ampyci filius. ὃν περὶ πάντων Λητοΐδης ἐδίδαξε θεοπροπίας οἰωνῶν. Apollon. Argon. l. 1. verſ. 65. d Ex autoritate Mss. aliquot, Aldinæque editionis,

*Interdumq́; movet, [b] veluti quam cernimus (ecce!)*
*Ardua ſi terra quatiatur motibus Ide.*
*Exitus in dubio eſt: alii ſub inania corpus*
*Tartara detruſum ſylvarum mole ferebant.*
*Abnuit [c] Ampycides, medioque ex aggere fulvis*
[d] *Vidit avem pennis liquidas exire ſub auras,*
*Quæ mihi tunc primùm, tunc eſt conſpecta ſupremùm.*
*Hanc ubi luſtrantem leni ſua caſtra volatu*
*Mopſus, & ingenti circùm clamore ſonantem*
*Aſpexit, pariterque animo eſt oculiſque ſecutus,*
*O ſalve, dixit, Lapitheæ gloria gentis,*
*Maxime vir quondam, [e] ſed avis nunc unica, Cæneu:*
*Credita res [f] autore ſuo eſt. Dolor addidit iram.*
*Oppreſſumque ægrè tulimus tot ab hoſtibus unum:*
*Nec priùs abſtitimus ferro exercere dolorem,*
*Quàm data pars letho, partem fuga, noxq́; removit.*

præfertur hæc lectio illi vulgo receptæ. *Quæ mihi tum primum fuerat conſpecta volucris.* quorſum enim geminatur hic *avis* & *volucris?* mox etiam dicit. *ſed avis nunc unica Cæneu.* e In priſtinum rediiſſe ſexum autumat Virgilius 6. Æneid. v. 448. *Et juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus, Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.* f Mopſo ita vaticinante.

## Periclymenus in aquilam, & ab Hercule interfectus.

### FAB. 6.

g Filius Herculis ex Aſtioche, inique ferens ſilentio præteriri patris ſui laudatam operam in Centaurorum divictorum gloriâ.

*HÆc inter Lapithas, & ſemihomines Centauros*
*Prælia, [g] Tlepomenes, Pylio referente, dolorem*
*Præteriti Alcidæ tacito non pertulit ore,*
*Atque ait: Herculeæ mirum eſt oblivia laudis*
*Acta tibi, ſenior; Certè mihi ſæpe referre*
*Nubigenas domitos à ſe pater ipſe ſolebat.*
*Triſtis ad hæc Pylius: [h] Quid me meminiſſe malorum*

h *Quid me alta ſilentia cogis Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?* Iuno Virgiliana 10. Æneid. verſ. 63.

Cogis?



*Cogis? & [i] obductos annis [k] reſtringere luctus?*
*Inque tuum genitorem odium, offenſaque fateri?*
*Ille quidem majora fide quoque geſſit, & orbem*
*Implevit meritis, quod mallem poſſe negare:*
*Sed neque Deïphobum, nec Polydamanta, nec ipſum*
*Hectora laudamus: [l] Quis enim laudaverit hoſtem?*
*Ille tuus genitor Meſſenia mœnia quondam*
*Stravit, & immeritas urbes Elinque, Pylumque*
*Diruit, inque meos ferrum, flammaſque penates*
*Impulit: utque alios taceam, quos ille peremit,*
*Bis ſex Neleïdæ fuimus, conſpecta juventus;*
[m] *Bis ſex Herculeïs ceciderunt, me minus uno,*
*Viribus. Atque alios vinci potuiſſe ferendum eſt:*
*Mira [n] Periclymeni mors eſt; cui poſſe figuras*
*Sumere quas vellet, rurſuſque reponere ſumptas*
*Neptunus dederat, [o] Neleï ſanguinis autor.*
*Hic, ubi nequicquam eſt formas variatus in omnes,*
*Vertitur in faciem [p] volucris, quæ fulmina curvis*
*Ferre ſolet pedibus, divûm gratiſſima regi.*
*Viribus uſus avis, pennis, roſtroque [q] redunco,*
*Hamatiſque [r] viri laniaverat unguibus ora:*
*Tendit in hanc nimiùm certos Tirynthius arcus,*
*Atque inter nubes ſublimia membra ferentem,*
*Pendentemque ferit, lateri quà jungitur ala.*
*Nec grave vulnus erat: ſed rupti vulnere nervi*
*Deficiunt, motumq́; negant, vireſque volandi.*
*Decidit in terram, non concipientibus auras*
*Infirmis pennis: &, quæ levis hæſerat alæ,*
*Corporis affixi preſſa eſt gravitate ſagitta.*
*Pérque latus ſummum jugulo eſt exacta ſiniſtro.*
*Num videor debere tui præconia rebus*

i Temporis diuturnitate quaſi callo obductos, & ſopitos. k Rurſus & de novo tangere & exerere, *renovare dolorem.* 2. Æneid. *reſtringere viam* pro *aperire* uſurpavit Lucretius, inquit Gifanius in Collectaneis, quia *reſtringere* valet, id quod antea *conſtringebatur, ſolvere.* Apuleius Metamorp. lumentum reſtrinxit, abiitque liberum ſtabulo ſivit. Editio Aldina aliæque nonnullæ, Mss. inſuper noſtri habent *reſcindere.* l Et tamen *Virtus laudatur in hoſte.*

m Vide quæ ad verſ. 188. ſupra. n Vnius è fratribus meis. omnes nominat interpres Apollonii. ad l. 1. v. 156. o Familiæ noſtræ autor. pater ſc. Nelei. p Aquilæ, qui Iovis ales armiger. Negant, inquit Plinius l. 10. cap. 3. hanc alitem ſolam fulmine examinatam. Apollonii verò interpres ad verſ. 156. l. 1. in muſcam verſum ab Hercule cæſum refert, ubi & multa alia de Periclymeno. q Adunco ut lib. præced. *remittit* pro *permittit* & l. 6. *reſecuta eſt Pallada dictis,* pro *proſecuta eſt.* r Herculis.

Herculis

*Herculis, ô [s] Rhodiæ ductor pulcherrime claſsis?*
*Ne tamen ulterius, quàm fortia facta ſilendo,*
*Ulciſcar fratres, Solida eſt mihi gratia tecum.*
*Hæc poſtquam [t] dulci Neleïus edidit ore,*
*A ſermone ſenis [u] repetito munere Bacchi*
*Surrexêre toris: nox eſt data cætera ſomno.*

s Τληπόλεμ☉ δ' Ἡρακλείδης ἠΰς τε μέγας τε Ἐκ Ῥόδε ἐννέα νῆας ἄγεν Ῥοδίων ἀγερώχων. Iliad. 2. t Τε̃ ϗ ἀπὸ γλώσσης μέλιτ☉ γλυκίων ῥέεν αὐδή. Il. α. u Verſ. 155. ſupra.

## Mors Achillis.

## FAB. 7.

AT deus, æquoreas qui [x] cuſpide temperat undas,
*In volucrem corpus nati [y] Cycneïda verſum*
*Mente dolet patria: ſævumq́; peroſus Achillem*
*Exercet memores plùs quàm civiliter iras.*
*Iamque ferè tracto duo per quinquennia bello,*
*Talibus intonſum compellat [z] Sminthea dictis:*
*O mihi de fratris longè chariſsime natis,*
[a] *Irrita qui mecum poſuiſti mœnia Trojæ,*
[b] *Ecquid, ubi has jamjam caſuras aſpicis arces,*
*Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros*
*Millia cæſa doles? ecquid (nè perſequar omnes)*
*Hectoris umbra ſubit [c] circum ſua Pergama tracti,*
*Cùm tamen ille ferox, belloque cruentior ipſo*
*Vivit adhuc, [d] operis noſtri populator Achilles.*

x Mox v. 594. tripli-ci cuſpide. id eſt, tridenti. qui cur Neptuno fit pro ſceptro, vide quæ ad 596. v. 8, lib. y Cygnum. verſ. 145. ſupra. alias planè res agebant, qui hunc Phaëthontis cognatũ interpretati ſunt. z Apollinẽ, cui mures, qui lingua Cretenſiũ σμίνθοι appellantur, ſacri ſunt. Τὰ ὖν περὶ τὸν Τεύκρες καὶ τοὺς μύας, ἀφ' ὧν ὁ Σμινθεὺς, ἐπειδὴ σμίνθοι οἱ μύες, δεῦρο μετενεκτέον Strabo 13. lib. Sed rationes nominis varias ſeu fabulas lege apud Lil. Gyraldum Syntagm. 7. *a* Peritura nempe, à Græcis delenda, ut ut Deorum opus. lib. 11. verſ. 204. *b* Sic. Mss. melioris notæ & editio Aldina, & Mariangelus; ne claudicet verſus qui in vulgaris eſt, *Ecquid, ubi Aſiacas* cujus prima corripitur, ubi ſignificat partem quartam orbis. *c Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros*, &c. Æneid. 1. *d* Qui *Hectore adempto, tradidit feſsis leviora tolli Pergama Grajis.* ut canit Horatius 4. ode ſecundi lib.





[e] *Det mihi ſe: Faxo, triplici quid cuſpide poſsim,*
*Sentiat. At quoniam concurrere [f] comminus hoſti*
*Non datur, occulta, nec opinum, perde ſagittâ.*
*Annuit, atque animo pariter patruique, ſuoque*
*Delius indulgens, nebula velatus, in agmen*
*Pervenit Iliacum, * mediaque in cæde virorum*
*Rara per ignotos ſpargentem cernit Achivos*
*Tela Parin, faſſuſque deum, Quid ſpicula perdis*
*Sanguine plebis? ait: Si qua eſt tibi cura tuorum,*
*Vertere in Æaciden, cæſoſque ulciſcere fratres.*
*Dixit: & oſtendens ſternentem Troïca ferro*
*Corpora Peliden, arcumq́; obvertit in illum,*
[f] *Certaque lethifera direxit ſpicula dextrâ.*
*Quo Priamus gaudere ſenex [g] poſt Hectora poſſet,*
*Hoc fuit. Ille igitur tantorum victor, Achille,*
*Victus es à timido Graiæ raptore maritæ:*
*At ſi fœmineo fuerat tibi Marte cadendum,*
[h] *Thermodôntiaca malles cecidiſſe bipenni.*
*Iam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelaſgi*
*Nominis Æacides, caput inſuperabile bello*
*Arſerat: armârat [i] deus idem, idémque cremârat.*
*Iam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille*
*Neſcio quid, parvam quod non bene compleat urnam:*
*At vivit totum quæ gloria compleat orbem.*
*Hæc illi menſura viro reſpondet: & hæc eſt*
*Par tibi Pelide, [k] nec [l] inania Tartara ſentit.*
[m] *Ipſe etiam, ut cujus fuerit cognoſcere poſsis,*
*Bella movet clypeus; deque armis arma feruntur.*

e Naviget modò, ſeque mihi credat, ſentiat faxo vindicem. f In imperio meo, mari. * In templo Apollinis Thymbræi, quo invitatus fuerat Achilles ab Hecubâ ad nuptias Polyxenæ, interfectus eſt à Paride poſt ſimulachrum latente. Dictys Cretenſis l. 4. irretitum amplexibus Deiphobi nuptias ſororis illi gratulati, à Paride confoſſum ſcribit. Q. Calaber l. 3. ab ipſo Apolline cæſum indignatur.

f *Qui Paridis direxti tela manuſque Corpus in Aeacidæ.* Æneas Phœbum precatus 6. Æneid. In eam corporis partem quæ erat vulnerabilis, calcaneum nempe, quem prehendens mater eum in Stygiâ tinxit palude. *g* Poſt Hectora ademptum. *h* Penthesileæ, reginæ Amazonum Thermodoontis fl. accolarum, ſecuribuſque armatarum, manu. *i* Vulcanus. qui Thetidos rogatu arma Achilli fabricaverat. *k Nunquam Stygias fertur ad umbras Inclyta virtus.* Senec. Herc. Oet. 1982. verſ. *l* Vide quæ ad 62. verſ. lib. 11. *m* Achillis arma, clypeum, galeam, thoracem, ocreas, gladium, haſtam, Thetis in medium propoſuit, illi ex ducibus auferenda, qui rebus geſtis optimè de filio & re Græcorum meruiſſet. Qu. Smyrnæus 5. l. paralip.

n Non ea Tydides, non audet Oïleus Ajax,
Non minor Atrides, non bello major & ævo
Poſcere, non alii: ſoli Telamone creato
o Laërteque, fuit tantæ fiducia laudis.
p A ſe q Tantalides onus invidiamque removit,
r Argolicoſque duces mediis conſidere caſtris
Juſſit, & arbitrium litis trajecit in omnes.

n Neque enim loricam poſcit Achillis Therſites, in qua ſe traducebat Ulyſſes ancipitem. Iuvenal. 12 Sat.

o Laërteque creato. id eſt, Vlyſſe. Alii Laertiadæque. ut ὦ παῖ Λαρτίου. in Sophoclis Ajace. v, 1. p Homerus Il. 11. & Qu. Smyrnæus l.5. tradunt Agamemnonē hoc arbitrium Trojanis captivis mandaſſe, ex conſilio Neſtoris. Παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν. Vlyſſes ipſe Odyſſ. 11. q Agamemnon filius Atrei, cui Pelops pater, Tantalus avus. r Menelaum, Diomedem, Idomeneum, ſe, &c.

---

# LIBER XIII.

## Contentio inter Ajacem, & Vlyſſem: & Ajacis cruor in Hyacinthum.

### FABULA I.

Conſedere a duces, & vulgi ſtante coronâ,
Surgit ad hos clypei dominus b ſeptemplicis Ajax:
Utque erat impatiens iræ, Sigeïa torvo
Litora proſpexit claſſemque in litore vultu,
Intendenſq; manus, c Agimus (prô Iuppiter!) inquit,
Ante rates cauſam, & mecum confertur Vlyſſes?

a Vide quæ ad verſ. 626 lib. præced. & Qu. Smyrnæum l.5. ubi habetur iſta τῶν ὅπλων κρίσις, & orationes utriuſque. b Taurorum tergore ſeptem vocat Vlyſſes infra verſ. 347. ex Homero cui Il. 7. eſt. σάκος αἰόλον ἑπταβόειον ταύρων ζατρεφέων. Sophocl. ἑπταβόειον ἄρρηκτον σάκος. c Ad qualitatem, inquit Fabius, pertinet, locus ad commendationem & invidiam valet: nam & Ajax apud Ovidium, Ante rates agimus cauſam, &c. lib. 5. cap. 10. Ex decoro etiam perſonæ militaris, & affectuum, iræ atque indignationis adhibetur exordium abruptum.

At



At non d Hectoreïs dubitavit cedere flammis,
Quas ego ſuſtinui, quas hac à claſſe fugavi.
Tutius eſt igitur fictis contendere verbis,
Quàm pugnare manu: ſed nec mihi dicere promptum,
Nec facere eſt iſti; quantumq; ego Marte feroci,
Inque acie valeo, tantùm valet iſte loquendo.
Nec memorãnda tamen vobis mea facta Pelaſgi
Eſſe reor (vidiſtis enim) ſua narret Vlyſſes,
Quæ ſine teſte gerit, quorum nox conſcia ſola eſt.
Præmia magna peti fateor: ſed demit honorem
Æmulus Ajaci. Non eſt tenuiſſe ſuperbum,
Sit licet hoc ingens, quicquid ſperavit Vlyſſes.
Ipſe tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Qui cùm victus erit, mecum certâſſe feretur.
e Atque ego, ſi virtus in me dubitabilis eſſet,
Nobilitate potens eſſem Telamone creatus,
f Mœnia qui forti Trojana ſub Hercule cepit,
Litoraque intravit g Pagaſæa Colcha carinâ.
Æacus huic pater eſt, qui jura ſilentibus illic
Reddit, ubi Æoliden h ſaxum grave h Siſyphon urget;
Æacon agnoſcit ſummus, prolémque fatetur
Iuppiter eſſe ſuam: Sic à Iove tertius Ajax.
Nec tamen hæc ſeries in cauſam proſit Achivi,
Si mihi cum magno non ſit communis Achille:
h Frater erat; fraterna peto. Quid ſanguine cretus
i Siſyphio, furtiſque, & fraude ſimillimus illi,
Inſeris Æacidis alienæ nomina gentis?
An, quòd in arma prior, nulloque ſub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,
Ultima qui cepit, k detrectavitque furore
Militiam ficto, donec ſolertior iſto,

d Iliad. 15. & infra verſ. 91.

e Rationem ſui in judicio hoc habendam poſtulat Ajax, tanquam 1 virtute rebuſque geſtis clarioris, 2 genere nobilioris, 3 ſanguine Achilli conjuncti: premit autem rejicitque adverſarium, ut 1 ignavum, 2 ignobilem 3 alienum.

f Lib. 11. verſ. 217. g Lib. 7. verſ. 1. h Adverſarium perſtringit, quem fama ferebat ex Anticleâ à Siſypho latrone Iſthmum obſidente compreſſa natum, ante Laërtæ nuptias. i Patruelis certè, ut mox verſ. 41. k Vlyſſes uxoris amore detentus inſaniæ ſimulatione militiam ſubterfugere voluit, bove & aſino junctis terram proſcidit, ſalem ſevit. Palamedes vero Nauplii f. Telemachum aranti objecit, adeoque patrem aratrum uſque ſuſpendentem ſimulatæ inſaniæ deprehenſum ad Trojam ire unà cogebat. Vide Lucian. de Domo.

l Et

[l] Et ſibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit ad arma?
Optima nunc ſumat, qui ſumere noluit ulla:
Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi,
Obtulimus quia nos ad prima pericula, ſimus.
Atq; utinam, aut verus furor ille, aut creditus eſſet,
Nec comes hic Phrygias unquàm veniſſet ad arces
Hortator ſcelerum! Non te [m] Pœantia proles,
Expoſitum Lemnos noſtro cum crimine haberet,
Qui nunc (ut memorant) ſylveſtribus abditus antris,
Saxa moves gemitu, Laërtiadaque precaris.
Quæ meruit: quæ (ſi dii ſunt) non vana precaris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma
(Heu!) pars una ducum, quo ſucceſſore ſagittæ
Herculis utuntur, fractus morboque, faméque,
[n] Venaturque, aliturq; avibus, volucreſque petendo
Debita Trojanis exercet ſpicula fatis.
Ille tamen vivit, quia non comitatur Ulyſſem.
Vellet & infelix Palamedes eſſe relictus:
Viveret, aut certè lethum ſine crimine haberet,
Quem, malè convicti nimiùm memor iſte furoris,
Prodere rem Danaûm finxit, fictumq; probavit
Crimen, & oſtendit quod jam [o] præfoderat aurum.
Ergò aut exilio vires ſubduxit Achivis,
Aut nece: ſic pugnat, ſic eſt metuendus Ulyſſes.
Qui licet eloquio fidum quoque Neſtora vincat;
Haud tamen efficiet [p] deſertum ut Neſtora crimen
Eſſe rear nullum: qui cùm imploraret Ulyſſem
Vulnere tardus equi, feſſuſque ſenilibus annis,
Proditus à ſocio eſt. Non hæc mihi crimina fingi
Scit bene Tydides, qui nomine ſæpe vocatum
Corripuit, trepidoque fugam exprobravit amico.

l Ut qui memorem ſibi Ulyſſis iram hinc accerſiverit, cujus falſâ proditione interiit. mox verſ. 58. m Philoctetes Pœantis fil. cui Hercules in Oetâ arſurus arcum & ſagittas dederat, ſine quibus Trojam capi non poſſe reſponderat oraculum. Qui tamen à venenatarum ſagittarum una, quæ in pedem deciderat ſaucius, cùm navigare per dolorē vulneris non poſſet, in Lemno inſ. relictus eſt. Vide Sophoclis Philoctetē. Cic. 2. de Finibus. Qu. Smyrn. l. 5. & l. 9. Pindari Pythia od. 1.

κελχείνη βεβεφρωμένον refert Lycophron. vide Scholiaſten. n Huic lectioni favet quod ex Actio citatur à Cicerone 1. de Finibus, Philoctetem pennarum contextu corpori tegumenta feciſſe. vulg. leg. *Venatur.* & 5. de finib. propagabat vitam aucupio ſagittarum. necnon Sophocles in Philoctete, & Smyrnæus l. 9. o In tentorio Palamedis, per ſervos illius corruptos. p Neſtor, Græcis fulmine territis, & jugali altero ab Alexandro vulnerato, penè interiiſſet ab Hectore interceptus, niſi auxilio occurriſſet Diomedes, fruſtra invocato Ulyſſe & ipſo jam fugâ ſibi conſulente. Il. 8.

Aſpiciunt



Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia juſtis.
En! Eget auxilio, qui non tulit; utque reliquit,
Sic linquendus erat: legem ſibi dixerat ipſe.
[q] Conclamat ſocios. Adſum; videoq; trementem,
Pallentémque metu, & trepidantem morte futura:
Oppoſui [r] molem clypei, texique jacentem,
Servaviq; animum (minimum eſt hoc laudis) inertem.
Si perſtas certare, locum redeamus ad illum:
Redde hoſtem, vulnuſq; tuum, ſolitumq; timorem,
Poſt clypeumque late, & mecum contende ſub illo.
At poſtquam eripui, cui ſtandi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adeſt, ſecumque deos in prœlia ducit,
Quaque ruit, non tu tantum terreris, Ulyſſe,
Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris.
Hunc ego ſanguineæ ſucceſſu cædis ovantem
Eminus [t] ingenti reſupinum pondere fudi.
Hunc ego [u] poſcentem, cum quo concurreret, unus
Suſtinui; [x] ſortémque meam voviſtis Achivi:
[y] Et veſtræ valuêre preces. Si quæritis hujus
Fortunam pugnæ, non ſum ſuperatus ab illo.
[z] Ecce! ferunt Troës ferrumq;, ignémque, Iovémque
In Danaas claſſes: ubi tunc facundus Ulyſſes?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem veſtri reditus: date pro tot navibus arma.
Quòd ſi vera licet mihi dicere, quæritur iſtis,
Quàm mihi, major honos; conjunctaq; gloria noſtra eſt.
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.

q In Ulyſſem qui Socum interfecerat, impreſſione factâ & impetu ingruebant Trojani. inclamantem auxilium audivit Menelaus, qui hortatus eſt Ajacem ut ſuppetias ei ferret Il. 11. r Φέρων σάκος ἠΰτε πύργον, ibid. s A Soci haſtâ immiſſum. t Χερμαδίῳ στῆθος βεβλήκει Iliad 14. Ὡς ἔπεσ' Ἕκτορος

ὦκα χαμαὶ μένος ἐν κονίῃσι. aut etiam 7. Il. ubi Ajax μυλοειδέϊ πέτρῳ, Βλάψε δ' οἱ φίλα γούναθ'. ὁ δ' ὕπτιος ἐξετανύσθη. u Iliad. 7. Hector è Græcis ducibus aliquem ad ſingulare certamen provocat. Novem fortiſſimi, ex conſilio Neſtoris, ſorti rem commiſerunt. exiit ſors Ajacis Telamonii. x Ζεῦ πάτερ ἢ Αἴαντα λαχεῖν: &c ibid. y Ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος κυνέης, ὃν ἄρ' ἤθελον αὐτοί, Αἴαντος. Iliad. 7. z Ἕκτορι γάρ οἱ θυμὸς ἐβούλετο κῦδος ὀρέξαι Πριαμίδῃ ἵνα νηυσὶ κορωνίσι θεσπιδαὲς πῦρ Ἐμβάλῃ, &c. Il. 15.

Conferat

*Conferat his Ithacus* [a] *Rheſum, imbellemq́;* [b] *Dolona,*
*Priamidénque* [c] *Helenum rapta cum* [d] *Pallade captum.*
*Luce nihil geſtum eſt, nihil eſt Diomede remoto.*
*Si ſemel iſta datis meritis tam vilibus arma:*
*Dividite, & pars ſit major Diomedis in illis.*
*Quò tamen hæc Ithaco, qui clam, qui ſemper inermis*
*Rem gerit, & furtis incautum decipit hoſtem!*
*Ipſe nitor galeæ claro radiantis ab auro*
*Inſidias prodet, manifeſtabitque latentem.*
*Sed neque* [e] *Dulichius ſub Achillis caſſide vertex*
*Pondera tanta feret, nec, non onerosa: graviſque,*
[f] *Pelias haſta poteſt imbellibus eſſe lacertis,*
*Nec* [g] *clypeus vaſti cælatus imagine mundi*
*Conveniet timidæ, natæque ad furta ſiniſtræ.*
*Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?*
*Quod tibi ſi populi donaverit error Achivi,*
*Cur ſpolieris, erit; non, cur metuaris ab hoſte:*
*Et fuga, qua ſola cunctos, timidiſſime, vincis,*
*Tarda futura tibi eſt geſtamina tanta trahenti.*
*Adde, quòd iſte tuus tam rarò prælia paſſus,*
*Integer eſt clypeus: noſtro, qui tela ferendo*
*Mille patet plagis, novus eſt ſucceſſor habendus.*
*Deniq́; quid verbis opus eſt? Spectemur agendo.*
[h] *Arma viri fortis medios mittantur in hoſtes:*
*Indè jubete peti, & referentem ornate relatis.*
*Finierat Telamone ſatus, vulgique ſecutum*
*Vltima murmur erat: donec Laërtius heros*

a Regem Thraciæ, qui auxilio Trojanis venit, verùm à Diomede & Vlyſſe interceptus, cum ſuis cæſus eſt. Homer Il. 10 & Virg. Æn. 1. inf. verſ. 249.

b Qui ab Hectore ſpeculatum miſſus, à Diomede & Vlyſſe interceptus atque interfectus eſt. Hom. Il. 10. & infra v. 244. & Virg. 12. Æneid.

c Qui fata Trojanorum arcana Græcis revelavit. Triphiodorus verſ. 44. & Qu. Smyrnæus, lib. 10.

d Palladio, Trojanis fatali. *Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo Palladium,* &c. 2. Æneid. & Qu. Smyrn. l. 10. & infra v. 337. e Dulichium inſ. eſt maris Ionii Ithacæ vicina, Vlyſſi regnata. f Achillis haſta, quam patri dedit Chiron ex Pelio reciſam monte. Il. 16. Qu. Smyrn. lib. 5. g Hujus fabricam & cælaturam vide apud Hom. Il. 18. Qu. Smyrn. 5. l. Silius lib. 7. h Hanc controverſiam, inquit Seneca, memini me videre Naſonem declamare apud rhetorem Arellium Fuſcum, cujus auditor fuit. Nam Latronis admirator erat, &c. Oratio ejus jam tum nihil aliud poterat videri, quàm ſolutum carmen. Adeo autem ſtudioſè Latronem audivit, ut multas ejus ſententias in verſus ſuos tranſtulerit. In armorum judicio dixerat Latro, *Mittamus arma in hoſtes, & petamus.* Naſo dixit; *Arma viri fortis medios mittantur in hoſtes; Inde jubete peti.* Senec. l. 1. controverſ. 10.

*Aſtitit,*



*Aſtitit, atque* [i] *oculos paulùm tellure moratos*
*Suſtulit ad proceres, expectatoque reſolvit*
*Ora ſono; neque abeſt facundis gratia dictis.*
*Si mea cum veſtris valuiſſent vota Pelaſgi,*
*Non foret ambiguus tanti certaminis hæres:*
*Tuque tuis armis, nos te poteremur Achille.*
*Quem quoniam non æqua mihi vobiſque negârunt*
*Fata (manuque ſimul veluti lacrymantia terſit*
*Lumina) quis magno meliùs ſuccedet Achilli,*
*Quàm per quem magnus Danaïs ſucceſſit Achilles?*
*Huic modò nè proſit, quod, ut eſt, hebes eſſe videtur,*
*Néve mihi noceat, quod vobis ſemper Achivi*
*Profuit ingenium: meaq́; hæc facundia, ſiqua eſt,*
*Quæ nunc pro domino, pro vobis ſæpe locuta eſt,*
*Invidia careat,* [k] *bona nec ſua quiſque recuſet.*
*Nam* Genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco. *Sed enim, quia rettulit Ajax*
*Eſſe Iovis pronepos, noſtri quoq́; ſanguinis autor*
*Iuppiter eſt, totidémque gradus diſtamus ab illo:*
*Nam mihi Laërtes pater eſt, Arceſius illi,*
*Iuppiter huic; neq́; in his quiſquam* [l] *damnatus, & exul.*
*Eſt quoq́; per matrem* [m] *Cyllenius addita nobis*
*Altera nobilitas. Deus eſt in utroq́; parente.*
*Sed neq́; materno quod ſum generoſior ortu,*
*Nec mihi quòd pater eſt fraterni ſanguinis inſons,*
*Propoſita arma peto. meritis expendite cauſam:*
*Dummodo, quòd fratres Telamon, Peleuſq́; fuerunt,*
*Ajacis meritum non ſit; nec ſanguinis ordo,*
*Sed virtutis honor, ſpoliis quæratur in iſtis.*

i Ex arte & Rhetorum præcepto. Etiam cum ad judicem nos converterimus, & conſultus Prætor permiſerit dicere, non protinus eſt erumpendum, ſed danda brevis cogitationi cura. Mirè enim auditurum dicturi cura delectat, & judex ſe ipſe componit. Hoc præcipit Homerus Vlyſſis exemplo, quem ſtetiſſe dicit oculis in terram defixis, immotoque ſceptro, priuſquam illam eloquentiæ procellam effunderet. Quin. 11. l. 3. c. locus autē Hom. eſt 3. Il. Στάσκεν· ὑπαὶ δ' ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας, &c. k Οὔτοι ἀπέβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. l Tacitè familiam Ajacis fratricidii notat. Peleus enim Phocum fratrem diſco interemit, uti dictum ad verſ. 269. l. 11. quin & Telamonem ferro in cervicem Phoci adacto, fraternæ cædis non inſontem fuiſſe arguit Vlyſſes mox verſ. 149. ut & commentator in 5. oden Nemeorum Pindari. m Mercurius, à Cyllene monte Arcadiæ ubi natus eſt. Anticlea autem Vlyſſis mater Autolyci filia fuit; Autolycus Mercurii ex Chione Dædalionis fil.

*Aut*

*Aut ſi proximitas, primuſque requiritur hæres,*
*Eſt genitor Peleus, eſt Pyrrhus filius illi*
*Quis locus Ajaci?*[n] *Phthiam hæc,*[o] *Scyronve ferantur.*
*Nec minùs eſt iſto Teucer*[p] *patruelis Achilli:*
*Non petit ille tamen. Num, ſi petat, auferat illa?*
*Ergò operum quoniam nudum certamen habetur,*
*Plura quidem feci, quàm quæ comprendere dictis*
*In promptu mihi ſit: rerum tamen ordine ducar.*
[q] *Præſcia venturi genitrix Nereïa lethi*
*Diſſimulat cultu natum: & deceperat omnes,*
*In quibus Ajacem, ſumptæ fallacia veſtis.*
*Arma ego fœmineis, animum motura virilem,*
*Mercibus inſerui: neque adhuc projecerat heros*
*Virgineos habitus, cùm parmam, haſtamq́ tenenti*
*Nate dea, dixi, tibi ſe peritura reſervant*
*Pergama: Quid dubitas ingentem evertere Trojam?*
*Injecique manum, fortémque ad fortia miſi.*
*Ergò opera illius mea ſunt.* [r] *Ego Telephon haſtâ*
*Pugnantem domui: victum, orantémque refeci.*
*Quòd*[ſ] *Thebæ cecidêre, meum eſt: me credite Lesbon,*
*Me Tenedon,*[t] *Chryſenque, &*[t] *Cillan Apollinis urbes,*
*Et*[u] *Scyron cepiſſe: meâ concuſſa putate*
*Procubuiſſe ſolo Lyrneſſia mœnia dextrâ.*
*Utque alios taceam, qui ſævum perdere poſſet*
*Hectora nempe dedi: per me jacet inclytus Hector.*
*Illis hæc armis,*[x] *quibus eſt inventus Achilles,*
*Arma peto: vivo dederam, poſt fata repoſco.*
*Ut dolor*[y] *unius Danaos pervenit ad omnes,*
*Aulidaque Euboïcam complêrunt*[z] *mille carinæ:*
*Expectata diu, nulla, aut contraria claſſi*

n Vbi Peleus. o Vbi tum Pyrrhus; poſtea quidem acceſſitus à Græcis. p Frater. filius Telamonis ex Heſione, uti Aiax ex Eribœâ. Verſu 31 ſupra. *frater* ponitur pro patruele. q Thetis Nerei filia, cùm ex Proteo didiciſſet filium in Trojanâ expeditione interiturum, cultu illum muliebri diſſimulatum Lycomedi regi Scyri inſ. educandum tradidit. Quem tamen exploravit Vlyſſes, & quia in fatis erat, Trojam ſine illo capi non poſſe, deprehenſum ad Trojanum bellum protraxit. Hygin. fab. 96. Statius in Achilleide, alii. r Lib. 12. verſ. 112. ſ Thebæ in Ciliciâ l. 12. verſ. 110. t Troadis urbes. u Alii *Seſton*, *Siphnon* aut *Syron*, alii legunt ut ſint urbes Troadis, Chryſæ, Cillæ & Lyrniſſo adnumeratæ. Neque enim legerunt quod Euſtathius ſcribit, Scyron, inſ. ab Achille captam ad Il. 9. verſ. 664. τὴν οἱ πόρε δῖος Ἀχιλλεὺς, Σκῦρον ἑλὼν αἰπεῖαν ἐνυεῖον πτολίεθρον. x Modò verſ. 165. y Menelai, propter Helenam ſibi ablatam. z Vide 12. lib. 6. verſ.

*Flamina*



*Angulus è ſaxo, totum tamen obruit Acin.*
*At nos, quod fieri ſolum per fata licebat,*
*Fecimus, ut vires aſſumeret Acis*[z] *avitas.*
*Puniceus de mole cruor manabat: & intra*
*Temporis exiguum rubor evaneſcere cœpit,*
*Fitque color primo turbati fluminis imbre,*
*Purgaturque mora. Tum moles*[a] *tacta dehiſcit,*
*Vivaque per rimas,*[b] *proceraque ſurgit arundo:*
*Oſque cavum ſaxi ſonat exultantibus undis.*
*Miraque res, Subitò media tenus extitit alvo*
*Incinctus juvenis flexis nova*[c] *cornua*[d] *cannis,*
*Qui, niſi quòd major, quòd toto cærulus ore eſt,*
*Acis erat: Et ſic quoq́ erat tamen Acis in amnem*
*Verſus, &*[e] *antiquum tenuerunt flumina nomen.*

z Rapidiſſimo agmine fertur Symæthus. Silius l. 14. *rapidique colunt vada flava Symæthi.* avum imitatus nepos non leniore fluit agmine Acis, à ſagittâ nomen ſortitus. καὶ ὁ Ἄκις, ὀξυῤῥόας ὢν ἐκεῖνος ποταμὸς, τὴν ἐκ τοῦ ὀϊστευτικῆς ἀκίδος κλῆσιν ἔχων. Euſtathius in Homeri Il. 16. a Al. *jacta.* pars ſci. montis à Polyphemo jacta, & Acin obruens. b Ms. *properataque.* properè nata. c Ripas. vide quæ ad verſ. 50. lib. 9. cur fluvii cornua habere dicantur. d Vide quæ ad 3. verſ. lib. 9. e Qui & hodie accolis vocatur *Aci* vel *Iaci.*

## Glaucus in deum marinum. FAB. 9.

*DEſierat Galatea loqui:*[f] *cœtuque ſoluto*
*Diſcedunt, placidiſq́ natant Nereïdes undis.*
*Scylla redit: neq́ enim medio ſe credere ponto*
*Audet, & aut bibula ſine veſtibus errat arenâ,*
*Aut ubi laſſata eſt, ſeductos nacta receſſus*
*Gurgitis, incluſa ſua membra refrigerat undâ.*
*Ecce! Fretum ſcindens alti*[g] *novus incola ponti,*
*Nuper in Euboïca verſis Anthedone membris,*
*Glaucus adeſt, viſæque cupidine virginis ardet,*
*Et, quæcunque putat fugientem poſſe morari,*
*Verba refert: Fugit illa tamen,*[h] *veloxq́ timore*
*Pervenit in ſummum poſiti prope litora montis.*
*Ante fretum eſt ingens apicem*[i] *conjectus in unum*
*Longa ſub arboribus*[k] *convexus ad æquora vertex.*

f Nereïdum, nympharum pelagi cœtu dimiſſo. g Glaucus Anthedone, quæ Bœotiæ, Eubœam cõtra, urbs, natus, nuper Deus maris factus. h Τοῖς τοῦ φόβου πτεροῖς ὀξέως φερομένη. *pedibus timor addidit alas.* Hen. Steph. Schediaſm. l. 6. c. 3. i Mss. *collectus.* k Declivis, devexus ad mare.

S *Conſtitit*

Conſtitit hîc, & tuta loco, monſtrumne, Deuſne
Ille ſit ignorans, admiraturque colorem,
[l] Cæſariémque humeros ſubjectaq; terga tegentem,
[m] Ultimaq; excipiat quòd tortilis inguina piſcis.
Senſit, & innitens, quæ ſtabat proxima, [n] moli,
Non ego prodigium, nec ſum fera bellua, virgo,
Sed Deus, inquit, aquæ; nec majus in æquore Proteus
Jus habet, & Triton, [o] Athamantiadeſq; Palæmon:
Antè tamen mortalis eram, [p] ſed ſcilicet altis
Deditus æquoribus, tantùm exercebar in illis.
Nam modò ducebam ducentia retia piſces:
Nunc in mole ſedens moderabar arundine linum.
Sunt viridi prato confinia litora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis:
Quas neque cornigeræ morſu læſere juvencæ,
Nec placidæ carpſiſtis oves, hirtæve capellæ.
Non apis indè tulit collectos ſedula flores,
Non data ſunt capiti genialia ſerta, nec unquam
Falciferæ ſecuêre manus. Ego primus in illo
Ceſpite conſedi, dum lina madentia ſicco.
Utque recenſerem captivos ordine piſces,
Inſuper expoſui, quos aut in retia caſus,
Aut ſua credulitas in aduncos egerat hamos.
Res ſimilis fictæ: ſed quid mihi fingere prodeſt?
Gramine contacto cœpit [q] mea præda moveri,
Et motare latus, terraque ut in æquore niti.
Dumque moror, miror que ſimul, fugit omnis in undas
Turba ſuas, [r] dominumq; novum, lituſq; relinquunt.
Obſtupui: dubitoque diu, cauſamque requiro,
Num Deus hæc aliquis, num ſuccus fecerit [ſ] herbæ.
Quæ tamen has, inquam, vires habet herba? manuque
Pabula decerpſi, decerptaque dente momordi.

l Vide Iconem Glauci marini, 2. l. Philoſtrati Iconum. m Vel propter formam Sirenum; vel quòd à nonnullis in balænam verſus dicatur. Ἰχθὺν δὲ εἶναι τῷ λοιπῷ τὸ Γλαῦκον δηλοῖ τὰ ζεῖα ἐξηρμμένα καὶ πρὸς τὴν ἰξὺν ἐπιστρέφοντα. Philoſtratus ibid. n Scopulo. o Lib. 4. verſ. 540. p Erat, inquit Palæphatus, Glaucus, natator atque urinator peritiſſimus, ita ut portu Anthedonio in conſpectu civium enatans, & in litore inſulæ deſerto per dies aliquot latitans, poſtmodò rediret ſeque ſub undis per id tempus degiſſe affirmaret, &c. Quin & hyberno tempore, piſces, quoſcunque cives ſui popoſcerant, adducebat, &c. q Piſces capti, jamque exanimes. r Me. ſ Τῆς ἀειζώου βοτάνης, ἧς ὁ Ἀνθηδόνιος ἐκεῖνος δαίμων ἐμφορηθεὶς, ἀθάνατος γέγονε. Athenæus l.13. c.7. vid. eund. l.7. c.12. Τὴν δὲ βοτάνην ἧς ἐγεύσατο, φασὶ τινὲς ἀείζωον εἶναι. Iſ. Tzetz. ad illa Lycophronis Πρὸς κῦμα δύπτην ἐμπεπλεγμένον, &c.



[t] Vix benè combiberant ignotos guttura ſuccos:
Cùm ſubitò trepidare intus præcordia ſenſi,
Alteriuſque rapi naturæ pectus amore.
Nec potui reſtare diu: repetendaque nunquam
Terra vale dixi, corpuſque ſub æquore merſi.
Dii maris exceptum ſocio dignantur honore,
Utque mihi, quæcunque feram mortalia, demant,
Oceanum, Tethynque rogant. Ego luſtror ab illis,
Et, purgante [u] nefas novies mihi carmine dicto,
Pectora fluminibus jubeor ſupponere centum.
Nec mora: diverſis lapſi de partibus amnes,
Totaque vertuntur ſupra caput æquora noſtrum.
Quæ poſtquam redeunt, alium me corpore toto,
Ac fueram nuper, nec eundem mente recepi.
Hactenus acta tibi poſſum memoranda referre:
Hactenus & memini: nec mens mea cætera ſenſit.
Hanc ego tum primùm viridem ferrugine barbam,
[x] Cæſariemq; meam, quam longa per æquora verro,
Ingenteſque humeros & cærula brachia vidi,
[y] Cruraque pinnigero curvata noviſſima piſce.
Quid tamen hæc ſpecies? quid Diis placuiſſe marinis?
Quid juvat eſſe Deum, ſi tu non tangeris iſtis?
Talia dicentem, dicturum plura reliquit
Scylla Deum: Furit ille, irritatuſque repulsâ,
[z] Prodigioſa petit [a] Titanidos atria Circes.

t Ἀθάνατον δὲ βοτάνην καὶ αὐτὸς φαγὼν ἀπεθεώθη εἶτα ὡς εἰς ἄκρον γῆρας ἤρχετο, μηκέτι φέρων, ἐδίσκευσεν ἑαυτὸν εἰς θάλασσαν καὶ ἐπιμήθη ὡς θαλάσσιος δαίμων. Scholiaſtes in lib. 1. Apollonii Argonaut. u Vitiorum labem & ſordes ex anteactâ vitâ humanâ contractas & concretas. x Ὑψε δὲ λαχνῆόν τε καὶ κάρη στήθε' ἀείρας, &c. Apollonius 1. Argonaut. lege & Glauci icona apud Philoſtratum lib. 2. Iconum. y Supra, ad verſ. 916. z In quibus homines in varias beſtiarum formas mutati carminibus & præſtigiis Circes. lib. ſequente. & Virg. 7. Æn. ſub initio. ex 5. Odyſſ. Homeri expreſſ. a Solis, qui è Titânum familiâ & numero, filiæ.

# LIBER XIV.

## Scyllæ inguina in canes.

### FABVLA I.

IAmque [a] giganteïs injectam faucibus Ætnam,
[b] Arvaq; Cyclopum, quid raſtra, quis uſus aratri,
Neſcia, nec quicquam junctis debentia bobus,
Liquerat [c] Euboïcus [*] tumidarum cultor aquarum:
Liquerat & [d] Zanclen, adverſaque mœnia Rhegi,
Navifragumq; fretum, gemino quod litore preſſum:
Auſoniæ Siculæque tenet confinia terræ.
Indè [e] manu magna Tyrrhena per æquora vectus,
Herbiferos adiit colles, atque atria Glaucus
[f] Sole ſatæ Circes, [g] variarum plena ferarum.
Quam ſimul aſpexit, dicta, acceptaque ſalute,
Diva Dei miſerere, precor: nam ſola levare
Tu potes hunc, dixit, (videar modò dignus) amorem.
Quanta ſit herbarum, [h] Titani, potentia nulli
Quàm mihi cognitius, qui ſum mutatus ab illis:
Néve mei non nota tibi ſit cauſa furoris,
Litore in Italico, Meſſenia mœnia contra,
Scylla mihi viſa eſt. Pudor eſt, promiſſa, preceſque
Blanditiaſque meas, contemptaque verba referre.
At tu, ſive aliquod [i] regnum eſt in carmine, carmen
Ore move ſacro: ſive expugnantior herba eſt,

a Ætnæ incendia, cujus crateres evomunt lapides ignitos, flammarum globos & cineres poetæ imputant Encelado, Typhoëo & gigantibus à Iove debellatis, atque ex Ætnæ ſuperinjectæ caminis quaſi faucibus ignem eructantibus. l.5. v. 353. b Arva tribus Cyclopum ſcopulis, hodie Li Fariglioni, ſubjecta, fertilia, ſed inarata. c Glaucus Anthedonius. l. præced. v. 906. * Mss. Liquidarum. d Meſſanam urbem Siciliæ, cui è regione reſpondet Rhegium in Italiâ, interjecto freto Siculo, infami naufragiis, ſcopulis, Scyllâ & Charybdi. e Σιβαρῇ ἐπορέξαλο χειρί. Apoll. Argon. 1. l. de Glauco. f Lege quæ nos ad 74. v. l. 7. Scholiaſt. ad Apollonii Arg. 3. l. 200. v. necnon Diodor. l. 5. Auguſtin. de civitate Dei l. 18. c. 17. & quæ ibi L. Vives. Heſiod. in Theogon. Mythologi Sole natam referunt ad herbarum ſcientiam, quarum vigor à Sole. g De Circe Θηρεπλάσω. Hom. 10. Odyſſ. Lycophron. & commentator ejus. Pallad. 1. l. Antholog. c. 72. Virgil. 7. Æneid. ſtatim ab initio. Mythologi omnes. h Lib. præced. ultimo verſ. i Potentia, imperium, efficacia.

Utere



Utere tentatis [k] operoſæ viribus herbæ.
Nec medeâre mihi, ſaneſque hæc vulnera mando;
Fineque nil opus eſt: [l] partem ferat illa caloris.
At Circe (neque enim [m] flammis habet aptius ulla
Talibus ingenium: ſeu cauſa eſt hujus in ipſâ,
[n] Seu Venus indicio facit hoc offenſa paterno)
Talia verba refert: Melius ſequerêre volentem,
Optantemque eadem, parilique cupidine captam.
Dignus eras, ultro poteras certeque rogari:
Et, ſi ſpem dederis, mihi crede, rogaberis ultro.
Nè dubites, adſitque tuæ fiducia formæ.
En! Ego cùm Dea ſim, nitidi cùm filia Solis,
Carmine cùm tantum, [o] tantum quoq; gramine poſſim,
Ut tua ſim, voveo: [p] ſpernentem ſperne, ſequenti
[q] Redde vices; unoque duas ulciſcere facto.
Talia tentanti, [r] prius, inquit, in æquore frondes,
Glaucus, & in ſummis naſcentur montibus algæ,
Soſpite quàm Scylla noſtri mutentur amores.
Indignata Dea eſt: [ſ] & lædere quatenus ipſum
Non poterat, nec vellet amans, iraſcitur illi,
Quæ ſibi prælata eſt, Veneriſque offenſa repulsâ,
Protinus horrendis infamia [t] pabula ſuccis
Conterit, & tritis [u] Hecateïa carmina miſcet,
[x] Cærulaque induitur velamina, perq; [y] ferarum
Agmen adulantum media procedit ab aulâ,
[z] Oppoſitumque petens contra Zancleïa ſaxa
Rhegion, ingreditur [a] ferventes æſtibus undas.
In quibus, ut ſolida ponit veſtigia terrâ,
Summaque decurrit pedibus ſuper æquora ſiccis.
Parvus erat gurges curvos ſinuatus in arcus,

k Efficacis. l Mutuo mei amore ardeat. m Ejuſmodi amoribus conciliandis. n Seu Venus ultra indicium Solis, qui Martis adulterium ad Vulcanum detulit, turpiſſimis amoribus omnem Solis progeniem traducit. Stirpem peroſa Solis invisi Venus, Per nos catenas vindicat Martis ſui. Senec. Hyppolyt. verſ. 123. o Mss. quantum quoque gramine poſſim. Sed nihil mutandum cenſeo. p Scyllam. q Me amantem mutuo amore proſequere.

r Rerum naturæ inverſarum conditio aut impoſſibilium, vim negationis implicitam habet. ſ In quantum Glaucum jam Deum lædere non poſſet, & qui ipſa illum amaret. t Mss. aliquot gramina. u Incantationes à matre Hecate edoctas. vide 7. l. verſ. 74. x Nigra, magicis factis convenientia. y Hominum in feras & beſtias transmutatorum. ſupra verſ. 10. & ult verſu lib. præced. z Supra ad verſ. 5. a Fretum pedes tranſgreditur. fretum autem à ſimilitudine ferventis aquæ dictum vult Varro l. 6. de L. L. & alii.

 Grata

*Grata quies Scyllæ: quò ſe referebat ab æſtu*
*Et maris, & cœli, medio cùm plurimus orbe*
*Sol erat, & minimas à vertice fecerat umbras.*
*Hunc Dea prævitiat, portentificiſque venenis*
*Inquinat: hic [b] preſſos latices radice nocenti*
*Spargit: & obſcurum verborum ambage novorum*
*Ter novies carmen magico demurmurat ore.*
*Scylla venit, mediaque tenus deſcenderat alvo,*
*Cùm ſua fœdari [c] latrantibus inguina monſtris*
*Aſpicit; ac primò non credens corporis illas*
*Eſſe ſui partes, refugitque, abigitque, timétque*
*Ora proterva canum: ſed quos fugit, attrahit unâ,*
*Et corpus quærens femorum, crurumque, pedumque,*
[d] *Cerbereos rictus pro partibus invenit illis;*
*Statque [e] canum rabies, ſubjectaque terga ferarum*
*Inguinibus truncis, uteroque extante coërcet.*

b Succos ex herbis noxiis expreſſos. c Scyllam nonnulli ſaxum eſſe aiunt muliebrem referens ſupernè formam, ad cujus exeſas infernè cavernas alliſi fluctus luporum ululatus & canum latratus referant Iuſtin. lib. 4. Navigantes, inquit, magnis pelagi deſi-
dentis vorticibus territi, latrare putant undas, quas ſorbentis æſtus vorago
collidit. Strabo l. 1. interpretatur verſus Homeri Odyſſ. μ. innuere venatio-
nem galeotarum piſcium, quos Canes & Xiphias vocant, apud Scyllæum.
Palæphatus Scyllam fuiſſe triremem prædatoriam in mari Siculo exponit.
Ethici exp. homines divinæ animæ compotes per obſcœnas voluptates de-
generare in belluas, canes puta, lupos, ſues, &c. Ponticus Heraclides,
Σκύλλαν τὴν πολύμορφον ἀναίδειαν ἠλληγόρησε. Alii unum ex-
tremorum in medio quorum conſiſtit virtus, Charybdin verò alterum. Ex
Homero Ariſtoteles 2. l. Ethic. Nicom. καθάπερ ἡ Καλυψὼ παραινεῖ,
Ὡς τοῦ μὲν καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε νῆα. d Terribiles, inſtar
triſaucis canis Cerberi. e Virg. 6. ecloga, & 3. Æneid. & Scholiaſtes Apol-
lonii ad 3. l. v. 827. Lycophr. ἐρινύος μιξοπάρθενος κύων.

## Scylla in ſaxum. FAB. 2.

*FLevit amans Glaucus, nimiumque hoſtiliter uſæ*
*Viribus herbarum fugit connubia Circes.*
*Scylla loco manſit: cumque eſt data copia primùm*
*In Circes odium [f] ſociis ſpoliavit Ulyſſem.*
*Mox eadem Teucras fuerat merſura carinas,*
*Ni priùs in ſcopulum, qui nunc quoque ſaxeus extat,*
*Transformata foret: ſcopulum quoque navita vitat.*

f, Sex. Ἐκ νηὸς ἑταίρους Ἕξ ἕλεθ' οἳ χερσίν τε βίηφί τε φέρτατοι ἦσαν, Hom. Odyſſ. μ.





## Cercopes in ſimias. FAB. 3.

*HUnc ubi Trojanæ remis, avidamque Charybdim,*
*Evicêre rates, cùm jam prope litus adeſſent*
*Auſonium, [g] Libycas vento referuntur ad oras.*
[h] *Excipit Ænean illic animoque, domoque,*
*Non benè diſcidium Phrygii latura mariti*
*Sidonis: inque pyra ſacri ſub imagine factâ*
*Incubuit ferro, [i] deceptaque decipit omnes.*
*Rurſus arenoſæ fugiens nova mœnia terræ*
*Ad [k] ſedes Erycis, fidumque relatus Aceſten,*
*Sacrificat, tumulumque ſui genitoris honorat,*
*Quaſque rates Iris Iunonia penè cremârat,*
*Solvit, & [l] Hippotadæ regnum [m] terraſque calenti*
*Sulphure fumantes, [n] Acheloïadumque relinquit*
*Sirenum ſcopulos: [o] orbataque præſide pinus*
[p] *Inarimen, Prochytenque legit, ſterilique locatas*
*Colle Pithecuſas habitantum nomine dictas.*
[q] *Quippe Deûm genitor fraudem & perjuria quondam*
*Cercopum exoſus, gentiſque admiſſa doloſæ,*
*In deforme viros animal mutavit, ut iidem*
*Diſſimiles homini poſſent, ſimileſque videri,*
*Membraque contraxit, nareſque à fronte remiſſas*
*Contudit, & rugis peraravit anilibus ora,*

g Errores, amores, deſcenſum Æneæ ad inferos latiùs habet Virgilius, ſex prioribus libris Æneidos, quorum hic quaſi epitome eſt. h Vixit Æneas 285. annos ante Didonem. hiſtoriæ tamen fidem prægravat Virgilii figmentum, uti dictum à nobis ad 1. & 4. lib. Æneid. i Ab Æneâ deſerta deceptaque decepit & ipſa moritura ſororem. k Siciliam, in quâ mons Eryx, ab Eryce Veneris filio ibi condito. l Æolias inſulas. Æolus cur dictus Hippotades, habes l. 4. verſ. 663. m Vulcani inſulas, Liparam, Hieram, Strongylen. n Sirenum. de quibus dictum ad verſ. 552. lib. 5. o Deſtituta gubernatore Palinuro. Æneid. 5. lib. ſub fine. p Ænariam inſ. Pithecuſas, Iſchiam. ſed de nomine Inarimes ab Homeri εἰν Ἀρίμοις lege quæ diſſerit Erythræus in indice Virgilii. q Inſulæ Inarimes incolæ, ut habet Suidas, impii atque improbi erant impoſtores. in his fratres duo Candulus & Atlas, quorum alter *paxillus*, alter *incus* dictus: fidem Iovi datam cum violâſſent, omnes in ſimias mutati ſunt. *Accepit fabulis priſca fidem.* Quid enim aliud quam clunes in purpurâ, & byſſini ſimii ſunt, non ſcurræ tantum, & blandi moriones, plani, agyrtæ, ſaltatores, cinœdi, quorum *Dimidiæ*, ut habet Martialis, *velat Gallica palla nates?* ſed & ipſi majorum gentium fures, fumivenduli, Thurini, bipedum nequiſſimi Reguli, ranæ Ægyptiacæ, delatores, quadruplatores, inſtrumenta palatina, Reip. Harpyiæ, polypi, verricula?

*Totaque velatos flaventi corpora villo*
*Miſit in has ſedes, nec non priùs abſtulit uſum*
*Verborum, & natæ dira in perjuria linguæ:*
*Poſſe queri tantùm rauco ſtridore reliquit.*
*Has ubi præteriit, &* [r] *Parthenopeïa dextrâ*
*Mœnia deſeruit, læva de parte* [ſ] *canori*
*Æolidæ tumulum, & loca fœta paluſtribus undis*
*Litora Cumarum,* [t] *vivaciſque antra* [u] *Sibyllæ*
*Intrat: &, ut manes adeat per Averna paternos,*
*Orat. At illa diu vultum tellure moratum*
*Erexit, tandemque* [x] *Deo furibunda recepto,*
*Magna petis, dixit, vir factis maxime, cujus*
*Dextera per ferrum eſt, pietas ſpectata per ignes.*
*Pone tamen, Trojane, metum: potiêre petitis;*
*Elyſiaſque domos, & regna* [y] *noviſſima mundi*
*Me duce cognoſces, ſimulacraq; chara parentis.*
Invia virtuti nulla eſt via. *Dixit: & auro*
[z] *Fulgentem ramum ſylva Iunonis Avernæ*
*Monſtravit, juſſitque ſuo divellere trunco.*
*Paruit Æneas, & formidabilis Orci*
*Vidit opes, atavoſque ſuos, umbramque ſenilem*
*Magnanimi Anchiſæ: didicit quoq; jura locorum,*
*Quæque novis eſſent adeunda pericula bellis.*
*Inde ferens lapſos adverſo tramite paſſus,*
*Cum duce Cumæa fallit ſermone laborem.*

r Neapolin, priùs Parthenopen dictam à Sirene cognomine ibi ſepultâ. ſ Miſeni Æoli f. *quo non præſtantior alter Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.* 6. Æneid. t Infra, verſ. 144. redditur ratio. u Vatis Cumanæ. Fœminæ verò vates, ut habet Lactantius lib. 1. Sibyllæ erant à veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel à conſiliis Deorum denunciandis: σιὸς enim Deos, & conſilium βουλὴν appellabant Æoles. Aliis quaſi σιοῦ βουλή, quaſi Deo plena. De numero earum variè varii. Lactantius libro dicto de falſa Religione numerat nominatque decem. vide Suidam. Pauſaniam in Phocicis. Diodorum Sic. l. 5. Lil. Gyraldi Syntagm. Poet. hiſt. 2. Auguſtin. 18. l. de civitate Dei. cap. 23. atque ad eum L. Vivem. Bulengerum de Divination. l. 4. Cluverium in Italiâ antiquâ l. 4. c. 2. I. Boiſſardum de Divinatione c. 2. Sed videatur Iſ. Caſaubonus ad Ann. Baron. n. 18. nec non R. Montacutii Apparatus 3. x Vide quæ nos ad 6. l. Virg. Æn. ſub initio. quæ item ad Lucanum l. 5. v. 83. de origine oraculorum ex Iuſtino lib. 24. & Diodoro Siculo lib. 1. & 16. y Ima. id eſt inferos. Namque ſupremum mundi regnum, eſt cœlum; medium, terra cum aquis; ultimum inferi. z Aureum Prudentiæ ramum, Proſerpinæ deferendum munus. Homer. Odyſſ. 11. Virg. Æn. 6. Igitur ille (de Vlyſſe loquitur Apuleius) hac (Prudentiâ ſeu Minervâ) duce, omnia horrenda ſubiit, omnia adverſa ſuperavit. Quippe ea adjutrice Cyclopis ſpecus introivit ſed egreſſus eſt; Solis boves vidit, ſed abſtinuit; ad Inferos demeavit, ſed aſcendit, &c. lib. de Deo Socratis, ſub exitu.





*Dumque iter horrendum per opaca crepuſcula carpit,*
*Seu Dea tu præſens, ſeu Diis gratiſſima, dixit,*
*Numinis inſtar eris ſemper mihi, meque fatebor*
*Muneris eſſe tui; quæ me loca mortis adire,*
*Quæ loca me viſæ voluiſti evadere mortis:*
*Pro quibus aërias meritis evectus ad auras,*
[a] *Templa tibi ſtatuam, tribuam tibi thuris honores.*
*Reſpicit hunc vates, & ſuſpiratibus hauſtis,*
*Nec Dea ſum, dixit, nec ſacri thuris honore*
*Humanum dignare caput. neu neſcius erres,*
[b] *Lux æterna mihi, cariturаque fine dabatur,*
*Si mea virginitas Phœbo patuiſſet amanti.*
*Dum tamen hanc ſperat, dum præcorrumpere donis*
*Me cupit: Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes,*
*Optatis potiêre tuis. Ego* [c] *pulveris hauſti*
*Oſtendens cumulum, Quot haberet corpora pulvis,*
*Tot mihi* [d] *natales contingere vana rogavi.*
*Excidit, ut peterem juvenes quoq; protinus annos:*
*Hos tamen ille mihi dabat, æternamque juventam*
*Si Venerem paterer. contempto munere Phœbi*
*Innuba permaneo. Sed jam* [e] *felicior ætas*
*Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra ſenectus,*
*Quæ patienda diu eſt: nam jam mihi* [f] *ſecula ſeptem*
*Acta vides; ſupereſt numeros ut pulveris æquem,*
*Tercentum meſſes* [g] *tercentum muſta videre.*
*Tempus erit, cùm de tanto me corpore parvam*
*Longa dies faciet conſumptaque membra ſenectâ*
*Ad minimum redigentur onus; nec amata videbor,*
*Nec placuiſſe Deo: Phœbus quoque forſitan ipſe*
*Vel non agnoſcet, vel dilexiſſe negabit.*
[h] *Vſque adeò mutata ferar, nullique videnda,*
*Voce tamen noſcar: vocem mihi fata relinquent.*

a *Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris, &c.* Æneas Sibyllæ. 6. Æn. Virg. b Immortalitas. c Arenæ pugillum. d Annos. e Lege ſis quæ Seneca commentatur, epiſt. 108, ſuper illis verſibus Virgilii; *Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus, Et labor & dura rapit inclementia mortis* Georgic. 3. lib. f Annos 700. vide quæ ad verſ. 188, lib. 12. g De Neſtore, *Qui dextra computat annos, Quique novum toties muſtum bibit*, Iuven. 10, Sat. h Varro 1. l. 1. c. Neque patiar Sibyllam non ſolum ceciniſſe, quæ, dum viveret, prodeſſent hominibus; ſed etiam quæ cùm periſſet ipſa, &c.

## Vlyſſis ſocii in ſues, & rurſus in priſtinam formam.

### FAB. 5. 6.

TAlia [i] convexum per iter memorante Sibyllâ,
Sedibus [k] Euboïcam Stygiis emerſit in urbem
Troïus Æneas: ſacriſque ex more litatis,
Litora adit nondum [l] nutricis habentia nomen.
Hic quoque ſubſtiterat poſt tædia longa laborum
[m] Neritius Macareus, comes [n] experientis Ulyſſei:
Deſertum quondam mediis in rupibus Ætnæ
Noſcit [o] Achæmeniden, improviſoque repertum
Vivere miratus, Quis te caſuſve deuſve
Servat Achæmenidem? Cur inquit, [p] barbara Graium
Prora vehit? Petitur veſtrâ quæ terra carinâ?
Talia quærenti jam non hirſutus amictu,
Iam ſuus, & ſpinis [q] concreto tegmine nullis,
Fatur Achæmenides: Iterum Polyphemon, & illos
[r] Aſpiciam fluidos humano ſanguine rictus,
Hæc mihi ni potior domus eſt, Ithacique carina,
Si minùs Æneam veneror genitore. Nec unquam
Eſſe ſatis potero (præſtem licet omnia) gratus.
Quòd loquor, & ſpiro, cœlumque & lumina Solis
Aſpicio (poſſumne ingratus & immemor eſſe?)
Ille dedit: quòd non anima hæc Cyclopis in ora
Venit, & ut lumen jam nunc vitale relinquam,
Ut tumulo, aut certe non illa condar in alvo.
Quid mihi tunc animi, niſi quòd timor abſtulit omnem
Senſum, animumque, fuit, cùm vos petere alta relictus

i Aſcenſu arduum. k Cumas Chalcidenſium coloniam. Chalcis autem oppidum eſt Bœotiæ. l Poſtea ab Æneæ nutrice Cajetam dictam. Sed vide quæ nos ad 1. verſ. 7. lib. Æneidos. & infra verſ. 443. m Ithacenſis. Neritos mons eſt Ithacæ. n Πολυμήτιος. o Vide 3. lib. Æneid. ſub exitu libri. p Trojana navis. q Iam non forma viri, miſerandaque cultu, Cui dira illuvies, immiſſaque barba, & Conſertum tegmen ſpinis, ut 3. Æneid. ſed cultus & liber, & ſibi redditus. r Miſerè peream Polyphemi redditus antro, niſi mihi hæc ſub Ænea conditio potior ſit, quàm illa ſub Vlyſſe, &c.

Æquora



Æquora [s] conſpexi? volui inclamare; ſed hoſti
Prodere me timui: veſter quoq; clamor Ulyſſis
Penè rati nocuit. Vidi, cùm monte revulſum
Immanem ſcopulum medias permiſit in undas:
[t] Vidi iterum veluti tormenti viribus acta
Vaſta giganteo jaculantem ſaxa lacerto:
Et, nè deprimeret fluctuſve lapiſve carinam,
Pertimui, jam me non eſſe oblitus in illâ.
Unvero fuga vos ab acerba morte reduxit,
Ille quidem totam gemebundus obambulat Ætnam,
[u] Prætentatque manu ſylvas, & luminis orbus
Rupibus incurſat, fœdataque brachia tabo
In mare protendens, gentem execratur Achivam,
Atque ait: [x] O ſi quis referat mihi caſu Ulyſſem,
Aut aliquem ex ſociis, in quem mea ſæviat ira,
Viſcera cujus edam, cujus viventia dextrâ
Membra mea laniem, cujus mihi ſanguis inundet
Guttur & eliſi trepident ſub dentibus artus!
Quam nullum, aut leve ſit damnũ mihi lucis ademptæ!
Hæc & plura ferox. Me luridus occupat horror
Spectantem vultus etiamnum cæde madentes,
Crudeleſque manus, & inanem luminis orbem,
Membraque & humano concretam ſanguine barbam.
Mors erat ante oculos, minimum tamen ipſa doloris.
Et jam prenſurum, jam nunc mea viſcera rebar
In ſua merſurum: mentique hærebat imago
Temporis illius, quo vidi [y] bina meorum
Ter quater affligi ſociorum corpora terræ;

s Ἧκε δ' ἀπορρήξας κορυφὴν ὄρεος μεγάλοιο, &c. Homer. Odyſſ. 10. verſ. 481. t ἐπεῖσε δ' ἀπορρήξας πέτρας Αὐτοῖσι σὺν ναύτῃσι σιωλείφω βαλών. Euripid. Cyclops. verſ 700. t Αὐτὰρ ὅγ' ἐξαῦτις πολὺ μείζονα λᾶον ἀείρας, &c. Odyſſ. 10. verſ. 536. u Excœcatus ſcil. modò ab Vlyſſe. x Ἀλλ' ἄγε δεῦρ' Ὀδυσεῦ, ἵνα τοι πὰρ ξείνια θείω. Odyſſ. 10. 516. verſ. item verſ. 535. imprecatur Vlyſſi reditum moleſtum. y Henr. Glareanus diſtinguendum putat poſt ter, hoc ſenſu vidi ter bina corpora quater affligi. Quia apud Homerum Polyp. devoravit ſex Vlyſſis ſocios. Sed durior eſt illa Anaſtrophe & noſtro inuſitata. Simplicior & ſanior erit conſtructio, Vidi bina meorum ſociorum corpora, tribus ſcil. vicibus affligi terræ. Ita nempe Virgilius 3. Æneid. Vidi egomet, duo de numero cùm corpora noſtro, &c. Mar. Accurſus legit vidi pro bina. Homer. Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥς τε σκύλακας ποτὶ γαίῃ Κόπτε, &c. Odyſſ. 9. verſ. 280.

[z] Cùm ſuper ipſe jacens hirſuti more leonis
Visceraque, & carnes, cumque albis oſſa medullis,
Semianimeſque artus avidam condebat in alvum.
Me tremor invaſit: ſtabam ſine ſanguine mœſtus,
Mandentémque videns, [a] ejactantémque cruentas
Ore dapes, & fruſta [b] mero glomerata vomentem.
Talia fingebam miſero mihi fata parari:
Perq; dies latitans multos, omnemque tremiſcens
Ad ſtrepitum, mortemq; timens, cupiduſq; moriri,
Glande famem pellens, & miſta frondibus herbâ,
Solus, inops, exſpes, letho pœnaque relictus,
Hanc procul aſpexi longo poſt tempore navem,
Oravique fugam geſtu, ad lituſque cucurri,
Et movi, Graiumque ratis Trojana recepit.
[c] Tu quoque pande tuos, comitum gratiſſime, caſus,
Et ducis, & turbæ, quæ tecum eſt credita ponto.
Æolon ille refert Thuſco regnare profundo,
Æolon [d] Hippotaden cohibentem carcere ventos,
[e] Quos bovis incluſos tergo (memorabile munus)
Dulichium ſumpſiſſe ducem, flatúque ſecundo
Lucibus iſſe novem, & [f] terram aſpexiſſe petitam:
Proxima poſt nonam cùm ſeſe aurora moveret,
Invidia ſocios, prædæque cupidine victos
Eſſe ratus aurum [g] dempſiſſe ligamina ventis,
Cum quibus iſſe retro, per quas modò venerat undas,
Æoliique ratem portus repetiſſe tyranni.
Inde Lami veterem Laſtrygonis, inquit, [h] in urbem
Venimus: Antiphates terra regnabat in illâ.
[i] Miſſus ad hunc ego ſum, numero comitante duorum,
Vixque fuga quæſita ſalus comitique, mihique:

z Ἤσθιε δ' ὥς τε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν Ἔγκατά τε σάρκας τε καὶ ὀστέα μυελόεντα. ibidem. a Φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι. verſ. 373. b Dato ſibi ab Vlyſſe. c O Macareu. d Iovis ex Aceſtâ Hippotæ Trojani filiâ, filium. v. 663. l. 4. e Δῶκε δέ μοι δείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο. Ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα, &c. Odyſſ. 10. v. 9. f Ithacam. g Ἀσκὸν μὲν λῦσαν, ἄνεμοι δ' ἐκ πάντες ὄρουσαν, Odyſſ. 10. v. 47. h Quæ poſtea Formiæ dicta eſt, Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον. Homer. i Ἄνδρε δύω κρίνας, τρίτατον κήρυχ' ἅμ' ὀπάσσας. verſ. 107.

k Tertius



[k] Tertius è nobis Laſtrygonis impia tinxit
Ora cruore ſuo. Fugientibus inſtat, & agmen
Concitat Antiphates: coëunt, & ſaxa, trabeſque
Conjiciunt, merguntque viros, merguntq; carinas;
Una tamen, quæ nos, ipſumque vehebat Vlyſſem,
Effugit. [l] Amiſſa ſociorum parte dolentes,
Multaque conqueſti [m] terris allabimur illis,
Quas procul hinc cernis: Procul hinc (mihi crede) videnda
Inſula viſa mihi: Tuque ô juſtiſſime Troum
Nate Dea (neque enim finito Marte vocandus
Hoſtis es Ænea) moneo, fuge litora Circes.
Nos quoque Circæo religata in litore pinu
Antiphatæ memores, [n] immanſuetique Cyclopis
Ire negabamus, vel tecta ignota ſubire.
[o] Sorte ſumus lecti: ſors me, fidumque Politen,
Eurylochumque ſimul, [p] nimiique Elpenora vini,
[q] Biſque novem ſocios Circæa ad mœnia miſit.
Quæ ſimul attigimus, ſtetimuſque in limine tecti,
[r] Mille lupi, miſtique lupis urſique, leæque
Occurſu fecère metum: ſed nulla timenda,
Nullaque erat noſtro factura in corpore vulnus.

k Αὐτίχ' ἕνα μάρψας ἑτάρων, ὡπλίσσατο δόρπον. verſ. 121. l Ἐς πόντον ἐπηρεφέας φύγε πέτρας Νηῦς ἐμή· αὐτὰρ αἱ ἄλλαι ἀολλέες αὐτόθ' ὄλοντο. verſ. 136. m Circeum indigitat promontorium, olim inſulam, nunc continenti junctum. Virgil. 7. Æn. ſtatim ab initio. n Epitheton hoc pro abjecto & nimis leni vellicant nonnulli. defendit Mariang. Accurſius & Herc. Ciofanus; non ſegnius quam *illaudati Buſiridis aras* apud Virgilium, Agellius l. 2. c. 6. o Κλῆρος δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλομεν ὦκα· Ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος μεγαλήτορος Εὐρυλόχοιο, &c. Odyſſ. 10. verſ. 206. p Ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος. Elpenoris umbra, Odyſſ. 11. verſ. 61. q Viginti duos præter Eurylochum, Homero. ἅμα τῷ γε δύω καὶ εἴκοσ' ἑταῖροι. 10. Odyſſ. verſ. 208. r Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι, ἠδὲ λέοντες. verſ. 211. Quid aliud, inquit Eraſmus, innuit Circes fabula, veneficiis homines vertentis in feras, niſi quod homines rationis clavo deſtituti in pecudum degenerant naturam, libidine ſcil. in urſos, rapacitate in lupos, ebrietate in ſues, ferociâ in leones, &c. Quid Vlyſſes, non mutatus, niſi conſtantem ſapientis habitum, qui nec affectuum illiciis, nec diſcriminum terroribus ab honeſto abduci poteſt? lege & Palladæ epigr, lib. 1, Anthol, cap. 72.

Quin etiam [s] blandas movêre per aëra caudas,
Noſtraque adulantes comitant veſtigia, donec
Excipiunt famulæ, perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulchro ſedet illa receſſu
Sublimi ſolio, pallamque induta nitentem:
Inſuper aurato circumvelatur amictu.
Nereïdes, Nymphæque ſimul, quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila ſequentia ducunt,
Gramina diſponunt, ſparſoſque ſine ordine flores
Secernunt calathis, variaſque coloribus herbas.
Ipſa, quod hæ faciunt, opus exigit: ipſa quis uſus,
Quoque ſit in folio, quæ ſit concordia miſtis
Novit, & advertens penſas examinat herbas.
Hæc ubi nos vidit, dicta, acceptaque ſalute,
Diffudit vultus, & [t] reddidit omnia votis.
Nec mora: [u] miſceri toſti jubet ordea grani,
Mellaque, vimque meri, & cum lacte coagula paſſo
Quique ſub hac lateant furtim dulcedine ſuccos
Adjicit. Accipimus ſacrâ data pocula dextrâ.
Quæ ſimul arenti ſitientes hauſimus ore,
[x] Et tetigit virga ſummos Dea dira capillos,
Et pudet, & referam, Setis horreſcere cœpi,
Nec jam poſſe queri, pro verbis edere [y] raucum
Murmur, & in terram toto procumbere vultu,
Oſque meum ſenſi pando occalleſcere roſtro,
Colla tumere toris, &, [z] quæ modò pocula parte
Sumpta mihi fuerant, illa veſtigia feci.
Cumque eadem paſſis (tantum medicamina poſſunt)
Claudor in antra. ſuis ſolum caruiſſe figurâ
Vidimus [a] Eurylochum: ſolus data pocula fugit.
Quæ niſi vitâſſet, pecoris pars una maneret
Nunc quoque ſetigeri: nec tantæ cladis ab illo
Certior ad Circen ultor veniſſet Vlyſſes.

s Οὐρῇσι μακρῇσι περισαίνοντες ἀνέσταν. 10. Odyſſ. 215. verſ.

t Exporrecta fronte, vultuque læto, nobis omnia pro voto noſtro benignè reſpondit.

u Τυρόν τε καὶ ἄλφιτα ἐ. μέλι χλωρὸν Οἴνῳ πραμνείῳ ἐκύκα, ἀνέμισγε δ' σίτῳ Φάρμακα λυγρά, &c. 10. Odyſſ. verſ. 234.

x Ῥάβδῳ πεπληγυῖα ἐ συφεοῖσι ἐέργνυ. ibidem. y Grunnitum. z Brachia in crura anteriora abierunt. a Qui ſolus ex 23 ſociis Vlyſſis non intrabat, ὀϊσάμενος δόλον εἶναι, quique ſupereſſet nunciaturus hæc Vlyſſi.

b Pacifer



[b] Pacifer huic dederat [c] florem Cyllenius album
Moly vocant ſuperi, nigra radice tenetur.
Tutus eo, mentiſque ſimul cœleſtibus, intrat
Ille domum Circes, & inſidioſa vocatus
Pocula, [d] conantem virga mulcere capillos
Reppulit, & ſtricto pavidam deterruit enſe.
Inde fides, dextræq; datæ, [e] thalamoq; receptus
Conjugii dotem ſociorum corpora poſcit.
Spargimur ignotæ ſuccis melioribus herbæ,
Percutimurque caput converſæ verbere virgæ,
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.
Quò magis illa canit, magis hoc tellure levati
Erigimur, ſetæque cadunt, bifidoſque relinquit
Rima pedes: redeunt humeri, & ſubjuncta lacertis
Brachia ſunt, flentem flentes complectimur illum,
Hæremuſque ducis collo, nec verba locuti
Ulla priora ſumus, quàm nos teſtantia gratos.
[g] Annua nos illîc tenuit mora, multaque præſens
Tempore tam longo vidi, multa auribus hauſi:
Hoc quoq; cum multis, quod clam mihi rettulit una
Quatuor è famulis ad talia ſacra paratis.
Cum duce namq; meo Circe dum ſola moratur,
Illa mihi niveo factum de marmore ſignum
Oſtendit juvenile, gerens in vertice picum
Æde ſacra poſitum, multiſque inſigne coronis.
Quis foret, & quare ſacra coleretur in æde,
Cur hanc ferret avem, quærenti, & ſcire volenti,
Accipe, ait, Macareu, dominæq; potentia quæ ſit
Hinc quoque diſce meæ. Tu dictis adjice mentem.

b Pacis internuncius & conciliator. caduciſer dictus lib. 2. v. 71. ad quem vide quæ nos.

c Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δ' εἴκελον ἄνθος, Μῶλυ δὲ μιν καλέουσι θεοὶ χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν Ανδράσι, &c. Odyſſ. 10. v. 304. Plin. l. 25. c. 3. Photius ex Ptolem. Hephæſtione, Lycophron. Lil. Girald. 14. dialogiſm. herbam hanc à Mercurio Vlyſſi datam tanquam amuletum adverſus veneficia præſentiſſimum. φρόνησιν alii, σωφροσύνην interpretantur alii, cujus aditum arduum, exitum feliciſſimum eſſe volunt. vide quæ ad v. 114. ſupra. Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι, &c. Heſiod. ἔργ. d Ὁππότε κεν Κίρκη σ' ἐλάσῃ περιμήκεϊ ῥάβδῳ Δὴ τότε σὺ ξίφος, 10. Odyſſ. v. 293. e Ibid. verſ. 295. f Ibid. verſ. 392. g Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην, &c. Odyſſ. 10. v. 409. Ancillas verò quatuor anni tempeſtates exponunt quidam; alii elementa quatuor ipſam Circen interpretantur miſtionem & alterationem diverſarum rerum, unde generentur omnia, beneficio Solis, cujus filia Circe.

Picus

## Picus in avem ſui nominis.

### FAB. 7.

[h] Picus in Auſoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, [i] utilium bello ſtudioſus equorum.
Forma viro, quam cernis, erat: licet ipſe decorem
Aſpicias, fictaque probes ab imagine veram.
Par animus formæ: [k] nec adhuc ſpectâſſe per annos
Quinquennem poterat Graios quater edere pugnam.
Ille ſuos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus: illum fontana petebant
Numina Naïades, quas Albula, quaſq; Numici,
Quas Anienis aquæ, [l] curſuq; breviſſimus Almo,
Narve tulit præceps, & opacæ Farfarus undæ,
[m] Quæq; colunt Scythicæ ſtagnum nemorale Dianæ,
Finitimoſque lacus; ſpretis tamen omnibus, unam
Ille colit Nympham, quam quondam in colle Palatî
Dicitur [n] ancipiti peperiſſe Venilia Iano.
Hæc ubi nubilibus primùm maturuit annis,
Præpoſito cunctis Laurenti tradita Pico eſt.
Rara quidem facie, ſed rarior arte canendi,
[o] Unde Canens dicta eſt: ſylvas, & ſaxa movere,
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore ſuo volucreſque vagas retinere ſolebat.
Quæ dum fœminea modulatur carmina voce,
Exierat tecto Laurentes Picus in agros,
Indigenas fixurus apros, tergumque premebat
Acris equi, lævaque haſtilia bina gerebat,

h Picus patri Saturno ſucceſſit in regno Latii; quò, à Iove pulſus confugerat Saturnus. i Picus equum domitor. Virg. 7. Æneid. ἱππόδαμος. k Nondum illi per ætatem (ut qui viceſimum non attigiſſet annum) licuit quater agere ſpectatorem ludorum Olympicorum, quos quinto quoque anno ineunte edebant Græci. Expeditior hæc lectio, quàm Lipſienſis. *Quinquennem poterat Graiam quater edere pugnam.* & ſanior expoſitio. namque ibi corrector *edere* interpretatur *dicere*. hac mente atque ordine: nondum poterat Picus dicere, ſe quater ſpectâſſe Olympia. Mss. aliquot, *Graia quater edere pugnâ.* l Qui non longè à fonte ſuo ſe in Tyberim exonerat. m Nymphæque colentes ſtagnum in nemore Aricino, quo Dianam ex tauris Scythicis, ubi immolabantur illi victimæ humanæ, tulit Oreſtes. 3. Faſtor. 1. de Ponto, el. 3. n Bifronti, bicipiti. o *Ipſa mone, qua nomen habes à carmine dictum.* Ovid. 1. Faſtorum.

p Phœni-



[p] Phœniceam fulvo chlamydem compreſſus ab auro.
Venerat in ſylvas & [q] filia Solis eaſdem:
Utque novas legeret fœcundis collibus herbas,
Nomine dicta ſuo Circæa reliquerat arva.
Quæ ſimul ac juvenem virgultis abdita vidit,
Obſtupuit: [r] cecidêre manu quas legerat herbas,
Flammaque per totas viſa eſt errare medullas.
Ut primùm valido mentem collegit ab æſtu,
Quid cuperet faſſura fuit. Nè poſſet adire,
Curſus equi fecit, circumfuſuſque [ſ] ſatelles.
Non tamen effugies, vento rapiare licebit,
Si modò me novi, ſi non evanuit omnis
Herbarum virtus, nec me mea carmina fallunt.
Dixit: & [t] effigiem nullo cum corpore falſi
Finxit apri, præterque oculos tranſcurrere regis
Juſſit, & in denſum [u] trabibus nemus ire videri,
Plurima quà ſylva eſt, & equo loca pervia non ſunt.
Haud mora: continuò prædæ petit inſcius umbram
Picus, equique celer ſpumantia terga reliquit,
Spémque ſequens vanam, ſylva pedes errat in altâ.
Concipit illa preces, [x] & verba precantia dixit,
Ignotoſque Deos ignoto carmine adorat,
Quo ſolet & niveæ [y] vultum confundere Lunæ,
Et [z] patrio capiti bibulas ſubtexere nubes.
Tunc quoque cantato denſatur carmine cœlum,
Et nebulas exhalat humus, cæciſque vagantur
Limitibus comites, & abeſt cuſtodia regis.
Nacta locum, tempuſque, Per, ô, tua lumina dixit,

p Purpuream indutus chlamydem, quam aureus obibat limbus. vel potius, *Lato quam circumplectitur auro Baltheus, & teretes ſubnectit fibula gemma.* Æn. 5. vide & v. 394. infra. q Circe. verſ. ult. lib. 13. r Sic Cadmi comitibus. 3. lib. *Effluxere undæ manibus; ſanguiſque reliquit Corpus, & attonitos ſubitus tremor occupat artus.* ſ Comites, ſtipatores circumfuſi. t Effigiem hanc umbratilem adumbraſſe Noſter videtur ad illam quam Iuno *nube cava tenuem ſine viribus umbram, In faciem Aeneæ finxit*, Æneid. 10. verſ. 634. vel uterque ex Homeri Iliade 5. ubi Apollo idolon fecit Aeneæ ſimile; aut Iliade 21. ubi idem Apollo ſe Agenori aſſimilat, quem perſequitur Achilles. An verò ejuſmodi effigies compingi poſſint, vide Delrii Diſquiſit. Magicas, lib. 3. quæſt. 27. ſect. 2. u Arborum ramis, arboribus. x Bulengerus lib. 2. adverſus Magos. cap. 1. y Vide quæ ad v. 333. lib. 4. & verſ. 263. lib. 12. z Soli. lib. præced. verſ. ult.

a Quæ

[a] *Quæ mea ceperunt, perq; hanc, pulcherrime, formam,*
*Quæ facit, ut ſupplex tibi ſim Dea, conſule noſtris*
*Ignibus, & ſocerum, qui prævidet omnia, Solem*
*Aſpice, nec durus Titanida deſpice Circen.*
*Dixerat. Ille ferox ipſamque, precéſque repellit,*
*Et quæcunque es, ait, non ſum tuus: altera captum*
*Me tenet, & teneat per longum comprecor ævum,*
*Nec Venere externa* [b] *ſocialia fœdera lædam,*
*Dum mihi Ianigenam ſervabunt fata Canentem.*
*Sæpe retentatis precibus Titania fruſtra,*
*Non impunè feres, neque ait, reddêre Canenti;*
[c] *Læſaq; quid faciat, quid amans, quid fœmina, diſces*
*Rebus ait: ſed amans, & læſa, & fœmina, Circe eſt.*
*Tum bis ad occaſum, bis ſe convertit ad ortum:*
[d] *Ter juvenem baculo tetigit, tria carmina dixit.*
*Ille fugit:* [e] *ſed ſe ſolito velociùs ipſe*
*Currere miratus, pennas in corpore vidit;*
*Séque novam ſubitò Latiis accedere ſylvis*
*Indignatus avem, duro fera robora roſtro*
*Figit, & iratus longis dat vulnera ramis.*
*Purpureum chlamydis pennæ traxêre colorem:*
*Fibula quod fuerat, veſtémque momorderat, aurum*
*Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro,*
*Nec quicquam antiquum Pico, niſi nomina, reſtat.*

a Oculi quippe ſunt in amore duces. ἔρωτος δᾳδοῦχοι, animi ſui indices, alieni exploratores & prædatores. *Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Fœmina.* Æn. 1. ἀρχὴ τοῦ ἐρᾷν ἡ διὰ τῆς ὄψεως ἡδονή. Ariſt. Eth. Ni. 9. l. 5. c. Ipſi tui oculi per meos oculos ad intima delapſi præcordia, meis medullis acerrimum commovent incendium, inquit Apuleius l. 10. Met. *Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis.* Propert. 1. lib. 1. el. reflexu ſcil. radiorum lippiunt amatores oculi & *dum ſpectant læſos, læduntur & ipſi.* vide verſ. 440. lib. 3. b Conjugalia. c *Duri magno ſed amore dolores Polluto, notumque furens quid fœmina poſſit.* Æn. 5. verſ. 5. d Religionis ſummæ Pythagoricus hic numerus, & maſculæ virtutis, & Deorum ſuperûm propter trinitati regulam divinæ rationis. vide quæ nos ad Virgilii eclog. 8. *numero deus impare gaudet.* e *Picus equum domitor: quem capta cupidine conjux* (lege quæ nos ad locum illum) *Aurea percuſſum virga. verſumque venenis Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.* Virg. 7. Æneid.

## Pici ſocii in feras. FAB. 8.

*INterea comites clamato ſæpè per agros*
*Nequicquam Pico, nullaque in parte reperto,*
*Inveniunt Circen, (nam jam tenuaverat auras,*





*Paſſaque erat nebulas ventis ac ſole reſolvi)*
*Criminibuſq; premunt veris, regémque repoſcunt,*
*Vimque ferunt, ſæviſque parant inceſſere telis.*
*Illa* [f] *nocens ſpargit virus, ſuccoſque veneni,*
*Et noctem, noctiſque deos,* [g] *Ereboque, Chaoque*
*Convocat, & longis Hecaten ululatibus orat.*
*Exiluêre loco (dictu mirabile) ſylvæ,*
*Ingemuitque ſolum, vicinaque palluit arbor,*
*Sparſaque ſanguineis rubuerunt pabula guttis,*
*Et lapides viſi mugitus edere raucos,*
*Et latrare canes, & humus ſerpentibus atris*
*Squallere, & tenues animæ volitare videntur.*
*Attonitum monſtris vulgus pavet. Illa paventum*
*Ora venenata tetigit mirantia virgâ:*
*Cujus ab attactu variarum monſtra ferarum*
*In juvenes veniunt. Nulli ſua manſit imago.*

f Carmina quid poſſint, incantationes ſcil. & veneficia prædicant paſſim poetæ quos citat Index noſter Poëticus titul. *Magiæ vis.* Vide etiam quæ nos ad verſ. 200. & 223. lib. 7. ſupra. g Ita Mss. noſtri & Ciofani. atque ita legit Priſcianus lib. 6. exponitque, *ab Erebo & à Chao.* Neque enim placet quod obtrudunt nonnulli *Ereboque Chaoque,* contra fidem lib. referuntque ad *noctis Deos,* qui intelliguntur Pluto, Hecate, Demogorgon. vide quæ nos ad Lucanum lib. 6. verſ. 746. Eſt autem Erebus, obſcuriſſimus Inferni locus. de Chao dictum ad 6. verſ. lib. 1.

## Canens Pici uxor in auras. FAB. 9.

*PReſſerat occiduus* [h] *Harteſsia litora Phœbus,*
*Et fruſtra conjux oculis animoque Canentis*
*Expectatus erat: famuli populuſque per omnes*
*Diſcurrunt ſylvas, atque obvia* [i] *lumina portant.*
*Nec ſatis eſt Nymphæ flere, & lacerare capillos,*
*Et dare plangorem; facit hæc tamen omnia, ſeque*
*Proripit, ac latos errat veſana per agros:*
*Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis*

h Al. *Carthesia litora.* Cartheia enim Melæ, Ptolemæo, & Plinio eadem cum Tarteſſo. quæ aliis *Tariſſa* eſt, opp. Hiſpaniæ Bæticæ inter Calpen & Belonem: aliis *Algezira:* aliis Gadium inſula. Strabo lib. 3. refert veteres Bætin appellâſſe Tarteſſum. Secundum verò opinionem vulgarem è litore Heſperio proſpicientibus Sol in Oceano, tanquam in plano, occidere videtur. i Funalia, faces.

*Lumina: viderunt* [k] *inopem ſomnique cibique,*
*Per juga, per valles, quà ſors ducebat, euntem.*
*Ultimus aſpexit feſſam luctuque viaque*
*Tybris, & in gelida ponentem corpora ripâ.*
*Illic cum lacrymis ipſos modulata dolores,*
*Verba ſono tenui mœrens fundebat: ut olim*
[l] *Carmina jam moriens canit exequialia cycnus.*
*Luctibus extremùm tenues liquefacta medullas*
*Tabuit, inque leves paulatim evanuit auras:*
*Fama tamen ſignata loco eſt, quem rite Canentem*
*Nomine de Nymphæ veteres dixêre coloni.*
*Talia multa mihi longum narrata per annum,*
*Viſaque ſunt. reſides, & deſuetudine tardi*
*Rurſus inire fretum, rurſus dare vela jubemur:*
*Ancipiteſque vias, & iter Titania vaſtum*
*Dixerat, & ſævi reſtare pericula ponti.*
*Pertimui, fateor, nactuſque hoc litus adhæſi.*

k Expertem. Homini non utique ante ſeptimum lethalis eſt inedia. duraſſe & ultra undecimum pleroſque certum eſt. Plin. l. 11. cap. 54. l Cycnum tanquam Apollinis avem, fati ſui approximantis præſcium ſuaviſſimè canere ſcribunt Plato in Phædone, Cic. Tuſc. quæſt. 1. Callimachus, Philoſtratus, Oppianus, Lucretius, alii innumeri. Negat Athenæus l. 9. c. 11. ὁ δὲ Μύνδιός φησι Ἀλέξανδρος πολλοῖς τελευτῶσι παρακολουθήσας, οὐκ ἀκοῦσαι ᾀδόντων. Et Ælianus lib. 1. cap. 9. Ἐγὼ δὲ ᾄδοντος κύκνου οὐκ ἤκουσα, ἴσως δὲ οὐδὲ ἄλλος. Necnon Pierius 23. lib. Hieroglyph. cap. 1. & Scaliger 232. exercitat.

## Diomedis comites in aves Diomedeas,

## FABULA 10.

*FInierat Macareus. urnaque* [m] *Æneïa nutrix*
*Condita, marmoreo tumulo breve* [n] *carmen habebat:*
*Hic me Cajetam notæ* [p] *pietatis alumnus,*
*Ereptam Argolico* [q] *quo debuit igne cremavit.*
*Solvitur herboſo religatus ab aggere funis*
*Et procul inſidias,* [r] *infamataque relinquunt*
*Tecta Deæ,* [ſ] *lucoſque petunt, ubi nubilus umbrâ*
[t] *In mare cum fulva prorumpit Tybris arenâ,*

m Cajeta. vide 167 v. ſupra, & quæ nos ad lib. 7. Æn. verſ. 1. n Epitaphium hoc, *Hic me Cajetam*, &c. p Redi ad v. 627. hujus lib. & quæ nos ad eum. q Funebri r Famoſæ veneficiis Circes. ſ *Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum Proſpicit.* 7. Æn. t *Verticibus rapidis, & multa flavus arena in mare prorumpit*, ibid.

*Fauni-*



[u] *Faunigenæque domo potitur nataque Latini,*
*Non ſine Marte tamen. Bellum cum* [x] *gente feroci*
*Suſcipitur, pactaque furit pro conjuge Turnus.*
[y] *Concurrit Latio Tyrrhenia tota, diuque*
*Ardua ſollicitis victoria quæritur armis.*
*Auget uterque ſuas* [a] *externo robore vires.*
*Et multi Rutulos, multi Trojana tuentur*
*Caſtra; neq; Æneas Evandri ad mœnia fruſtra,*
*At Venulus fruſtra* [b] *profugi Diomedis ad urbem*
*Venerat. ille quidem ſub* [c] *Iapyge maxima Dauno*
*Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat;*
*Sed Venulus Turni poſtquam mandata peregit,*
*Auxilium petiit. Vires* [d] *Ætolius heros*
*Excuſat, nec ſe, aut ſoceri committere pugnæ*
*Velle ſui populos, aut quos è gente ſuorum*
*Armet habere ullos. Néve hæc commenta putetis,*
*Admonitu quanquam luctus renoventur amari.*
*Perpetiar memorare tamen. Poſtquam alta cremata eſt*
*Ilios, & Danaas paverunt Pergama flammas,*
[e] *Nariciuſque heros à virgine, virgine raptâ,*
*Quam meruit pœnam ſolus, digeſſit in omnes:*
*Spargimur, & ventis inimica per æquora rapti,*
*Fulmina, noctem, imbres, iram cœlique mariſque,*
*Perpetimur Danai, cumulumque* [f] *Capharea cladis.*
*Néve morer referens triſtes ex ordine caſus,*
*Græcia tum potuit Priamo quoque flenda videri.*
*Me tamen armiferæ ſervatum cura Minervæ*
*Fluctibus eripuit: patriis ſed rurſus ab agris*

u Fauno & Maricâ geniti. x Rutulis, quorum rex Turnus. verùm hæc omnia liquent ex Virg. 7. l. Æneid. y Mezentius rex Thuſcorum à partibus Turni ſtat contra Latinos & Troas. a Copiis externis. Æneâ ab Evandro auxilium petente: Turno à Diomede. Æneid. l. 8. b Diomedes à bello Trojano reverſus, ubi comperiſſet uxorem Ægialen à Comata filio Stheneli corruptam, vitæque ſuæ inſidiantem in Apuliam profugit: ubi regni parte & filiâ in uxorem à Dauno donatus, Argyripam condidit. c Apulo. ut 6. l. Faſtor. *Et generum Oeniden, Apule Daune, tuum.* Confunduntur hæc nomina, Apulia, Calabria, Iapygia: quæ propriè continet Meſſapios, Peucetios, Daunios, Cluver. Italia. l. 4. c. 10. d Diomedes Tydei Ætoliæ regis filius. Sed lege orationem ipſam Venuli l. 11. Æneid. e Ajax Oïlei filius Naritiâ, quæ Locridis urbs eſt, oriundus. Caſſandram regiam virginem è templo Palladis raptam ſtupravit. Sacrilegium ultura Dea iram in univerſam Græcorum claſſem diffudit, tempeſtate deprehenſam in reditu. Virg. 1. Æn. *Unius ob noxam*, &c. Qu. Smyrnæus lib. 14. f Nauplius Palamedis filii mortem ulturus, Minervæ ſuaſu, faces extulit noctu Græcis tempeſtate laborantibus quaſi portûs ſigna. unde plerique ad Capharea & cautes Eboicas naufragi interierunt. *ultorque Caphareus.* 11. Æneid.

*Pellor,*

Tellor, & [g] antiquo memores de vulnere [h] pœnas
Exigit alma Venus; tantoſq; per alta labores
Æquora ſuſtinui, tantos terreſtribus [h] armis,
Ut mihi felices ſint illi ſæpe vocati,
Quos [i] communis hyems, importunuſque Caphareus
Merſit aquis, vellemq; horum pars una fuiſſe.
Ultima jam paſſi comites belloque fretoque,
Deficiunt, finémque rogant erroris. At Acmon
Fervidus ingenio, tum verò & cladibus aſper,
Quid ſupereſt, quod jam patientia noſtra recuſet
Ferre, viri? dixit. Quid habet Cytherea, quod ultrà
(Velle puta) faciat? [k] Nam dum pejora timentur,
Eſt locus in voto: Sors autem ubi peſſima rerum eſt,
Sub pedibus timor eſt; ſecuraq; ſumma malorum.
Audiat ipſa licet; &, quod facit, oderit omnes
Sub Diomede viros: odium tamen illius omnes
Spernimus; & magno ſtat magna potentia nobis.
Talibus iratam Venerem [l] Pleuronius Acmon
Inſtimulat verbis, veterémque reſuſcitat iram.
Dicta placent paucis: numeri majoris amici
Acmona corripimus; cui reſpondere volenti
Vox pariter, vociſq; via eſt tenuata, comæque
In plumas abeunt, plumis quoq; colla teguntur,
Pectoraque, & tergum, majores brachia pennas
Accipiunt, cubitique leves [m] ſinuantur in alas.
Magna pedis digitos pars occupat, oraque cornu
Indurata rigent, finémque in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas, & cum Rhetenore Nycteus,
Hunc miratur Abas: & dum mirantur, eandem
Accipiunt faciem, numeruſque ex agmine major
Subvolat, & remos plauſis circumvolat alis.
[n] Si volucrum quæ ſit dubiarum forma requiris:
Ut non Cycnorum, ſic albis proxima cycnis.
Vix equidem has ſedes, & [o] Iapygis arida Dauni
Arva gener teneo minima cum parte meorum.

[g] Quod à ine olim acceperat bello Trojano. Iliad. 5. & Æn. 11.
[h] Furioſa adultero amore uxore. ut modò ad v. 457.
[i] Univerſæ claſſi immiſſa tempeſtas.
[k] Magnitudo cladis etiam vota damnat, ſpei nervum incîdit, & deſperare jubet. *fortuna miſerrima tuta eſt*, &c. l. 2. de Ponto, 2. el.
[l] Ex Pleurone, opp. Ætoliæ.
[m] Al. *curvantur*. Alii *ſe-*[?] *nuantur*.
[n] Ερωδιὸς vocat Ariſtot. lib. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Gaza ardeas vertit. Cataractas à Iubâ vocari ſcribit Plinius lib. 10. cap. 45. De his lege quæ habet Auguſtin. 18. lib. de civit. Dei, & quæ ad eum L. Vives. & Virg. 11. Æneid.
[o] Ad verſ. 458, ſupra.

Apulus



## Apulus paſtor in Oleaſtrum. FAB. 11.

Catenus [p] Oenides. Venulus [q] Calydonia regna,
Peucetioſq; ſinus, [r] Meſſapiaq; arva reliquit:
In quibus antra videt, quæ multa nubila ſylvâ,
Et levibus guttis manantia [s] ſemicaper Pan
Nunc tenet, at quodam tenuerunt tempore Nymphæ.
Apulus has illa paſtor regione fugatas
Terruit, & primò ſubita formidine movit:
Mox ubi mens rediit, & contempſere ſequentem,
Ad numerum motis pedibus duxêre choreas.
Improbat has paſtor, ſaltuque imitatus agreſti
Addidit obſcœnis convitia ruſtica dictis:
Nec priùs obticuit, quàm guttura condidit arbor;
Arbor enim eſt, ſuccoque licet cognoſcere mores.
Quippe [t] notam linguæ baccis oleaſter amaris
Exhibet: aſperitas verborum ceſſit in illas.

[p] Diomedes Oenei nepos.
[q] Apuliam. in cujus parte dotali regnabat Diomedes ex Ætoliâ in quâ Calydon, advena. ad verſ. 457. ſupra.
[r] Meſſapiam peninſulam, in qua Calabri & Salentini.
[s] De Pane adi Servium in 2. eclogâ Virg. Nat. Comitem. l. 5, c. 6. Lil. Gyrald. hiſt. Deorum. Syntagm. 15. Clariſſ. Baconum de Sapientiâ veterum, *Pan ſive Natura*. Alciati emblema 97, atque ad illud Claud. Minoem.
[t] Amarulentiam, qua lingua notabatur.

## Æneæ naves in Nymphas. FAB. 12.

[u] HInc ubi legati rediêre, negata ferentes
[x] Arma Ætola ſibi, Rutuli ſine viribus illis
Bella infauſta gerunt: multumq; ab utraq; cruoris
Parte datur. [y] Fert (ecce!) avidas in [z] pinea Turnus
Tecta faces: igneſq; timent, quibus unda pepercit.
[a] Iamque picem & ceras, alimentaq; cætera flammæ
Mulciber urebat, perque altum ad carbaſa malum

[u] Ecce ſuper, mæſti magni Diomedis ab urbe Legati reſponſa ferunt, &c. 11. Æneid.
[x] Auxilia Diomedis Ætoli,
[y] Claſſem, quæ lateri caſtrorum adjuncta jacebat, &c. 9. Æneid.
[z] Naves: Catullo in Ita epiſt. 19. *Picta meæ tetigi quo pede texta ratis.* magiſtro uſus Catullo in Nuptiis Pelei & Thetidos, *Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.*
[a] *Piceum fert fumida lumen Teda, & commiſtam Vulcanus ad aſtra favillam*, 9. Æneid.

Ibat,

*Ibat, & incurvæ fumabant tranſtr…*
*b Cùm memor has pinus Idæo vertice c…*
*Sancta deûm genitrix, c tinnitibus æther…*
*Æris, & inflati complevit murmure buxi.*
*Pérque leves domitis invecta d leonibus aur…*
*Irrita ſacrilega jactas incendia dextrâ,*
*Turne, ait: Eripiam, nec me patiente cremabit*
*Ignis edax nemorum partes, & membra meorum.*
*Intonuit dicente dea, tonitrumque ſecuti*
*Cum ſaliente graves ceciderunt grandine nimbi:*
*Aëraque, & tumidum ſubitis concurſibus æquor*
*e Aſtræi turbant, & eunt in prælia, fratres.*
*E quibus alma parens unius viribus uſa,*
*f Stuppea prærupit Phrygiæ retinacula puppis,*
*Fértque rates pronas, medioque ſub æquore mergit.*
*Robore mollito, lignoque in corpora verſo,*
*In capitum facies puppes mutantur aduncæ,*
*In digitos abeunt & crura natantia remi,*
*Quodque ſinus fuerat, latus eſt, mediiſque carina*
*Subdita navigiis ſpinæ mutatur in uſum,*
*Lina comæ molles, antennæ brachia fiunt,*
*Cæruleus, ut fuerat, color eſt, quaſque antè time-*
*bant,*
*Illas virgineis exercent luſibus undas.*
*Naiades æquoreæ, g ſummis in montibus ortæ,*
*Molle fretum celebrant: nec eas ſua tangit origo.*
*h Non tamen oblitæ quàm multa pericula ſæpe*
*Pertulerint pelago, jactatis ſæpe carinis*
*Suppoſuêre manus, niſi ſiqua vehebat Achivos.*

b Adi Virgilium. l. 9. Æneid. *Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida Æneas claſſem,* &c.
c Cymbala & tibiæ buxeæ, teſtata Deam adeſſe, ſonuerunt.
d Lib. 10. verſ. 704.
e Venti, Aſtræi gigantis & Auroræ filii. Ἀστραίῳ δ' ἠὼς ἀνέμους τέκε καρτεροθύμους, &c. Heſiodus in Theogonia.
f Funis quo navis litori alligatur, Græcis dicitur ἐπίγειον & πεῖσμα, Latinis ora, ut Quintilianus Sublatæ ſunt anchoræ, ſolvimus oram. Gyrald. lib. de navigiis. g *Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos, Lucus in arce fuit ſumma,* &c. Cybele apud Virgil. 9. Æneid. verſ. 85. lege & epigrammata in Naves 1. lib. An bologiæcap. 571. h Non ighare mali miſeris navigantibus ſuccurrere didicerunt: exceptis tantùm Græcis, qui Trojæ hoſtes: eſtque tranſitio ad ſeq. fabulam.

Navis



## Navis Vlyſſis in ſcopulum.

### FAB. 13.

*CLadis adhuc Phrygiæ memores, odêre Pelaſgos,*
*i Neritiæque ratis viderunt fragmina lætis*
*Vultibus, & lætis vidêre rigeſcere k puppim*
*Vultibus Alcinoi, ſaxumq; increſcere ligno.*

i Qua vectus eſt Vlyſſes Ithacæ, in qua mons Neritos, dux. k Vlyſſem è naufragio enatantem hoſpitio excepit Alcinous Phæacum rex: navique & comitatu inſtruxit, quâ in Ithacam veheretur. Hanc navem Neptunus Polyphemi ſui vindex in ſcopulum mutavit. Homer. Odyſſ. 13. lib.

## Ardea Turni civitas in avem.

### FAB. 14.

*SPes erat in Nymphas l animata claſſe marinas*
*Poſſe metu monſtri Rutulum deſiſtere bello.*
*m Perſtat; habetq; n deos pars utraq;: quodque deorum*
*Inſtar, habent animos. nec jam dotalia regna,*
*Nec ſceptrum ſoceri, nec te Lavinia virgo,*
*Sed viciſſe petunt, deponendique pudore*
*Bella gerunt: tandemq; Venus victricia nati*
*Arma videt, Turnuſque cadit; cadit Ardea, Turno*
*Soſpite dicta potens. Quam poſtquam o barbarus ignis*
*Abſtulit, & tepida patuerunt tecta favillâ,*
*Congerie è media tum primùm cognita p præpes*
*Subvolat, & cineres plauſis everberat alis:*
*Et ſonus, & macies, & pallor, & omnia, captam*
*Quæ deceant urbem, nomen quoque manſit in illâ*
*Urbis; & ipſa ſuis deplangitur Ardea pennis.*

l Mutatâ in Nymphas. m *At non audaci ceſſit fiducia Turno: ultro animos dictis tollit, atque increpat ultro; Trojanos hæc monſtra petunt,* &c. 9. Æneid. n Hæc Venerem, illa Iunonem. *Sat fatis Venerique datum,* &c. *ſunt & mea contra Fata mihi,* &c. Turnus 9. Æneid. 137. verſ. o Trojanus. Namque Ardeam Rutulorum regni caput, interfecto Turno, Æneas incendit. Fruſtra ſunt Servius & alii, qui hoc ad Annibalem referunt. Trojani enim, aliique omnes Græcis Barbari habiti, mox etiam Latinis. p Avis. utut in auguriis præpetes dicantur felices aves, & quæ altius ſubvolant. Agell. lib. 6. cap. 6.

## Aeneas inter deos Indigetes tranſlatus.

### FABVLA 15.

IAmque deos omnes, ipſamque Æneïa virtus
Iunonem veteres finire coërcuit iras:
Cùm bene fundatis opibus creſcentis Iüli,
q Tempeſtivus erat cœlo Cythereïus heros.
Ambieratque Venus ſuperos, colloque parentis
Circumfuſa ſui; Nunquam mihi, dixerat, ullo
Tempore dure pater, nunc ſis mitiſſimus opto:
Æneæque meo, qui te de ſanguine noſtro
Fecit avum, quamvis parvum, des, optime, numen.
Dummodo des aliquod. r Satis eſt s inamabile regnum
Aſpexiſſe ſemel, Stygios ſemel iſſe per amnes.
Aſſenſere dei. t nec conjux regia vultus
Immotos tenuit; placatoque annuit ore.
Tum pater, Eſt is, ait, cœleſti numine dignus:
Quæq; petis, pro quoq; petis, cape nata, quod optas.
Fatus erat: gaudet, grateſque agit illa parenti,
Pérque leves auras junctis invecta columbis,
Litus adit Laurens, ubi tectus arundine ſerpit
In freta flumineis vicina u Numicius undis.
Hunc jubet Æneæ quæcunque obnoxia morti
Abluere, & tacito deferre ſub æquora curſu.
x Corniger exequitur Veneris mandata, ſuiſque,
Quicquid in Ænea fuerat mortale, repurgat
Et reſperſit aquis: y pars optima reſtitit illi.
Luſtratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambroſia cum dulci nectare miſtâ

q Vt qui gloriæ ſuæ ſatis vixiſſet, meritis jam onuſtus, cœlo maturus, Divis adſcribendus eſſet. r Satis ſit Heroï ſemel vidiſſe Inferorum regna, ſemel Styga tranſiſſe. ſupra verſ. 116. & Virg. Æn. 6 vide quæ nos ad illa 6. Æneid. *Bis Stygios innare lacus bis nigra videre Tartara.* s Lege quæ Agellius l. 2. cap. 6. atque ejus compilator Macrobius lib. 6. cap. 7. t Annuebat & Iuno ipſa. u Latii fl. Æneæ terminus vitæ. Secundum inde prælium Latinis, Æneæ etiam ultimum operum mortalium fuit. inquit Livius lib. 1. Namque ibi pugnans cùm in flumine interiiſſet, nec corpus ejus inveniretur, ad Deos migrâſſe credebatur. Dionyſius lib. 1. Iuvenalis Sat. 11. Hercules & Æneas, *Alter aquis, alter flammis, ad ſidera miſſus.* & Tibul. l. 2. el. 3. x Fluvii cur cornuti & tauriformes, vide l. 9. v. 80 & lib. 13. verſ. 895. y Pars melior, anima.

Contigit



Contigit os, fecitq; deum: quem z turba Quirini
Nuncupat a Indigetem, b temploque ariſque recepit.

z Populus Romanus. a Situs eſt, inquit Livius lib. 1. quemcunque eum dici fas juſque eſt, ſuper Numicium fl. Iovem Indigetem appellant. Indigetes autem ſunt qui ex mortalibus indigenis in Deorum numerum relati ſunt, quaſi in Diis agentes. vide quæ nos ad 12. lib. Æn. 794. verſ. *Indigetem Æneam ſcis ipſa,* &c. & quæ Lil. Gyrald. primo Syntagmate de Diis. b Latini ſacellum tanquam Heroï dicaverunt, cum inſcriptione hujuſmodi: Πατρὸς θεȣ̃ χθονίȣ, ὃς ποταμȣ̃ Νομικίȣ ῥεῦμα διέπει. Dionyſius lib. 1.

## Tyberinus in Tyberim: Aventinus mons: Pomona à pomis dicta, & Vertumni varia metamorphoſis. FAB. 6.

c INdè ſub Aſcanii ditione binominis Alba
Réſque Latina fuit. ſucceſſit Silvius illi:
Quo ſatus antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum ſceptro. Clarus ſubit Alba Latino;
Epitus ex illo: poſt hunc Capetuſque, Capyſque;
Sed Capys antè fuit. regnum Tyberinus ab illis
Cepit, & in Thuſci demerſus fluminis undis
Nomina fecit aquæ. de quo Remuluſque, feroxque
Acrota ſunt geniti: Remulus maturior annis
d Fulmineo periit imitator fulminis ictu.
Fratre ſuo ſceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino: qui, quo regnârat, eodem
Monte jacet poſitus, tribuitque vocabula monti.
Iamque Palatinæ ſummam Proca gentis habebat:
Rege ſub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
Inter e Hamadryadas coluit ſolertius hortos,
Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtus;
Unde tenet nomen. non ſylvas illa, nec amnes;
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes.

c Ceſſit novercæ Lavinium Aſcanius ſive Iulus. Albamque condidit. In hac Albanorum regum genealogiâ diſſentit à ſe noſter, in quarto Faſtorum. A Noſtro Livius 1. lib. & Dionyſius. ſucceſſionem verò breviter ſic cape. 1. Aſcanius 2. Sylvius Poſthumus Æneæ filius. 3. Æneas Sylvius: manſit enim Sylvius poſtea omnibus cognomen. 4. Latinus. 5. Alba. 6. Atis ſeu Epitus. 7. Capys. 8. Capetus, ſeu Calpetus. 9. Tiberinus. 10. Remulus. 11. Agrippa, qui noſtro Acrota. 12. Aventinus. 13. Procas. 14 Amulius. Numitor. d Alter Salmoneus, *Qui flammas Iovis & ſonitus imitatus Olympi* ἀντιβροντῶν, vero interiit fulmine. e Nymphas. quæ verò ſint Hamadryades dictum ad 777. verſ. lib. 8.



Nec

Nec jaculo gravis eſt, [f] ſed adunca dextera falce,
Qua modò luxuriem premit, & ſpatiantia paſſim
Brachia compeſcit, fiſſo modò cortice lignum
Inſerit, & ſuccos [g] alieno præſtat alumno,
Nec ſentire ſitim patitur, bibulæque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis.
Hic amor, hoc ſtudium. Veneris quoque nulla cupido eſt:
Vim tamen [h] agreſtum metuens, pomaria claudit
Intus, & acceſſus prohibet refugitque viriles.
Quid non & Satyri ſaltatibus apta juventus
Fecêre, & pinu præcincti cornua [i] Panes,
Silenuſque ſuis ſemper juvenilior annis,
[k] Quique deus fures vel falce, vel inguine terret,
Ut potirentur ea? Sed enim ſuperabat amando
Hos quoque [l] Vertumnus: neque erat felicior illis.
O quoties habitu duri meſſoris ariſtas
Corbe tulit, verique fuit meſſoris imago!
Tempora ſæpe gerens fœno religata recenti,
Deſectum poterat gramen verſare videri.
Sæpe manu ſtimulos rigida portabat; ut illum
Iurâſſes feſſos modò disjunxiſſe juvencos.
Falce data frondator erat, vitiſque putator.
[m] Induerat ſcalas: lecturum poma putares.
Miles erat gladio, piſcator arundine ſumptâ.
Denique per multas aditum ſibi ſæpe figuras
Repperit, ut caperet ſpectatæ gaudia formæ.
Ille etiam picta redimitus tempora mitrâ,
Innitens baculo, poſitis per tempora canis,
Aſſimulavit anum, cultoſque intravit in hortos,

f Inutiles falce ramos amputat, Feliciores inſerit. Horat. 2. epod. Inſitionum genera docent Columella 5. l. de re ruſtica 11. cap. idem lib. de arboribus. Palladius in Februario, tit. 17. Plin. lib. 17. cap. 14. Virg. 2. Georgic. verſ. 69. g Miraturque novas frondes & non ſua poma, ibid. h Vide quæ ad verſ. 150 lib. 1 & 500 verſ. l. 8. i Al. Fauni. Τοὺς μὲν ἡλικίᾳ τῶν σατύρων προήκοντας ὀνομάζουσι σειληνούς. Pauſanias in Atticis. Ms. *Sylvanuſque*. k Priapus. cujus *fures dextra coerceret, Obſcœnoque ruber porrectus ab inguine palus*. Hor. Serm. 1. lib. 8. Sat. l Qualis Deus fuerit Vertumnus, quæ nominis ratio, & in varias formas mutabilitas docet Propertius 4. lib. el. 2. & ad eum Beroaldus & Io. Annius. vide & Lil. Gyrald. Syntagm. 4. necnon Baptiſtæ Pii Annot. Poſter. cap. 33. Ad anni vertentis varias vices refertur Vertumnus. Seu quia vertentis fructus percepimus anni, &c. Propertius ibid. m Sicubi ſcalas attuliſſet, arboribus eas admoturus.





Pomaque mirata eſt, [n] Tantoque potentior, inquit,
Omnibus es Nymphis, quas continet Albula ripis.
Salve virginei flos intemerate pudoris:
Paucaque laudatæ dedit oſcula, qualia nunquam
Vera dediſſet anus, glebaque incurva reſedit
Suſpiciens pandos Autumni pondere ramos.
Ulmus erat contrà ſpecioſa [o] nitentibus uvis,
Quam ſocia poſtquam pariter cum vite probavit,
[p] At ſi ſtaret, ait, cælebs ſine palmite truncus,
Nil præter frondes, quare peteretur, haberet:
Hæc quoque quæ juncta vitis requieſcit in ulmo,
Si non juncta foret, terræ acclinata jaceret.
Tu tamen exemplo non tangeris arboris hujus,
Concubituſque fugis, nec te conjungere curas.
Atque utinam velles! Helene non pluribus eſſet
Sollicitata procis, nec [q] quæ Lapitheïa movit
Prælia, nec [r] conjux timidi, aut audacis Ulyſſei.
Nunc quoque, cùm fugias, averſeriſque petentes,
Mille viri cupiunt, & ſemideique, deique,
Et quæcunque tenent Albanos numina montes.
Sed tu, ſi ſapies, ſi te bene jungere, anumque
Hanc audire voles, quæ te plus omnibus illis,
Plus quàm credis amo, vulgares rejice tædas,
Vertumnumque tori ſocium tibi delige; pro quo
Me quoque pignus habe: Neque enim ſibi notior ille eſt,
Quam mihi, nec toto paſſim vagus errat in orbe,
Hæc loca magna colit, nec, uti pars magna procorum,
Quam modò vidit amat: Tu primus & ultimus illi
Ardor eris, ſolique ſuos tibi devovet annos.

n Laborat hic locus, & in eo multi; necdum ſanitati reſtitutus convaluit. Mss. aliquot Cioſani, & ex noſtris unus habent, *tanteque potentior, inquit*. Sed verſus duo qui ſequuntur *Omnibus es Nymphis* & *Salve virginei* qui in vulgatis leguntur, in caſtigatioribus editionibus Aldina, Naugerianâ, Heinſianâ, non admittuntur, ut qui in Vaticanis Mss. octo, aliiſque quos citat Cioſanus, non compareant. Prior quidem in Ms. noſtro non reperitur. utut hi pro nothis atque adulterinis ejiciantur, aliquid tamen mihi ad contextum & ſenſum deſiderari videtur. o Al. *tumentibus*. p At niſi maritatas haberent vites ulmi aut populi, nil præter frondes ſuas haberent. Cælebs unde dicatur, vide quæ ad Senecæ Hippolytum. verſ. 230. q Hippodamia, cujus pulcritudo incitabat bellum inter Lapithas & Centauros, in nuptiis Pirithoi. l. 12. verſ. 220. r Ms. Noſter unus habet *conjunx timidi, aut audacis Vlyxis*. & in margine adjicitur: *color eſt rhetoricus, correctio*. Aldus, Naugerius & Heinſius *timidi atque audacis Vlyſſei*. quod exponitur à Raph. Regio, timidi in pugna, audacis in ſtruendis inſidiis.

Adde, quod eſt juvenis [s] quòd naturale decoris
Munus habet, formaſque aptè fingetur in omnes,
Et, quod erit juſſus, (jubeas licet omnia) fiet.
Quid, quòd amatis idem? quòd, quæ tibi poma coluntur,
[t] Primus habet, lætaque tenet tua munera dextrâ.
Sed neque jam fœtus deſiderat arbore demptos,
Nec, quas hortus alit, cum ſuccis mitibus herbas,
Nec quicquam, niſi te. Miſerere ardentis, & ipſum
Quod petit, ore meo præſentem crede precari.
Ultoreſq́; deos, & pectora dura peroſam
Idaliam, memorémque time [u] Rhamnuſidis iram.
Quoque magis caveas, (etenim mihi multa vetuſtas
Scire dedit) referam tota notiſſima Cypro
Facta, quibus flecti facile, & miteſcere poſſis.

ſ Opportuna mea eſt cunctis natura figuris: In quamcunque voles, verte; decorus ero. Propertius lib. 4. eleg. 2. & mox; At mihi quod formas unus vertebar in omnes, Nomen ab eventu patria lingua dedit.

t Vertumno dicabantur fructuum primitiæ. ipſe dicto Propert. loco; Prima mihi variat liventibus uva racemis, Et coma lactenti ſpicea fruge tumet, &c. u Nemeſis Deæ ſuperborum inſolentiam & faſtum ulciſcentis. de quâ, vide quæ adnotavimus ad 406. verſ. lib. 3.

## Iphis amoris impatientiâ laqueo vitam finit, & Anaxarete in ſaxum.

### FABULA 17.

Viderat à veteris generoſam ſanguine [x] Teucri
Iphis Anaxareten humili de ſtirpe creatus:
Viderat; & totis perceperat oſſibus ignes,
[y] Luctatuſque diu, poſtquam ratione furorem
Vincere non potuit, ſupplex ad limina venit.

x Quem Telamon pater, quia Ajacis fratris necem non fuerat ultus, Salamine arcebat. is itaque in Cypro inſula novam condidit Salamina. y Hunc verſum habes antea lib. 7. verſ. 10.

z Et



[z] Et modò nutrici miſerum confeſſus amorem,
Nè ſibi dura foret, per ſpes oravit alumnæ:
Et modò, de multis alicui blanditus amicis,
Sollicita petiit propenſum voce favorem.
Sæpe ferenda dedit blandis ſua verba tabellis:
Interdum madidas lacrymarum rore coronas
Poſtibus intendit, poſuitque in limine duro
Molle latus, triſtiſque ſeræ convitia fecit.
Sævior illa freto ſurgente, cadentibus [a] hœdis,
Durior & ferro, quod [b] Noricus excoquit ignis,
Et ſaxo, quod adhuc vivum radice tenetur,
Spernit, & irridet: factiſque immitibus addit
Verba ſuperba ferox, & ſpe quoq́; fraudat amantem.
Non tulit impatiens longi tormenta doloris
Iphis; & ante fores hæc verba noviſſima dixit:
Vincis Anaxarete, neque erunt tibi tædia tandem
Ulla ferenda mei, lætos molire triumphos,
Et [c] Pæana voca, nitidaque incingere lauro,
Vincis, ait, moriorque libens; age ferrea, gaude.
Certè aliquid laudare mei cogeris, eritque
Quo tibi ſim gratus, meritumq́; fatebere noſtrum.
Non tamen antè [d] mihi [e] curam exceſſiſſe memento,
Quam vitam: [f] geminaq́; ſimul mihi luce carendum eſt,
Nec tibi fama mei ventura eſt nuncia lethi:
Ipſe ego, nè dubites, adero, præſenſq́; videbor,
Corpore ut exanimi crudelia lumina paſcas.
[g] Si tamen ô ſuperi mortalia facta videtis,
Eſte mei memores (nihil ultrà lingua precari
Suſtinet) & longo facite ut narremur in ævo,
Et, quæ dempſiſtis vitæ, date tempora famæ.

z Hæc ex penitiſſimis artis & experientiæ ſuæ myſteriis poeta. ſolebant enim amatores per nutrices, ancillas, famulos ſollicitare amicas ſuas: tabellis, prece ſupplici & obſequio ambire; poſtes noctu corollis & ſertis ornare; cantu delinire, querelis implorare; in limine pernoctare; lacrymas, vinum, aquam ad januæ cardines effundere, &c. Plautus in Curculione Act. 1. ſcen. 1. Horat. 1. lib. od. 25. & lib. 3. od. 10. Perſius Sat. 5. dum Chryſidis udas Ebrius ante fores extincta cum face canto. Noſter in lib. de arte paſſim. in 2. Sæpe feres imbrem cœleſti nube ſolutum, Frigidus & nuda ſæpe jacebis humo, &c. a Stellis duabus in ſra capram ſub humero Erichthonii, quæ ortu & occaſu ſuo tempeſtatem cient. b Apud Noricos Auſtriæ, vel, ut alii, Bavariæ pop. optima ferri & vena & temperatura. Plin. lib. 34. cap. 14. c Lætum, quaſi partâ victoria, carmen, quod propriè tamen hymnus eſt Apollini ſacer, qui & ipſe Pæan. d Al. tui. e Amorem tui. f Vitæ & tui, quæ lux mea. ſic enim Catullo, Propertio, aliis ſonat amica. g Si qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet. 2. Æneid. εἴ που πτωχῶν γε θεοὶ καὶ ἐρινύες εἰσίν. Odyſſ. Hom. 17.



Dixit:

Dixit: & ad poſtes [h] ornatos ſæpè coronis,
Humentes oculos, & [i] pallida brachia tollens,
Cùm foribus laquei religaret vincula ſummis,
Hæc tibi ſerta placent, crudelis & impia, dixit,
Inſeruitque caput: ſed tum quoque verſus ad illam eſt,
Atque onus infelix eliſa fauce pependit.
Icta pedum motu [k] trepidantem, & multa gementem
Viſa dediſſe ſonum eſt, adapertaque janua factum
Prodidit: exclamant famuli, fruſtraque levatum
(Nam [l] pater occiderat) referunt ad limina matris.
Accipit illa ſinu, complexaque frigida nati
Membra ſui, poſtquam miſerarum verba parentum
Edidit, & matrum miſerarum facta peregit;
Funera ducebat mediam lacrymoſa per urbem,
[m] Luridaque [n] arſuro portabat membra feretro.
Fortè via vicina domus, quà flebilis ibat
Pompa fuit; duræque ſonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes, quam jam [o] deus ultor agebat:
Mota tamen, videamus, ait, miſerabile funus,
Et patulis iniit tectum ſublime feneſtris,
Vixque bene impoſitum lecto proſpexerat Iphin.
Diriguêre oculi, calidusque è corpore ſanguis
Inducto pallore fugit, conataque retro
Ferre pedes, hæſit; conata avertere vultus,
Hoc quoque non potuit: paulatimque occupat artus.
Quod fuit in duro jampridem pectore, ſaxum.
Néve ea ficta putes: domina ſub imagine ſignum
Servat adhuc Salamis, Veneris quoque nomine templum
[p] Proſpicientis habet. Quorum memor, O mea lentos
Pone (precor) faſtus, & amanti jungere, Nymphe:
Sic tibi nec vernum naſcentia frigus adurat
Poma, nec excutiant rapidi florentia venti.

h Lege quæ modò ad verſ. 705. i Ex amore. Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti. De Arte lib. 1. Et tinctus viola pallor amantium. Horat. ode 10. lib. 3. k Al. trepidantium & multa gementum. l Iphidis. m Utpote ſtrangulati juvenis, cui fauces laqueo eliſæ. n Feretrum unâ cū cadavere rogo impoſitum comburebatur, ut & torus ſuper quo compoſitus jacebat mortuus. vide quæ nos de ritu funebri in Miſeni funere 6. Æneid. & Pallantis XI. Æneid. o Ποίνιμος θεὸς Ἐριννύς. vel, Nemeſis potiùs de qua modò ad verſ. 696. & plura ad v. 406. lib. 3. p Nomen hoc ſumpſiſſe videtur à ſpecie & formâ proſpicientis è feneſtrâ cum faſtu & contemptu Anaxeretes, eadem ſpecie à Venere ultrice in ſaxum converſæ.





Hæc ubi nequicquam formas [q] deus aptus in omnes
Edidit: in juvenem rediit, & [r] anilia demit
Inſtrumenta ſibi, taliſque apparuit illi,
Qualis ubi oppoſitas nitidiſſima ſolis imago
Evicit nubes, nullaque obſtante reluxit:
Vimque parat. [ſ] ſed vi non eſt opus, inque figurâ
Capta dei Nympha eſt, & mutua vulnera ſenſit.

q Vertumnus. ut ſupra verſ. 642 & 687. r Mitram, baculum, canos, habitum unâ & formam anilem quam aſſumpſerat. verſ. 655. ſupra. ſ Multa hîc Rhegius, ut s finalis in opus liqueſcat, & ſequatur *namque figura*. Plura contra Rhegium Micyllus. Sed vi non eſt opus, ſi admittamus lectionem, quam in nonnullis veteribus calamo aratis codicibus ſe reperiſſe ait Mariangulus: *Vimque parat: ſed opus non eſt vi; namque figura.*

## Aquæ frigidæ in calidas, & Romulus in Deum Quirinum.

### FAB. 19.

PRoximus Auſonias [t] injuſti miles Amuli
Rexit opes: Numitorque ſenex amiſſa nepotum
Munere regna capit, feſtiſque [u] Parilibus urbis
Mœnia conduntur. Tatius, patreſque Sabini
[x] Bella gerunt, arciſque via [y] Tarpeja recluſâ
Dignam animam pœna congeſtis exuit armis.
Indè [z] ſati Curibus, tacitorum more luporum,
Ore premunt voces, & corpora victa ſopore
Invadunt, portaſque petunt, quas obice firmo
Clauſerat [a] Iliades: [b] unam tamen ipſa recluſit,
Nec ſtrepitum verſo Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portæ cecidiſſe repagula ſenſit:
Et clauſura fuit, niſi quòd reſcindere nunquam

t Amulius armis potentior, & ipſe injuſtus, ut qui pulſo fratre natu majore Numitore regnum occupavit, filio Lauſo interempto, filiâ Rheâ Veſtæ ſacerdotio conſecratâ, cujus tamē ex Marte filii, interfecto Amulio regnum avo Numitori reſtituerunt. u Feſtum hoc, ſive Palilia, à Dea paſtorum Pale, ſive à partu pecorum Parilia nuncupatum, agebatur XII Calendas Maias, quo die urbis fundamenta jacta ſunt. x Propter raptum Sabinarum. videantur hiſtorici, Livius, Florus, Plutarchus, Dionyſius, Victor, ut & noſter 1. de Arte 1 Faſtor. & Propert. 4. lib. 4. eleg. ubi & agitur de Tarpeiâ. y Quæ Sp. Tarpeii arcis Rom. præfecti filia, arcem hoſti prodidit, ſed & ipſa clypeis eorum obruta, pacta armillas quas in ſiniſtris habuerunt. z Sabini, quorum urbs princeps Cures. a Romulus Iliæ filius. b Janualem tamen Tarpeia virgo recluſit.

Diis licet acta deûm. [c] Iano loca juncta tenebant
Naiades Auſoniæ, gelido rorantia fonte:
Has rogat auxilium. Nec Nymphæ juſta petentem
Suſtinuêre deam, venaſque, & flumina fontis,
Elicuêre ſui: nondum tamen invia Iani
[d] Ora [e] patentis erant, nec iter præcluſerat unda,
Lurida ſupponunt fœcundo ſulphura fonti,
Incenduntque cavas fumante bitumine venas:
Viribus his, aliiſque vapor penetravit ad ima
Fontis, & [f] Alpino modò quæ certare rigori
Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipſis.
Flammifera gemini fumant aſpergine poſtes,
Portaque nequicquam rigidis promiſſa Sabinis
Fonte fuit præſtructa novo, dum [g] Martius arma
Induerat miles: quem poſtquam Romulus ultro
Obtulit, & ſtrata eſt tellus Romana Sabinis
Corporibus, ſtrata éſtque ſuis, [h] generiq; cruorem
Sanguine cum [i] ſoceri permiſcuit impius enſis,
Pace tamen ſiſti bellum, [k] nec in ultima ferro
Decertare placet, Tatiumq; accedere regno.
[l] Occiderat Tatius, populiſque æquata [m] duobus,
Romule, jura dabas; poſita cùm caſſide Mavors
Talibus affatur divûmque hominumque parentem:
Tempus adeſt genitor (quoniam fundamine magno
Res Romana valet, & præſide pendet ab uno)
Præmia jam promiſſa mihi, dignoque [n] nepoti
Solvere, & ablatum terris imponere cœlo.
Tu mihi concilio quondam præſente deorum,
(Nam memoro, memoriq; animo pia verba notavi)
[o] Vnus erit, quem tu tolles ad ſydera cœli,
Dixiſti: rata ſit verborum ſumma tuorum.

c Sacello Iano. qui & hoc auxilium ſibi adſcribit. 1. Faſtorum. d Oraque, qua pollens ope ſum, fontana recluſi, Sumque repentinas ejaculatus aquas. ib. e Quod ſignum belli, uti clauſum Iani templum ſignum pacis. Ante tamen madidis ſubjeci ſulphura venis Clauderet ut Tatio fervidus humor iter. 1. Faſt. f Alpium, quæ nivoſis rigent aquis. g Romanus, Marte oriundus. h Romanorum, qui filias rapuerant--- i ---Sabinorum.

k Non ad internecionem. l Lavinii, cùm ad ſolenne ſacrum eò veniſſet, concurſu facto, interfectus eſt. poſtquam annos quatuor pari cum Romulo poteſtate imperâſſet. Liv. 1. m Romanis & Sabinis. n Romulo filio meo, tuo nepoti. recenſetur & hæc ἀποθέωσις 2. Faſtor. o Verſus hîc Ennii, ſed paulum immutatus. integrum uſurpavit, 2. Faſtor. *Vnus erit, quem tu tolles in cærula cœli, Templa.*





Annuit omnipotens: & [p] nubibus aëra cæcis
Occuluit, tonitruque, & fulgure terruit orbem.
Quæ ſibi promiſſæ ſenſit data ſigna [q] rapinæ,
Innixuſque haſtæ preſſos temone cruento
Impavidus conſcendit equos Gradivus, & ictu
[r] Verberis increpuit; pronumque per aëra lapſus
Conſtitit in ſummo nemoroſi colle Palati:
Reddentémque ſuo [ſ] non regia jura [t] Quiriti
Abſtulit Iliaden. Corpus mortale per auras
Dilapſum tenues, ut lata plumbea fundâ
Miſſa ſolet medio glans intabeſcere cœlo.
Pulchra ſubit facies: & [u] pulvinaribus altis
Dignior eſt, [x] qualis trabeati forma Quirini.
Flebat ut amiſſum conjux: cum regia Iuno
Irin ad Herſiliam deſcendere limite curvo
Imperat, & vacua ſua ſic mandata referre.

p Hoc ex hiſtoriâ. namque Romulo exercitum recenſente ad Capræ paludem, oborta eſt tempeſtas cum magno fragore & tonitru, ita ut rex nimbo opertus non ultrâ in terris viſus fuerit. q Romuli rapiendi è terris, & cœlo adſcribendi. r *Inſonuitque flagello.* Æneid. 7. ſ Æqua & civilia, non tyrannica & ex arbitrio regis. t Romanis ſuis. u Lectis, qui Diis extrui ſolebant in templis. x Tunicâ purpurâ & albo trabeatim diſtinctâ induti.

## Herſilia in Oram deam.

### FAB. 20.

O Et de Latio, ô & de gente Sabinâ
Præcipuum matrona decus, digniſſima tanti
Antè fuiſſe viri conjux, nunc eſſe [y] Quirini,
Siſte tuos fletus: &, ſi tibi cura videndi
Conjugis eſt, duce me lucum pete, colle Quirino
Qui viret, & templum Romani regis obumbrat.
Paret; & in terram pictos delapſa per arcus,
Herſiliam juſſis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu:

y Romulus cùm ad Capræ paludem exercitum luſtraret, deſæviente tempeſtate, nuſquam comparuit. creditus tamen à Patribus propter morum aſperitatem diſcerptus. unde orta inter patres & populum ſeditione, Iulius Proculus vir nobilis in concionem proceſſit, & jurejurando firmavit, Romulum à ſe in colle, qui inde Quirinalis dictus eſt, viſum, auguſtiore formâ, cum ad Deos abiret, &c. Hinc pro Deo cultus & Quirinus, ut ipſe mandârat, appellatus eſt. Liv. 1. Victor 1. c. alii.

*O dea (namque mihi nec, quæ ſis dicere, promptum eſt,*
*Et liquet eſſe deam) duc, ô duc, inquit, & offer*
*Conjugis ora mihi: Quem ſi modò poſſe videre*
*Fata ſemel dederint, cœlum accepiſſe videbor.*
*Nec mora: Romuleos cum virgine[a] Thaumantea*
*Ingreditur colles. Ibi ſydus ab æthere lapſum*
*Decidit in terras: à cujus lumine flagrans*
*Herſiliæ crinis cum ſydere ceſſit in auras.*
*Hanc manibus notis Romanæ conditor urbis*
*Excipit, & priſcum pariter cum corpore nomen*
** Mutat, Oramque vocat: quæ nunc dea juncta Qui-*
*rino eſt.*

a Iris. cur verò dicta Thaumantias, vide quæ ad 428. verſ. lib. 4.

* Aliam mortalium linguam à lingua Deorum ſtatuunt poetæ. Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίων, Iliad. α. Sic Ξάνθον & Σκάμανδρον. Noſter lib. 11. *Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus Nominat.* Ennius 1. Annal. *Teque Quirine pater venerans, Oramque Quirini.*

LIBER



# LIBER XV.

## Myſcellus abſolutus, calculis nigris in albos converſis.

### FABVLA I.

*QVæritur interea[a] quis tantæ pondera molis*
*Suſtineat, tantoque queat ſuccedere regi.*
*Deſtinat imperio clarum[b] prænuntia veri*
*Fama Numam.[c] Non ille ſatis cognôſſe Sabinæ*
*Gentis habet ritus: animo majora capaci*
*Concipit, &, quæ ſit rerum natura, requirit.*
*[d] Hujus amor curæ, patria, Curibuſque relictis,*
*Fecit, ut[e] Herculei penetraret ad[e] hoſpitis urbem.*
*Graia quis Italicis autor poſuiſſet in oris*
*Mœnia quærenti, ſic è ſenioribus unus*
*Rettulit indigenis, veteris non inſcius ævi:*
*Dives ab Oceano bobus Iove natus Iberis*
*[f] Litora felici tenuiſſe[f] Lacinia curſu*
*Fertur, &, armento teneras errante per herbas,*
*Ipſe domum magni nec inhoſpita tecta Crotonis*
*Intrâſſe, & requie longum relevâſſe laborem,*

a Quis tanti Imperii oneri ferendo par ſit, poſt Romulum.

b Magna, inquit Plinius 3. ep. l. 2. Iſæum fama præceſſerat, major inventus eſt.

c Neque ingenio tantùm ad virtutes dotatus, aut ſeverâ & tetricâ Sabinorum diſciplinâ inſtitutus videbatur; ſed & ſtudioſus naturæ indagator rerum cauſas ſpeculabatur. Sed lege Livium lib. 1. Curibus Sabinis habitabat Numa, vir conſultiſſimus, &c.

d Per Placentiam potiùs quàm Veronam ſibi aditum ſtruit Noſter ad narrationem Pythagoricæ doctrinæ. Fieri non poteſt, inquit Dionyſius Halicarn. lib. 1. Rom. antiqu. ut Numa cum Pythagorâ, qui quatuor poſt ætatibus floruerit, Philoſophiæ operam dederit, & quidem Crotone, quæ nondum erat edita. Audi & Livium l. 1. Autorem doctrinæ ejus falſo Samium Pythagoram edunt, quem Servio Tullio regnante Romæ, 100 amplius poſt annos, circa Metapontum & Crotonem, juvenum cœtus habuiſſe conſtat, &c.

e Croto Herculem ex Hiſpaniâ redeuntem cum armentis Geryonis hoſpitio excepit. ab eo didicit fore ut aliquando eodem in loco urbs conderetur. quam tandem condidit Myſcellus, ut habet Strabo lib. 6. & Scholiaſtes Ariſtophanis in Nubibus. Suidæ eſt Myſcelos. Luciano in Catapl. Micyllus. Ab Hercule juſſam ædificari, in gratiam Crotonis, ſcribit Iamblichus 9. c. l. de vitâ Pythagoræ.

f Lacinium promontorium, à Lacinio latrone nuncupatum, à quo diſtat Crotona 6. mill. paſſ.



НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

*Atque ita diſcedens, ævo, dixiſſe, nepotum*
*Hic locus urbis erit. promiſſaque vera fuerunt.*
*Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam*
*Myſcelus, illius diis acceptiſſimus ævi.*
*Hunc ſuper incumbens preſſum gravitate ſoporis*
g *Claviger alloquitur: Lapidoſas* h *Æſaris undas*
*I pete* i *diverſi, patrias agè deſere ſedes:*
*Et, niſi paruerit, multa ac metuenda minatur.*
*Poſtea diſcedunt pariter, Somnuſque Deuſque,*
*Surgit Alemonides: tacitaque recentia mente*
*Viſa refert, pugnatque diu ſententia ſecum.*
*Numen abire jubet: prohibent diſcedere leges;*
*Pœnaque mors poſita eſt patriam mutare volenti.*
*Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol,*
*Et caput extulerat denſiſſima ſydereum nox:*
*Viſus adeſſe idem Deus eſt, eademq; monere,*
*Et, niſi paruerit, plura & graviora minari.*
*Pertimuit:* k *patriumque ſimul transferre parabat*
*In ſedes* k *penetrale novas. Fit murmur in urbe,*
*Spretarumque agitur legum reus: utq; peracta eſt*
l *Cauſa prior, crimenq; patet ſine teſte probatum,*
*Squalidus ad ſuperos* m *tendens reus ora, manuſque,*
*O cujus cœlum bis* n *ſex fecêre labores,*
*Fer, precor, inquit, opem: nam tu mihi criminis autor.*
o *Mos erat antiquus, niveis, atriſque lapillis,*
*His damnare reos, illis abſolvere culpâ.*
*Tunc quoque ſic lata eſt ſententia triſtis, & omnis*
*Calculus immitem demittitur ater in urnam.*
*Quæ ſimul effudit numerandos verſa lapillos,*
*Omnibus è nigro color eſt mutatus in album:*
*Candidaque Herculeo* p *ſententia numine facta*
*Solvit Alemoniden. Grates agit ille parenti*
*Amphitryoniadæ: ventiſque faventibus æquor*

g Hercules. h Fl. qui mediam Crotonam interfluit. i Longè hinc ab Argis ſc. diſtantis. k Paternos lares; ſupellectilem; mobilia, ut dicunt, bona. l Accuſatio, crimen migrationis è patriâ, legibus interdictæ. m Mss. & alii excuſi tollens. n Lib. 9. verſ. 183. o Notus hic mos ex illo Alcibiadis, qui cuidam quærenti, ἐ πιϛεύεις τῇ πατρίδι τὴν περὶ σοῦ κρίσιν respondit οὐδὲ τῇ μητρίδι· δέδοικα γὰρ μὴ ἀγνοήσασα εἶτα τὴν μέλαιναν ἐμβαλῇ ἀντὶ τῆς λευκῆς ψῆφον. Ælian. Var. hiſt, lib. 13, cap. 38. p Cum reſpectu ad candidos calculos.

Navigat



*Navigat Ionium;* q *Lacedæmoniumq; Tarentum*
*Præterit, &* r *Sybarim, Salentinumque* ſ *Neæthum,*
*Thurinoſque ſinus,* t *Temeſenq; &* u *Iapygis arva;*
*Vixque pererratis, quæ ſpectant litora, terris*
*Invenit Æſarei* x *fatalia fluminis ora;*
*Nec procul hinc tumulum, ſub quo ſacrata Crotonis*
*Oſſa tegebat humus; juſſaque ibi mœnia terrâ*
*Condidit, & nomen tumulati traxit in urbem.*
*Talia conſtabat certa primordia famâ*
*Eſſe loci, poſitaq; Italis in finibus urbis.*

q A Phalanto Lacone conditum. r Vrbem magnæ Græciæ, poſtea Thurium dictam. ſ Fluvium in Salentinis. t Opp. ære clarum. u Promontorium Iapygium. x Fato & Herculis indicio ſibi debita.

## Pythagoræ oratio, ab eſu carnium dehortans.

## FABVLA 2.

*Vir fuit hic ortu* a *Samius: ſed fugerat unà*
*Et Samon, &* b *dominos, odioque tyrannidis exul*
*Sponte erat; iſque, licet cœli regione remotus,*
*Mente deos adiit, & quæ natura negabat*
*Viſibus humanis,* c *oculis ea pectoris hauſit:*
*Cumque animo, & vigili perſpexerat omnia curâ,*
*In medium diſcenda dabat,* d *cœtumque ſilentum,*

a Ex inſ. Samo. Sed Iamblicho 2. cap. ex Samo opp. Cephaleniæ inſ. Laertio l. 8 & Euſebio Euang. præp. l. 10. cap. 4. Thuſcus. Mneſarchi filius Pherecydis auditor, poſt cujus obitum profectus in Samum Hermodamanti ſe in diſciplinam dedit. Porphyrius ex Cleanthe Syrum fuiſſe refert. ex Lyco, Phliaſiam, aliis Metaponticum. b Ex Ægypto reverſus patriam, à tyranno Polycrate occupari offendens Crotonem in Italia petiit. Laertius lib. 8. & Porphyrius in vita Pythag. c Animi opticis vacavit. d Ἐχεμυθίαν innuit ſilentium ſc. ad tempus pro æſtimato ſolertiæ captu injunctum iis quos exploratos admiſit Pythagoras, voluitq; prius ἀκεσικὲς eſſe quam μαθηματικὲς aut φυσικές. lege cap. 9. lib. 1. Agelii & quæ Apulejus 2. Florid. ſub calce. *Prima apud eum meditatio, ſapienti futuro, fuit linguam coercere; verbaque quæ volantia poetæ appellant, ea verba detractis pennis, intra murum candentium dentium premere, &c.* Iamblich. 18. cap. Suidas. Porphyrius.

Dictaque

*Dictaque mirantum, [e] magni primordia mundi,*
*Et rerum cauſas, & quid natura, docebat;*
*Quid deus, unde nives, quæ fulminis eſſet origo;*
*Iuppiter, an venti, diſcuſſa nube tonarent;*
*Quid quateret terras; qua ſydera lege mearent;*
*Et quodcunque latet: primuſque animalia menſis*
*Arguit imponi, primus quoque talibus ora*
*Docta quidem ſolvit, ſed non & credita, verbis.*
[f] *Parcite mortales dapibus temerare nefandis*
*Corpora: ſunt fruges; ſunt deducentia ramos*
*Pondere poma ſuo, tumidæque in vitibus uvæ;*
*Sunt herbæ dulces; ſunt quæ miteſcere flammâ,*
*Mollirique queant; nec vobis lacteus humor*
*Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.*
*Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus*
*Suggerit, atq; epulas ſine cæde & ſanguine præbet.*
*Carne feræ ſedant Iejunia; nec tamen omnes:*
*Quippe equus, & pecudes, armentaq; gramine vivunt;*
*At, quibus ingenium eſt, immanſuetumque, ferumq;,*
*Armeniæ tigres, iracundique leones,*
*Cumque lupis urſi, dapibus cum ſanguine gaudent.*
*Heu! Quantum ſcelus eſt in viſcera viſcera condi,*
*Congeſtoque avidum pingueſcere corpore corpus,*
*Alteriuſque animantem animantis vivere letho!*
*Scilicet in [g] tantis opibus, quas optima matrum*
*Terra creat, nil te niſi triſtia mandere ſævo*
*Vulnera dente juvat? rituſque referre [h] Cyclopum?*
*Nec, niſi perdideris alium, placare voracis*
*Et [i] malè morati poteris jejunia ventris?*
*At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,*

e De Deo, rerum principiis & cauſſis, cœlo, meteoris, &c. quid ſenſerit Pythagoras, vide Porphyrium, Iamblichum, Laërtium in vitâ Pythag. Photii bibliothecam. vide & Plutarchum de placitis philoſophorum, & in convivialibus quæſtionibus, necnon Philoſophos, meteorologos, aſtronomos, &c. *f* Ad Porphyrium lib. 5. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. Iamblichũ c. 24. Laërtium in vitâ Pythagoræ lib. 8. Luciani Somnium. Photii biblioth. Ælian. lib. 4, cap. 17. Philoſtrat. de vitâ Apollonii, lib. cap. 6. *g* Lege orationes duas περὶ σαρκοφαγίας, quæ adſcribuntur Plutarcho. *h* Ἀνθρωποφάγων. vide quæ de Polyphemo ſupra. lib. 14. verſ. 205, & Virg. Æneid. 3. Homer. Odyſſ. 9. Eurip. in Cyclope. *i* Incontinentis, diſſoluti γνηδύος ἀδηφάγου. cui *carne opus eſt ut ſatur eſſe queat.* Ms. margo habet *malè conſueti;* & *moribus.*





[k] *Fœtibus arboreis &, quas humus educat, herbis*
*Fortunata fuit: nec polluit ora cruore.*
*Tunc & aves tutæ movêre per aëra pennas,*
*Et lepus impavidus mediis erravit in arvis,*
*Nec ſua credulitas [l] piſcem ſuſpenderat hamo:*
*Cuncta ſine inſidiis, nullamque timentia fraudem,*
*Plenaque pacis erant. Poſtquam non utilis autor*
*Victibus invidit, [m] (quiſquis fuit ille deorum)*
*Corporeaſque dapes avidam demerſit in alvum,*
*Fecit iter ſceleri: primoque è cæde ferarum*
*Incaluiſſe putes maculatum ſanguine ferrum;*
*(Idque ſatis fuerat) noſtrumq; petentia lethum*
*Corpora miſſa neci ſalva pietate fatemur:*
*Sed quàm danda neci, tam non epulanda fuerunt.*
*Longiùs indè nefas abiit. [n] Et prima putatur*
*Hoſtia ſus meruiſſe mori: quia ſemina pando*
*Eruerit roſtro, ſpémque interceperit anni.*
*Vite caper morſa Bacchi mactatus ad aras*
*Dicitur ultoris. Nocuit ſua culpa duobus.*
*Quid meruiſtis oves placidum pecus, inque tuendos*
*Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar?*
*Mollia quæ nobis veſtras velamina lanas*
*Præbetis, vitaque magis, quàm morte, juvatis?*
*Quid meruêre boves, animal ſine fraude doloque.*
*Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?*
*Immemor eſt demum, nec frugum munere dignus,*
*Qui potuit, curvi dempto modo pondere aratri,*

*k* Lib. 1. verſ. 103. *l* Quin & piſcium eſum interdixit ſuis Pythagoras. An quod ἔλλοπες ſint, ſilentii cultores, quod ipſe divinum quid exiſtimabat? ut habet Athenæus l. 7. cap. 16. An hoc à Pherecyde Syro habuit. Piſces enim inter numina venerantur Syri. vide quæ ad verſ. 45. lib. 4. ſupra, capturam piſciũ redemiſſe Pythagoram ſcribunt Iamblichus Laert. Apuleius in Apologiâ. *m* Iovi hoc imputant poetæ, autori ſcil. tum facilis victus atque ſimplicis vitæ inviſæ & amotæ, tum immiſſæ Pandoræ. vide quæ Tzetzes ad illa Heſiodi, Ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε, &c. & Virgil. 1. Georgic. *Pater ipſe colendi Haud facilem eſſe viam voluit,* &c. *n Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ,* &c. 1. Faſtor. mox. *Rode caper vitem; tamen hinc cum ſtabis ad aras,* &c quanquam aras incruentas voluit, & placentas tantum obtulit, ſacrificia inanima. ſunt tamen, inquit Laertius, qui gallos atque bœdos mactâſſe dicant. imò cuncta illum animata in cibum permiſiſſe, μόνον δὲ αὐτὸν ἀπέχεσθαι ἀροτῆρος βοὸς καὶ κριοῦ. Idem Iamblichus. Lege & 25. cap. 6. lib. Lactantii, & Ælian. var. hiſtor. libro quinto, capite decimoquarto.

n Ruricolam mactare ſuum: qui trita labore,
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.
Nec ſatis eſt, quòd tale nefas committitur: ipſos
o Inſcripſere deos ſceleri, numenque ſupernum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.
Victima labe carens, & præſtantiſſima formâ
(Nam p placuiſſe nocet) vittis præſignis, & q auro
Siſtitur ante aras, auditque ignara precantem,
Imponique ſuæ videt inter cornua fronti
Quas coluit r fruges, percuſſaq; ſanguine cultros
Inficit in liquidâ ſ præviſos forſitan undâ.
t Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inſpiciunt, mentéſque deûm ſcrutantur in illis.
Unde fames homini vetitorum tanta ciborum eſt?
Audetis veſci genus ô mortale? quod, oro,
Nè facite: monitis animos advertite noſtris,
Cumque boum dabitis cæſorum membra palato,
Mandere vos veſtros ſcite & ſentite colonos.
Et quoniam deus ora movet, ſequar ora moventem
Ritè deum, u Delphoſque meos, ipſumq; recludam
Æthera, & auguſtæ reſerabo oracula mentis.
x Magna, nec ingeniis inveſtigata priorum,
Quæque diu latuere canam: Iuvat ire per alta
Aſtra, juvat terris, & y inerti ſede relictâ,
Nube vehi, validique humeris inſiſtere z Atlantis,

n Ruſtici laboris ſocium.

o Quin & Diis invidiam fecere; hos in partem prædæ, & nidorem victimarum adſciſcentes.

p Non enim niſi eximiæ, lectæque aris admoventur hoſtiæ. placet in vulnus maxima cervix.

q Neque vittis tantùm præſignes ducebantur victimæ, ſed & auro. χρυσόκερα, cornibus auratis & bracteatis.

r Salſas fruges, molam, farinam ſale miſtam, quâ frons victimæ, focus & cultri aſpergebantur. ſ Aquâ in ſacris adhibitâ, & per pelves diſpoſitâ. *An quia præviſos in aqua timet hoſtia cultros?* 1. lib. Faſtorum. t De aruſpicinâ, & extiſpicinâ, vide quæ nos ad Senecæ Oedip. act. 2. ſc. 2. & Thyeſt. verſ. 262. & ad *Lucanum* lib. 1. verſ. 610. u Oraculum meum, ſententiam æquè certam ac Apollinis Delphici cortinam. Alluſum ſimul ad illud poetæ cujuſdam Samii, cujus meminerunt Porphyrius & Iamblichus; Πυθαγόρεαν θ᾽ ὃν ἔτικτε Διῒ φίλον Ἀπόλλωνι Πυθαΐς, &c. Ariſtippus ita appellatum ait, ὅτι τὴν ἀλήθειαν ἠγόρευεν οὐχ ἧττον τοῦ πυθίου. Laert. 8. lib. Ælian. 2. lib. 26. Apollo Hyperboreus dict. x *Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita ſolo,* &c. Lucret. 4. lib. 1. verſ. y Terra, *bruta tellure.* Horat. 34. ode, lib. 1. z Qui cœlum ſuſtinere fingitur. verſ. 661. lib. 4.





Palantéſque homines paſſim, ac rationis egentes
Deſpectare procul, trepidoſque obitumque timentes
Sic exhortari, ſeriémque evolvere fati.

## Euphorbus in Pythagoram, & quòd cuncta rerum temporibus mutentur.

### FABVLA 3.

O Genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid a Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiem vatum, falſique pericula mundi?
Corpora ſive rogus flamma, ſeu tabe vetuſtas
Abſtulerit, mala poſſe pati non ulla putetis.
b Morte carent animæ: ſemperque priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ.

a Veterum de inferis ſententiam lege apud Cœl. Rhodig. lib. 10. cap. 12. & Tertulian. adverſ. gentes.

Tuſcul. quæſt. Cic. 1. cap. 11. Macrob. in Somn. Scip. l. 1. cap. 10, & 11. Phocylides. b Ψυχὴ δ᾽ ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός. De animæ immortalitate quid ſenſerint ſaniores philoſophi, conſulendi Plato in Phædone, Phædro, Timæo, Philæbo, & alii tum Platonici & Pythagorei, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius, Proclus. Apuleius, &c. & Ariſtoteles, Seneca, Epictetus, Philoſtratus de vitâ Apollonii l. 8. decimo tertio capite. Plutarchus de placitis phil. libro quarto. Tum Theologi, Tertullianus lib. de anima, capite vigeſimoquarto. Auguſtinus de civitate Dei, duodecimo lib. 26. capite. Lactant. libro tertio, capite octavo, & libro ſeptimo, capite octavo, & duodecimo. Euſebius præperat. Euangel. libro primo, capite quarto. Clemens Alexand. lib. Stromat. tertio. Qui & ſexto libro Stromatum, quod & Herodotus ſcribit primo lib. ait Pythagoram, inter alia & hoc περὶ τὴν μετενσωματώσιν τῆς ψυχῆς dogma ab Ægyptiis duxiſſe. Verùm quæ fuerit ipſius μετεμψύχωσις ſeu παλιγγενεσία, doceant ipſi Pythagorici, Porphyrius, Plotinus, Iamblichus, &c. & Laertius in vitâ ipſius. quam refellit Lactantius lib. 3. cap. decimo octavo & libro ſeptimo, capite duodecimo; & Auguſtinus libro de Civitate Dei capite trigeſimo.

[c] *Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli*
*Panthoïdes Euphorbus eram: cui pectore quondam*
*Hæſit in adverſo gravis haſta [d] minoris Atridæ.*
*Cognovi clypeum lævæ geſtamina noſtræ*
*Nuper [e] Abantæis, templo Iunonis, in Argis.*
[f] *Omnia mutantur; nihil interit: errat, & illinc*
*Huc venit, hinc illuc, & quoſlibet occupat artus*
*Spiritus, éque feris humana in corpora tranſit,*
*Inque feras noſter, nec tempore deperit ullo.*
*Utque novis facilis ſignatur cera figuris,*
*Nec manet, ut fuerat, nec formas ſervat eaſdem,*
*Sed tamen ipſa eadem eſt: animam ſic ſemper eandem*
*Eſſe, ſed in varias doceo migrare figuras.*
[g] *Ergo nè pietas ſit victa cupidine ventris,*
*Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefandâ*
*Exturbare animas, nè ſanguine ſanguis alatur.*
*Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis*
*Vela dedi: [h] Nihil eſt toto quod perſtet in orbe;*
[i] *Cuncta fluunt, omniſque vagans formatur imago.*
[k] *Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu,*
*Non ſecùs ac flumen: Neq; enim conſiſtere flumen,*
*Nec levis hora poteſt; ſed, ut unda impellitur undâ,*
*Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem,*

c Primùm ſe Æthaliden fuiſſe memorabat; ſecundò Euphorbum, quod teſtatus eſt, agnoto ſcuto ſuo ſuſpenſo inter alia ſpolia, in Iunonis Argivæ templo: tertiò, Hermotimum: quarto Pyrrhum: quinto Pythagoram. O miram & ſingularem Pythagoræ memoriam, inquit Lact. lib. 3. cap. 18. quem locum vide. Hoc nimirum habuit ex munere Mercurii, tum ut vivens, tum vitâ functus, omnium quæ contingerent, memoriam retineret. Laërtius in vitâ Pythag. *d* Menelai, cujus manu cecidit Euphorbus. *e* A rege Abante. ſed & Abantes inter Iones & Achivos memorantur ab Herodoto lib. 1. & Eubocæ etiam pop. ſunt. *f* Πρῶτον μὲν ἀθάνατον εἶναι φησὶ τὴν ψυχὴν, &c. Primùm quidem, animam eſſe immortalem affirmavit: deinde eam diverſa animantium genera ſubire: ad hæc, poſt certos temporum circuitus, idem quod olim fuerat rurſus fieri; & nihil omnino novum exiſtere; & animata omnia inter ſe cognata eſſe, &c. Laertius in vitâ Pythag. *g* Abſtinendum ab animatis ſuaſit propter tranſmigrationem animarum. ex Photii excerptis vide & Crinitum lib. 11. cap. 3. & Hieroclem in aurea carmina Pythagoræ. *h Conſtat, æterna poſitumque lege eſt, ut conſtet genitum nihil.* Boëthius lib. 2. metr. 3. *i* Omnia in fluxu ſunt & motu. mutatur rerum omnium facies. ῥεῖ πάντα καὶ οὐδὲν μένει. & corruptio unius eſt generatio alterius. *k* Tempus ipſum, ens potiùs eſt rationis quam rei; numerus quippe motionis ex eo, quod eſt prius & poſterius. Ariſt. 4. lib. Phyſic. cap. 14. cujus ne minimum quidem momentum conſiſtit, non τὸ νῦν. Fluit tempus, & avidiſſimos ſui deſerit. Nec quod futurum eſt, verum eſt; nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo, &c. Senec. Natur. 6. cap. ult. quem vide & lib. de Brevitate vitæ, cap. 10.





*Tempora ſic fugiunt pariter, paritérque ſequuntur,*
*Et nova ſunt ſemper: nam quod fuit antè, relictum eſt.*
*Fitq; quod haud fuerat, momentaq; cuncta novantur.*
*Cernis & emenſas in lucem tendere noctes,*
*Et jubar hoc nitidum nigræ ſuccedere nocti.*
*Nec color eſt idem cœlo cùm laſſa [m] quiete*
*Cuncta jacent media, cumque albo Lucifer exit*
*Clarus equo: rurſuſque alius, cùm prævia lucis*
*Tradendum Phœbo [n] Pallantias inficit orbem.*
[o] *Ipſe dei clypeus, terra cum tollitur imâ:*
*Manè rubet, terraque rubet cùm conditur imâ:*
*Candidus in ſummo eſt, melior natura quòd illîc*
*Ætheris eſt, terræque procul contagia fugit.*
*Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ*
*Eſſe poteſt uſquam: ſemperq; hodierna ſequente,*
*Si creſcit, minor eſt; [p] major, ſi contrahit orbem.*
[q] *Quid? Non in ſpecies ſecedere quattuor annum*
*Aſpicis, ætatis peragentem imitamina noſtræ?*
*Nam tener, & lactens, puerique ſimillimus ævo*
*Vere novo eſt: tunc herba nitens, & roboris expers*
*Turget, & inſolida eſt, & ſpe delectat agreſtes.*
*Omnia tum florent, florumq; coloribus almus*
*Ludit ager: neq; adhuc virtus in frondibus ulla eſt.*
*Tranſit in Æſtatem poſt Ver robuſtior annus,*
*Fitque valens juvenis: neque enim robuſtior ætas*
*Ulla, nec uberior, nec, quæ magis ardeat, ulla eſt.*
*Excipit Autumnus, poſito fervore juventæ,*
*Maturus, mitiſque, inter juvenémque ſenémque*
*Temperie medius, ſparſus quoque tempora canis.*
*Indè ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu,*
*Aut ſpoliata ſuos, aut, quos habet, alba, capillos.*
*Noſtra quoque ipſorum ſemper requieque ſine ulla*

l Solem. *m* Nocte mediâ. *n* Aurora, Pallantis filia. *o* Ipſe orbis Solis. An utique è formâ clypei, quæ rotunda? an fortè concepit hoc noſter, atque expreſſit ex illo Plautino, *Curate, ut ſplendor meo ſit clypeo clarior, Quàm Solis radii eſſe olim, quum ſudum eſt, ſolent.* Miles glorioſus 1. v. an ex illo Virgiliano 3. Æneid. *Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.* de Polyphemi oculo. *p* Ubi decreſcit luna, hodierna major eſt quàm craſtina. *q* Διαιρεῖται δὲ καὶ τὸν τοῦ ἀνθρώπου βίον οὕτως. παῖς, εἴκοσι ἔτη, &c. Sunt autem ætates iſtæ & anni temporibus accomodatæ, veri puer, æſtati adoleſcens, &c. Laërtius in vita Pythag. lege & quæ Petr. Crinitus lib. 5. de Honeſtâ diſciplinâ, cap. 9.

Corpora [r] vertuntur: Nec quod fuimuſve, ſumuſve
Cras erimus. [s] Fuit illa dies, qua ſemina tantùm
Speſq; hominum prima, matriſque habitavimus alvo:
Artifices natura manus admovit, & angi
Corpora viſceribus diſtenta condita matris
Noluit, éque domo vacuas emiſit in auras.
Editus in lucem jacuit ſine viribus infans:
Mox [t] quadrupes, rituq; tulit ſua membra ferarum,
Paulatimque tremens, & nondum poplite firmo
Conſtitit, adjutiſque aliquo [u] conamine nervis.
Indè valens, veloxque [x] fuit, ſpatiumq; juventa
Tranſit, & , emeritis medii quoq; temporis annis,
Labitur occiduæ per iter declive ſenectæ.
Subruit hæc ævi demoliturque prioris
Robora. Fletque [y] Milo ſenior, cum ſpectat inanes
Illos, qui fuerant ſolidarum morte ferarum
Herculeis ſimiles, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in ſpeculo rugas conſpexit aniles
[z] Tyndaris, & ſecum, cur ſit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus ævi
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.
Hæc quoque non perſtant, quæ nos elementa vocamus:
Quaſque vices peragant, animos adhibete, docebo.

r Accretione aut diminutione mutantur, adveniente ſc. novâ materiâ, aut fluente, parte poſt partem; manente tamen formâ materiali id eſt, animâ vegetativâ per totam vitam, eâdem numero. ſ Ita per gradus & numeros, è ſemine, congelo ſanguine, embryo, formamur in utero matris, infuſa denique animâ, tempeſtivâ tandem maturitate in lucem producimur. Plinium adi lib. 7. cap. 6. Et quæ ex Hippocrate ad illum Dalecampius. Solinum 4. cap. phyſicos alios & medicos. t Reptans. videturque alluſum ad Sphingis ænigma; *Qui quadrupes foret, & bipes, & tripes unus & idem.* vide quæ nos ad Thebaida Senecæ. verſ. 119. u Adminiculo geniculis adaptato, ne varæ, aut compernes fierent. Varro lib. 8. de L. Lat. ſerperaſtrum vocat. x Alii leg. *furit*, alii *fugit*. y Qui, cùm jam ſenex eſſet, inquit Cicero in Catone, videretque athletas ſe exercentes, aſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illacrymanſque dixiſſe, At hi quidem jam mortui ſunt. Hujus miſerabilem exitum refert Pauſanias in Corinth. poſt. Agellius lib. 15. cap. 16. alii. z Helena, Tyndari & Ledæ filia, à Theſeo novennis rapta, ſed à fratribus Dioſcuris recuperata, Menelao in matrimonium data, mox à Paride rapta, &c.





## Elementorum mutationes, & aquæ in terras, montes in valles, & contrà.

### FABVLA 4.

QVattuor [a] æternus [b] genitalia corpora mundus
Continet: ex illis duo ſunt oneroſa, ſuoque
Pondere in inferius tellus atque unda feruntur;
Et totidem gravitate carent, nulloque premente
Alta petunt, aër, atque aëre purior ignis.
Quæ quanquam ſpatio diſtent, tamen omnia fiunt
Ex ipſis, & in ipſa cadunt: reſolutaque tellus
In liquidas rareſcit aquas; tenuatus in auras
Aëraque humor abit; dempto quoq; pondere rurſus
In ſuperos aër tenuiſſimus emicat ignes.
Indè retro redeunt, idémque retexitur ordo:
Ignis enim denſum ſpiſſatus in aëra tranſit;
Hinc in aquas; tellus [c] glomerata cogitur undâ.
[d] Nec ſpecies ſua cuique manet: rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat natura figuras.
Nec perit in tanto quicquam (mihi credite) mundo,
Sed variat, faciemq; novat: [e] Naſcique vocatur,
Incipere eſſe aliud, quàm quod fuit antè; [f] Morique
Deſinere illud idem. [g] Cùm ſint huc forſitan illa,
Hæc tranſlata illuc: ſumma tamen omnia conſtant.
Nil equidem durare diu ſub imagine eadem
Crediderim: [h] ſic ad ferrum veniſtis ab auro
Secula; ſic toties verſa eſt fortuna locorum.

a Hoc ex Scholâ Ariſtotelicâ, cui mundus fuit ab omni æternitate. b Elementa 4. corpora ſimplicia, ex quibus componuntur ſublunaria: & in quæ reſolvuntur. de quorum qualitatibus primis, ſecundis; activis, paſſivis; συζυγίαις, ſymbolizatione, mutuâ in ſe tranſmutatione; corruptione à contrario, generatione à ſimili; ita ut alteratio generationem & corruptionem antecedat, &c. conſulendi philoſophi naturæ rerum myſtæ. Lucretius 1. lib. & Iovian. Pontan. cap. 2. Meteor. c Condenſata. d Supra ad verſ. 178. *Cuncta fluunt, omniſque vagans formatur imago.* e Generari. f Corrumpi. g Vt rerum conſtet æquilibrium & proportio; nihil, in tantâ rerum viciſſitudine & tot mutationibus, de ſummâ deperit. h De quatuor mundi ætatibus vide lib. prim. verſ. 88.

[i] *Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,*
*Eſſe fretum; vidi factas ex æquore terras:*
*Et procul à pelago conchæ jacuêre marinæ;*
*Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis;*
*Quodque, fuit campus [k] vallem decurſus aquarum*
*Fecit, & eluvie mons eſt deductus in æquor;*
*Eque paludoſa ſiccis humor aret arenis;*
*Quæq; ſitim tulerant, ſtagnata paludibus hument.*
*Hîc fontes natura novos emiſit, & illîc*
*Clauſit: & antiquis tam multa tremoribus orbis*
*Flumina proſiliunt; aut exſiccata reſidunt.*

i De inſulis è mari enatis, Plin. lib. 2. c. 86. & 87, & Senec. l. 2. Nat. Quæſt. cap. 26 quibus locis maria receſſerint. Plin. lib. 2. cap. 85. Quas terras interruperint maria lib. 2. cap. 88. & Seneca l. 6 Nat. quæſt. cap. 29. k Diluvio, inundatione. l Terræ motæ cauſas eruditè examinat Seneca l. 6, c. 4, 5, 6. & ſeq. Plin. l. 2. cap. 79. Ariſt. 2. Meteorolog. c. 7. Lucret. 6. lib.

Quæ deinceps ſequuntur fabulas ad numerum uſque 43, require in margine.

### FAB. 5.

5 *SIc ubi terreno Lycus eſt epotus hiatu,*
*Exiſtit procul hinc, alioque renaſcitur orbe.*
6 *Sic modò combibitur, tecto modò gurgite lapſus*
*Redditur Argolicis ingens Eraſinus in agris.*
7 *Et Myſum capitiſque ſui ripæq; prioris*
*Pœnituiſſe ferunt, aliâ nunc ire, Caïcum.*
8 *Nec non Sicanias volvens Amaſenus arenas*
*Nunc fluit: interdum ſuppreſſis fontibus aret.*
9 *Antè bibebatur; nunc quas contingere nolis*
*Fundit Anigrus aquas: poſtquam (niſi vatibus omnis*
*Eripienda fides) illic lavêre Bimembres*
*Vulnera, clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.*
10 *Quid? Non & Scythicis Hypanis de montibus (ortus,*
*Qui fuerat dulcis, ſalibus vitiatur amaris?*

5 Lycus Aſiæ fl. terræ hiatu abſorptus, poſt 5. ſtadia rurſus emergit. Plin. lib. 2. cap. 103. Senec. Nat. qu. 3. lib. cap. 26. 6 Eraſinus fl. Arcadiæ Plin. l. 2. cap. 103. 7 Myſiæ fl. terrâ hauſtus, fontem, alveum & nomen mutavit, nunc Caïcus dictus. 9 Anigrus fl. Peloponneſi, ex dulci amarus potu factus eſt, poſtquam in eo lavere ſe Centauri ab Hercule vulnerati. 10 Inſulæ continentes factæ.

*11. Fluctibus*



11 *Fluctibus ambitæ fuerant Antiſſa, Pharoſque,*
*Et Phœniſſa Tyros: quarum nunc inſula nulla eſt.*
12 *Leucada continuam veteres habuere coloni;*
*Nunc freta circumeunt. Zanole quoq; juncta fuiſſe*
*Dicitur Italiæ; donec confinia pontus*
*Abſtulit, & media tellurem reppulit undâ.*
13 *Si quæris Helicen, & Buran Achaïdas urbes,*
*Invenies ſub aquis: Et adhuc oſtendere nautæ*
*Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis.*
14 *Eſt prope Pittheam tumulus Trœzena, ſine ullis*
*Arduus arboribus; quondam planiſſima campi*
*Area, nunc tumulus: Nam (res horrenda relatu)*
*Vis fera ventorum cæcis incluſa cavernis*
*Expirare aliquà cupiens, luctataque fruſtra*
*Liberiore frui cœlo, cùm carcere rima*
*Nulla foret toto nec pervia flatibus eſſet,*
*Extentam tumefecit humum, ceu ſpiritus oris*
*Tendere veſicam ſolet, aut birepta bicornis*
*Terga capri. Tumor ille loci permanſit, & alti*
*Collis habet ſpeciem, longoque induruit ævo.*
15 *Plurima cùm ſubeant audita aut cognita nobis,*
*Pauca ſuper referam. Quid? Non & lympha figuras*
*Datque, capitq; novas? Medio tua, Corniger Ammon,*
*Unde dies gelida eſt, ortuque obituque caleſcit.*
16 *Admotis Athamanis aquis accendere lignum*
*Narratur, minimos cùm Luna receſſit in orbes.*
17 *Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit*
*Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.*
18 *Crathis, & hinc Sybaris veſtris conterminus oris*
*Electro ſimiles faciunt auroque capillos.*

11 Antiſſa Lesbo inſ. Pharos Ægypto, Tyros Phœniciæ adjectæ. 12 Leucadem à continenti avulſit accolarum opera: Meſſanam, totamque Siciliam ab Italiâ Pontus. 3. Æn. Virg. 13 Terræ motu urbes iſtas abſorptas ſcribunt Oroſius l. 3. cap. 3. Strabo l. 1. Diodorus lib. 15. 14 Prope Trœzena urbem Peloponneſi Pitheo quondam regnatam, area, exhalationum in cavernis ſubterraneis vi in collem intumuit, non ſecus ac veſica aut uter inflatus. 15 De fontis hujus, nec non aliorum, miraculo, vide Plin. lib. 2. cap. 103. Curtium lib. 4. Arrianum lib. 2. Lucretium l. 6. de Iove Ammone arietinâ formâ culto, vide quæ nos ad Lucanum lib. 9. verſ. 512. 16 Apud Athamanas Epiri popul. fons Dodonæus faces extinguit, extinctas accendit, &c. Plin. lib. 2. cap. 103. Solinus cap. 12. Mela lib. 2. cap. 5. Lucret. lib. 6. 17. Plin. cap. 103. lib. 2. & Seneca lib. 3. Natur. quæſt. cap. 20. 18 Ὁ δὲ Κρᾶθις τοὺς λουμένους ξανθοτριχεῖν καὶ λευκοτριχεῖν ποιεῖ, Strabo ſexto lib. ubi & de Sybari. Euripid. in Troad.



19 *Quodq;*

19 Quodque magis mirum eſt, Sunt qui non corpora tantùm,
Verùm animos etiam valeant mutare liquores.
Cui non audita eſt obſcœnæ Salmacis unda?
20 Æthiopeſq; lacus? quos ſi quis faucibus hauſit,
Aut furit, aut patitur mirum gravitate ſoporem.
21 Clitorio quicunque ſitim de fonte levârit
Vina fugit, gaudétque meris abſtemius undis:
Seu vis eſt in aqua calido contraria vino,
Sive, quod indigenæ memorant, Amithaone natus
Prœtidas attonitas poſtquam per carmen & herbas
Eripuit furiis, purgamina mentis in illas
Miſit aquas, odiumque meri permanſit in undis.
22 Hinc fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis:
Quem quicunq; parùm moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.
23 Eſt lacus Arcadiæ, Phenium dixêre priores,
Ambiguis ſuſpectus aquis; quas nocte timeto:
Nocte nocent potæ; ſine noxa luce bibuntur.
24 Sic alias aliaſque, lacus & flumina, vires
Concipiunt. Tempuſque fuit cùm navit in undis,
Nunc ſedet Ortygie. Timuit concurſibus Argo
Undarum ſparſas Symplegadas eliſarum:
Quæ nunc immotæ perſtant, ventiſque reſiſtunt.
25 Nec quæ ſulfureis ardet fornacibus Ætna
Ignea ſemper erit: neq; enim fuit ignea ſemper.

19 De Salmacide fonte Cariæ, dictum l.4.v.285. 20. Lacus quidam in Æthiopia epoti furorem inducunt aut veternum. 21 Vinum tædio venire his qui ex Clitorio lacu biberint, ſcribit Plin. l. 32. cap. 2. eſt autem lacus ille Arcadiæ in Peloponneſo. Vitruvius l. 8 refert epigramma in eandem ſententiam, fontis lapidi inſcriptum. Prœti autem filias βϩμανίᾳ laborantes Melanthus Amithaonis filius ſanæ menti reſtituit, morbique ἀποκαθάρματα in fontem conjecit; ut poetæ placet. 22 Lynceſtis aqua, in Macedonia, vini modo temulentos facit, inquit Plin. lib. 2. cap. 103. 23 Lacum hunc Arcades Styga vocant, inquit Pauſanias in Arcadicis. vide & Plinum lib. 4. cap. 6. 24 De inſ. Delo erraticâ, ſupra lib. 6. verſ. 186. & ad 3. Æneid. Virg. De Cyaneis inſſ. vide quæ ad 63. verſ. lib. 7. & quæ ad Senecæ Medeam verſ. 341. & ad Herc. Fu. verſ. 1212. Hom. Odyſſ. μ. Pindar. Pyth. 4. oden Apollon. Argonaut. lib. 2. 25 Præter poëtas à me citatos in *Indice Poetico* tit. *Ætna.* Lucretium, Virgilium, Claudianum, &c. vide Ariſtotelem libro de mundo. Senec. epiſt. 79. Plinius lib. 3. cap. 8. Solin. cap. 11. Strabo 6. lib. adfert noſter tres incendii cauſſas, 1. ab animali ſpiritu; 2. à ventis incluſis; 3. à bitumine & ſulphure.

Nam



m, ſive eſt animal Tellus, & vivit, habétque
ramenta locis flammam exhalantia multis;
irandi mutare vias, quotiéſque movetur,
s finire poteſt, illas aperire cavernas:
ve leves imis venti cohibentur in antris,
xaque cum ſaxis, & habentem ſemina flammæ
ateriam jactant, ea concipit ictibus ignem;
ntra relinquentur ſedatis frigida ventis:
ve bituminæ rapiunt incendia vires,
teave exiguis areſcunt ſulfura fumis;
npe ut terra cibos, alimentaque pinguia flammæ
n dabit, abſumptis per longum viribus ævum,
turæque ſuum nutrimen deerit edaci,
n feret illa famem, deſertaque deſeret ignes.
26 Eſſe viros fama eſt in Hyperborea Pallene,
ui ſoleant levibus velari corpora plumis,
m Tritoniacam novies ſubiêre paludem.
aud equidem credo: 27 Sparſæ quoque membra veneno
xercere artes Scythides memorantur eaſdem.
28 Siqua fides rebus tamen eſt addenda probatis:
onne vides quæcunque mora, fluidoque calore
orpora tabuerint, in parva animalia verti?
quoque, delectos mactatos obrue tauros,
(Cognita res uſu) de putri viſcere paſſim
Florilegæ naſcuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, operiq; favent, in ſpemque laborant.
29 Preſſus humo bellator equus crabronis origo eſt.
30 Concava litoreo ſi demas brachia cancro,
Cætera ſupponas terræ: de parte ſepultâ
Scorpius exibit, caudaque minabitur uncâ.

26 Herodotus in Melpomene, pennas has interpretatur nives. & Plinius lib. 4. c. 12. Mox, inquit, Riphæi montes, aſſiduo nivis caſu, pinnarum ſimilitudine, Pterophoros appellata regio, &c. 27 Adi autores à me citatos ad verſ. 200 & 223. lib. 7. quin & Pamphile fit bubo. 3. Met. Apuleii. 28 Μέλισσαι βυγενεῖς. Ariſtæi inventum. 1. Faſtorum. Columella l. 9. c. 14. Varro lib. 3. R.R. c. 16. citat illud Archelaïs βοὸς φθιμένης πεποιημένα τέκνα. Plin. lib. 11. cap. 20. apes in totum amiſſas reparari aiunt ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis: Virgilius 4. Georgic. juvencorum corpore exanimato, ſicut--- 29 -- Equorum corpore veſpas atq; crabrones. Ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι. Varro ibid.

V 2 31 Quæq;

31 *Quæque ſolent canis frondes intexere filis*
*Agreſtes tineæ (res obſervata colonis)*
*Ferali mutant cum papilione figuram.*
32 *Semina limus habet virides generantia ranas,*
*Et generat truncas pedibus: mox apta natando*
*Crura dat, utque eadem ſint longis ſaltibus apta,*
*Poſterior ſuperat partes menſura priores.*
33 *Nec catulus partu quem reddidit urſa recenti,*
*Sed malè viva caro eſt: lambendo mater in artus*
*Fingit, & in formam quantam capit ipſa reducit.*
34 *Nonne vides quos cera tegit ſexangula fœtus*
*Melliferarum apium ſine membris corpora naſci?*
*Et ſeroſque pedes, ſeraſque aſſumere pennas?*
35 *Iunonis volucrem, quæ cauda ſydera portat,*
*Armigerumque Iovis, Cythereïadaſque columbas,*
*Et genus omne avium mediis è partibus ovi,*
*Ni ſciret fieri, quis naſci poſſe putaret?*
36 *Sunt qui, cū clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulchro,*
*Mutari credant humanas angue medullas.*
*Hæc tamen ex aliis generis primordia ducunt.*
37 *Una eſt quæ reparet ſeque ipſa reſeminet ales,*
*Aſſyrii Phœnica vocant: nec fruge nec herbis*
*Sed thuris lacrymis, & ſucco vivit amomi.*
*Hæc ubi quinque ſuæ complevit ſecula vitæ*
*Ilicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ,*
*Unguibus & duro nidum ſibi conſtruit ore,*
*Quò ſimulac caſias, ac nardi lenis ariſtas*
*Quaſſaque cum fulva ſubſtravit cinnama myrrhâ,*
*Se ſuper imponit, finitque in odoribus ævum.*

31 Inde vermiculus parvus, & triduo eruca; rupto deinde cortice volat papilio. Pli. l. 11. c. 32. Neque enim opus eſt hæc de bombycibus intelligi.
33 Vrſarum fœtus naſci informes, lambendo figurari ſcribunt autores non ultimi commatis. Falſum id eſſe, ocularius contrarii teſtis aſſeverat Dalecampius ad 36. cap. lib. 8. Plin. hiſt.
34 Servio, quòd ſine pedibus naſcantur, nomen habere dicuntur, quaſi ἄποδες. Scaligero verò lib. 4. de L. L. cap. 94. ab opere, παρὰ τὸ ἄπτειν.
36 Anguem ex medulla hominis ſpinæ gigni, accepimus à multis. Plin. lib. 10. cap. 66. circa ſepulchra itaque viſuntur. 37 Præter Claudianum & alios à me citatos in *Indice meo Poetico* tit. *Phœnix*. Lege Tacit. Annal. lib. 5. Ælian. lib. 5. cap. 58. Pier. hieroglyph. lib. 20. Geſnerum, alios. Phœnicem jactant Indi, avem unicam, neſcio an fabuloſe, inquit Plinius lib. 10. cap. 2. Soli ſacram, vivere annos 660, caſia thuriſque ſurculis nidum conſtruere & ſuperemori. ex oſſibus & medullis ejus naſci vermiculum, inde fieri pullum, &c. juſta priori reddere, totum nidum deferre prope Panchaiam, in Solis urbem, & in ará ibi deponere, &c.





*Indè ferunt, totidem qui vivere debeat annos*
*Corpore de patrio parvum Phœnica renaſci.*
*Cùm dedit huic ætas vires, onerique ferendo eſt,*
*Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ,*
*Fertque pius cunaſq; ſuas, patriumq; ſepulcrum,*
*Perque leves auras Hyperionis urbe potitus*
*Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.*
38 *Si tamen eſt aliquid miræ novitatis in iſtis,*
*Alternare vices, & quæ modò fœmina tergo*
*Paſſa marem eſt, nunc eſſe marem miremur Hyænam.*
39 *Id quoq; quod ventis animal nutritur, & aurâ,*
*Protinus aſſimulat tetigit quoſcunque colores.*
40 *Victa racemifero Lyncas dedit India Baccho,*
*E quibus, ut memorant, quicquid veſica remiſit*
*Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.*
41 *Sic & Coralium quo primum contigit auras*
*Tempore dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.*
*Deſinet antè dies, & in alto Phœbus anhelos*
*Æquore tinget equos, quàm conſequar omnia dictis*
*In ſpecies tranſlata novas.* 42 *Sic omnia verti*
*Cernimus, atque alias aſſumere robora gentes,*
*Concidere has: ſic magna fuit cenſuque viriſque*
*Perque decem potuit tantum dare ſanguinis annos;*
*Nunc humiles veteres tantummodo Troja ruinas,*
*Et pro divitiis tumulos oſtendit avorum.*
m *Clara fuit Sparte; magnæ viguere Mycenæ;*
*Necnon & Cecropis; necnon Amphionis arces:*
*Vile ſolum Sparte eſt; altæ cecidere Mycenæ;*
*Oedipedoniæ quid ſunt, niſi nomina, Thebæ?*
*Quid Pandioniæ reſtant, niſi nomen, Athenæ?*

38 Hyænic utranque eſſe naturam annis alternis credit vulgus, Ariſtoteles negat. inquit Plin. lib. 8. cap. 30. Tales, inquit Sabinus, ſunt Theologi ambiguè de graviſſimis rebus pronunciantes & docentes, &c.
39 Chamæleon omnium quæ tangit refert colorem. rubrum candidumque excipit Plutarchus l. de Adul. de quo Plin. l. 8. cap. 33 Tertul. de Pallio. Pierius lib. 27. Alciat. embl. 53. 40 Ex urinâ lyncis lapis lyncurius. 41 Vt an è, l. 4. v. 744. m Lacedæmon, Mycenæ, Athenæ, ab Amphione conditæ Thebæ, Oedipodæ regnatæ, Vrbes quondam florentiſſimæ, nunc proſtratę & dirutæ, urbium cadavera projecta jacent, ut Sulpitius, epiſt. 5, lib. 4. ad Ciceronem.

## Roma ab Ænea fundata, & quod carnibus non eſt omnino veſcendum.

### FAB. 43.

NVnc quoque [n] Dardaniam fama eſt conſurgere Romam,
Appenninigenæ quæ proxima Tybridis undis
Mole ſub ingenti rerum fundamina ponit.
Hæc igitur formam creſcendo mutat; & olim
Immenſi caput orbis erit: ſic dicere vates
Faticinaſque ferunt ſortes, [o] quantumq́; recordor,
Dixerat Æneæ, cùm res Trojana labaret,
Priamides Helenus flenti, dubioque ſalutis:
Nate Deâ, ſi nota ſatis præſagia noſtræ
Mentis habes, Non tota cadet te ſoſpite Troja.
[p] Flamma tibi ferrumque dabunt iter: ibis, & una
Pergama rapta feres; donec Trojæque, tibique
Externum patrio contingat amicius arvum.
Vrbem etiam cerno Phrygios debere nepotes,
Quanta nec eſt, nec erit, nec viſa prioribus annis.
Hanc alii [q] proceres per ſecula longa potentem,
Sed dominam rerum [r] de ſanguine natus Iüli
Efficiet: quo, cùm tellus erit uſa, fruentur
Ætheræ ſedes, cœlumque erit exitus illi.
Hæc Helenum ceciniſſe [s] Penatigero Æneæ
Mente memor refero, cognataque mœnia lætor
Creſcere, & [t] utiliter Phrygibus viciſſe Pelaſgos.
Nè tamen oblitis ad metam tendere longè
Expatiemur equis: Cœlum, & quodcunq́; ſub illo eſt,
Immutat formas; telluſque, & quicquid in illa eſt.
Nos quoq́; pars mundi (quoniam non corpora ſolùm,

n A Dardanidis conditam Romam, quam alluit Tybris ex Appennino medio profluens.
o Fictionem hujus prædictionis appoſi è imputat ἀναμνήσει ſuæ Pythagoras, qui ſe temporibus Trojanis Euphorbum fuiſſe delitavit. ſed vide quæ Æneæ Helenus. Virg. 3. Æneid.
p Deos patrios, patremque ferenti enſis & ignis ceſſerunt. infra.
q Reges, Conſules, alii togâ & ſago clari.
r Octavius Auguſtus, Iulii Cæſ. adoptione filius, qui maternum genus ad Aſcanium, qui & Iulus, Æneæ filium referebat. ſ Repete quæ ex Æliano adnotavimus ad verſ. 625. t Iacturâ utique Phrygibus utili, utpote in bonum cedente, è Trojæ cineribus Roma, urbium principe & orbis capite, renatâ.

Verùm



Verùm etiam [u] volucres animæ ſumus, inq́; ferinas
Poſſumus ire domos, pecudumque in pectora condi)
Corpora quæ poſſunt animas habuiſſe parentum,
Aut fratrum, aut aliquo junctorum fœdere nobis,
Aut hominum certè, tuta eſſe, & honeſta ſinamus:
[x] Néve Thyeſteis cumulemus viſcera menſis.
Quàm malè conſueſcit, quàm ſe parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
Rumpit, & immotas præbet mugitibus aures!
Aut qui vagitus ſimiles puerilibus hædum
Edentem jugulare poteſt, aut alite veſci
Cui dedit ipſe cibos! Quantum eſt quod deſit in iſtis
Ad [y] plenum facinus? Quis tranſitus inde paratur?
Bos aret, aut mortem ſenioribus imputet annis.
Horriferum contra Borean ovis [z] arma miniſtret.
Vbera dent ſaturæ manibus preſſanda capellæ.
Retia cum pedicis, laqueoſque, arteſque doloſas
Tollite, nec volucres viſcatâ fallite virgâ,
Nec [a] formidatis cervos includite pennis,
Nec celate cibis uncos fallacibus hamos.
Perdite, ſi qua nocent, verùm hæc quoq́; perdite tantùm:
Ora vacent epulis, alimentaq́; congrua carpant.

u Adeoque ex alio in aliud corpus migrantes.
x Ne itaque vim inferamus pecudibus in quarum corpora migrarunt fortè parentum noſtrorum aut cognatorum animæ; nec viſcera eorum in noſtra condamus, impiè Atreum imitati & menſas Thyeſteas. de quibus vide Senecæ Thyeſten, & quæ nos ad illum.

y Vltimæ crudelitatis conſummationem, i. e. homicidium & dapes Cyclopeas ac Thyeſteas. z Lanam ad veſtes. a Formidinibus, i. e. lineis quibus plumæ verſicolores intertextæ, eædemque uſtulatæ ſuſpenduntur, quæ cervos viſu & odore territos in veras plagas impellant. *Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ*. Virg. 3. Georg. Senec. Hippolyt. verſ. 46. & Lucan. lib. 4. verſ. 437.

## Nüma deorum cultum inſtituens, & Egeriæ luctus.

### FABVLA 44.

TAlibus atque aliis [b] inſtructo pectore dictis,
In patriam remeâſſe ferunt; [c] ultroq́; petitum

b Vide quæ adnotavi ad 7. verſ. hujus lib. Sunt tamen qui alium à Samio Pythagorâ, Lacedæmonium ſc. fuiſſe Numæ σύγχρονον autument, quem in Italiâ exulantem audiverit. c De imperio Numæ delato, religione & pace ab eo inſtitutis, Egeriâ nymphâ, &c. conſulendi hiſtorici, Livius, Dionyſius, Plutarchus, alii. Virgil. 6. Æneid.



Accepiſſe

*Accepiſſe Numam populi Latialis habenas:*
*Conjuge qui felix Nympha, ducibuſque Camœnis*
*Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci*
*Aſſuetam bello pacis traduxit ad artes.*
*Qui poſtquam ſenior regnumque, ævumq́; peregit,*
*Extinctum Latiæque nurus, populuſque, patreſque,*
*Deflevêre Numam: nam conjux urbe relictâ,*
*Vallis Aricinæ denſis latet abdita ſylvis,*
*Sacraque [d] Oreſtea gemitu quæſtuque Dianæ*
*Impedit. Ah quoties Nymphæ nemoriſque, lacuſque,*
*Ne faceret, monuêre, & conſolantia verba*
*Dixerunt! quoties flenti [e] Theſeïus heros,*
*Siſte modum, dixit! nec enim fortuna querenda*
*Sola tua eſt:* Similes aliorum reſpice caſus;
Mitius iſta feres. *Utinamque exempla dolentem,*
*Non mea te poſſent relevare! Sed & mea poſſunt.*

d Dianæ Scythi è ſimulachrum & ſacra ex Taurica in Italiam tuliſſe fertur Oreſtes cum Iphigeniâ ſorore, & in nemore Aricino ſtatuiſſe. vide Lil. Gyrald. Syntag. 12. & Lact. lib. 1. cap. 21. e Hippolytus Theſei filius, vitæ ab Æſculapio reſtitutus & templo Dianæ in Aricinâ ſylvâ præfectus. Et infra.

## Hippolytus in Virbium. q.d. bis virum.

### FAB. 45.

*FAndo aliquem Hippolytum, veſtras ſi contigit aures,*
[f] *Credulitate patris, ſceleratæ & fraude novercæ*
*Occubuiſſe neci, mirabere, vixque probabo.*
*Sed tamen ille ego ſum: me [g] Paſiphaëia quondam*
*Tentatum fruſtra patrium temerare cubile,*
*Quod voluit, finxit voluiſſe, & crimine verſo,*
*Indiciíne metu magis, [h] offenſave repulſæ*
*Arguit; immeritumque pater projecit ab urbe,*
[i] *Hoſtilique caput prece deteſtatur euntis.*

f Fabula notiſſima ut notior ſit, legendum argumentum Hippolyti apud Euripidem & Senecam, adeoque ipſæ tragœdiæ.

g Phædra, Paſiphaës & Minois filia, uxor Theſei, Hippolyti noverca. h *Erubuit nempe hæc, ceu faſtidita repulſa.* Iuven. 10. Sat. de eadem Phædrâ. i Ex tribus optatis, inquit Cic. 1. Off. hoc erat ultimum, quod de Hippolyti interitu iratus optavit. Ὦ θεοὶ, Πόσειδον, ὡς ἄρ᾽ ἦσθ᾽ ἐμὸς πατὴρ, Ὀρθῶς ἀκούσας τῶν ἐμῶν κατευγμάτων. & Senec. Hippol. v. 940.





[k] *Pittheam profugo curru Trœzena petebam,*
*Iamque Corinthiaci carpebam litora ponti,*
[l] *Cùm mare ſurrexit, cumuluſq́; immanis aquarum*
*In montis ſpeciem curvari, & creſcere viſus,*
*Et dare mugitus, ſummoque cacumine findi.*
*Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis,*
*Pectoribuſque tenus molles erectus in auras*
*Naribus, & patulo partem maris evomit ore.*
*Corda pavent comitum: mihi mens interrita manſit*
*Exiliis contenta ſuis. Cùm colla feroces*
*Ad freta convertunt, arrectiſq́; auribus horrent*
*Quadrupedes, monſtrique metu turbantur, & altis*
*Præcipitant currus ſcopulis: ego ducere [m] vanâ*
*Fræna manu ſpumis albentibus oblita luctor,*
*Et retrò lentas tendo reſupinus habenas.*
*Nec vires tamen has rabies ſuperâſſet equorum:*
*Ni rota, perpetuum quæ circumvertitur axem,*
*Stipitis occurſu fracta & disjecta fuiſſet.*
*Excutior curru, loriſque tenentibus artus*
*Viſcera viva trahi, nervoſq́; in ſtirpe teneri,*
*Membra rapi partim, partim reprehenſa relinqui,*
*Oſſa gravem dare fracta ſonum, feſſamque videres*
*Exhalare animam, nullaſque in corpore partes,*
*Noſcere quas poſſes: [n] unumq́; erat omnia vulnus.*
*Num potes, aut audes cladi componere noſtræ,*
*Nympha, tuam? vidi quoq́; luce carentia regna,*
*Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in undâ.*
*Nec, niſi [o] Apollineæ valido medicamine [o] prolis,*
*Reddita vita foret: quam poſtquam fortibus herbis*
*Atque ope [p] Pæonia, Dite [q] indignante, recepi,*
*Tum mihi nè præſens augerem muneris hujus*
*Invidiam, denſas objecit [r] Cynthia nubes.*
*Utque forem tutus, poſſemque impunè videri,*
*Addidit ætatem; nec cognoſcenda reliquit*

k Trœzena urbem Peloponneſi, ubi educatus fuerat Hippolytus à Pittheo rege. l Audi nuncium hæc referentem apud utrunque tragicum, Eurip. & Sen. m Fruſtra retinere equos territos laboranti. n *Omnia plenis Membra fiunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.* Lucan. 9. l. 813. verſ. o Æſculapii. Adi Virgilium 7 Æn. verſ. 765. *Namque ferunt fama Hippolytum*, &c. & Lactantium lib. 1. c. 10. p Medicâ. Pæan nomen medici apud Hom. à quo curatus Pluto; quin & Pæan, Apollo medicinæ inventor. q Minui ſibi imperium, violari regni fœdera, vitæ reſtitutis qui interierant. r Diana, ut Apollo Cynthius: à Cyntho monte Deli, ubi nati.

*Ora mihi, Cretenque diu dubitavit habendam*
*Traderet, an Delon: Delo, Cretaque relictis*
*Hîc poſuit, nomenque ſimul, quod poſſit equorum*
*Admonuiſſe, jubet deponere;* [s] *quique fuiſti*
*Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius eſto.*
*Hoc nemus indè colo, de diiſque minoribus unus*
*Numine ſub dominæ lateo, atque aſſentior illi.*

ſ Qui primum fuerat Demophon; deinde ab equis imperium ſolventibus dilaniatus, Hippolytus; nunc vitæ reſtitutus, *Virbius* dictus.

## Egeria in amnem. FAB. 46.

*NOn tamen Egeriæ luctus aliena levare*
*Damna valent; montiſque jacens radicibus imis*
*Liquitur in lacrymas: donec pietate dolentis*
*Mota ſoror Phœbi gelidum de corpore fontem*
*Fecit, & æternas artus tenuavit in undas.*

## Gleba in puerum Tagen, qui futurorum apud Hetruſcos ſcientiam invenit.

## FABVLA 47.

*AT nymphas tetigit nova res: &* [t] *Amazone natus*
*Haud aliter ſtupuit, quàm cùm* [u] *Tyrrhenus arator*
*Fatalem glebam motis aſpexit in arvis*
*Sponte ſua primùm, nulloque agitante moveri*
*Sumere mox hominis, terraque amittere formam,*
*Oraque venturis aperire recentia fatis.*
*Indigenæ dixêre Tagen: qui primus Hetruſcam*
*Edocuit gentem caſus aperire futuros.*

t Hippolytus. u Thuſco cuidam aranti, emerſit ſubitò è terrâ ſub vomere preſſa, puer cui inde nomen inditum Tages. is Etruſcos aruſpicinam docuit. Cic. 2. lib. de Divinatione. Lucan. 1. lib. verſ. 636. Marcellin. lib. 21. Arnobius lib. 2. Crinitus lib. 10. cap. 7 & 16. lib. cap. 1. Gyrald. Syntagm. 1. obſcurum hunc aliquem, Terræ filium, & quaſi ex gleba Theologum interpretatur Sabinus.





## Lancea Romuli in Cornum arborem.

## FAB. 48.

*UTque Palatinis hærentem collibus olim,*
*Cùm ſubitò vidit* [x] *frondeſcere Romulus haſtam,*
*Quæ radice nova, non ferro ſtabat adacto:*
*Et jam non telum, ſed lenti viminis arbor*
*Non expectatas dabat admirantibus umbras.*

x Meminit hujus lanceæ corneæ Plutarchus in vita Romuli. quod prodigium ſignificavit ſtatum imperii Romani armis fore florentem.

## Cippus cornutus factus, & regnum reſpuens. FAB. 49.

*AUt ſuæ fluminea cùm vidit* [y] *Cippus in undâ*
*Cornua: vidit enim, falſamq́ in imagine credens*
*Eſſe fidem, digitis ad frontem ſæpe relatis*
*Quæ vidit, tetigit: nec jam ſua lumina damnans*
*Reſtitit, ut victor domito veniebat ab hoſte,*
*Ad cælumque oculos, & eôdem cornua tollens,*
*Quicquid, ait, ſuperi monſtrò portenditur iſto,*
*Seu lætum eſt aliquid patriæ, populoque Quirini,*
*Sive minax, mihi ſit: viridique è ceſpite factas*
*Placat odoratis herboſas ignibus aras,*
*Vinaque dat* [z] *pateris, mactatarumq́ bidentum*
[a] *Quid ſibi ſignificent trepidantia conſulit exta.*
*Quæ ſimul aſpexit* [b] *Tyrrhenæ gentis aruſpex;*
*Magna quidem rerum molimina vidit in illis:*
*Non manifeſta tamen. Cùm verò ſuſtulit acre*
*A pecudis fibris ad Cippi cornua lumen,*

y Genitio Cippo Prætori paludato portam egreſſo, in capite ſubitò veluti cornua emerſerunt: inquit Valerius Max. lib. 5. c. 6. reſponſumque eſt eum regem fore, ſi in urbem reverti ſſet. quod ne accideret, voluntarium ac perpetuum ſibimet indixit exilium. z E pateris verò vinum inter victimæ cornua, & in aram fundere moris erat. a Vide quæ nos ad 1. Lucani verſ. 617. b Etruſcos à Tage aruſpicinam accepiſſe, modò dictum ad verſ. 553. Accitos ex Etruriâ aruſpices ad luſtrationes & prodigia procuranda: quin & ex Romanorum principum filiis tradi ſex in diſciplinam ſingulis Etruriæ populis, notum ex Cicer. 1. lib. de Divinatione.

*Rex ait, O ſalve: tibi enim, tibi Cippe, tuiſque*
*Hic locus, & Latiæ parebunt cornibus arces:*
*Tu modò rumpe moras, portaſque intrare patentes*
*Adpropera, ſic fata jubent. Namque urbe receptus*
*Rex eris, & ſceptro tutus potière perenni.*
*Rettulit ille pedem, torvamque à mœnibus urbis*
*Avertens faciem, Procul ô procul omnia, dixit,*
*Talia dii pellant: multoque ego juſtiùs ævum*
*Exul agam, quàm me videant Capitolia regem.*
*Dixit, & extemplo populumq́; gravemq́; ſenatum*
*Convocat: ante tamen capitis nova* [c] *cornua fronde*
*Velat, & aggeribus factis à milite forti*
*Inſiſtit, priſcoſque deos de more precatus,*
*Eſt, ait, hic unus, quem vos niſi pellitis urbe,*
*Rex erit: is qui ſit, ſigno, non nomine dicam.*
[c] *Cornua fronte gerit, quem vobis indicat augur,*
*Si Romam intràrit, famularia jura daturum.*
*Ille quidem potuit portas irrumpere apertas;*
*Sed nos obſtitimus: quamvis conjunctior illo*
*Nemo mihi eſt, vos urbe virum prohibete Quirites,*
*Vel, ſi dignus erit, gravibus vincite catenis,*
*Aut finite metum fatalis morte tyranni.*
*Qualia* [d] *ſuccinctis, ubi trux inſibilat Eurus,*
*Murmura pinetis fiunt: aut qualia fluctus,*
*Æquorei faciunt, ſi quis procul audiat illos:*
*Tale ſonat populus; ſed per confuſa trementis*
*Verba tamen vulgi vox eminet una, Quis ille eſt?*
*Et ſpectant frontes, prædictaque cornua quærunt.*
*Rurſus ad hos Cippus, Quem poſcitis, inquit, habetis.*
*Et dempta capiti, populo prohibente, coronâ*
*Exhibuit gemino præſignia tempora cornu.*
*Demiſere oculos omnes, gemitumque dedère:*
*Atque illud meritis clarum (quis credere poſſit?)*
*Inviti vidère caput: nec honore carere*
*Ulterius paſſi, feſtam impoſuère coronam.*

c Coronam regium geſtamen à cornu dictum volunt, ut habet Pierius lib. 41. Hieroglyph. quem adi. Bacchus cur cornutus fuerit dictus, vide quæ nos ad Senecæ Hippolytum verſ. 753. atque ibidem de Moſis facie cornuta ſeu radiatâ. Cornua, inquit Plinius, quadrupedum generi tantùm data. Actæonem enim, & Cippum, etiam in Latinâ hiſtoriâ, fabuloſos reor. lib. 11 cap. 37.

d Pinus enim, tereti trunco, altè quaſi ſuccincta, prope cacumen ramos profundit.





*At proceres, quoniam muros intrare vetatis,*
*Ruris honorati tantùm tibi Cippe dedère,*
*Quantum depreſſo ſubjectis bobus aratro*
*Complecti poſſes, ad finem lucis ab ortu:*
*Cornuaque* [e] *æratis miram referentia formam*
*Poſtibus inſculpunt, longum manſura per ævum.*

e *Auratis* habent ſcripti & cuſi codices. prætulerim tamen *æratis*, ductus ratione & fide hiſtoriæ, quam habes apud Valer. Maxim. lib. 5. c. 6. Cujus teſtandæ rei gratiâ, capitis (Cippi) effigies æreæ portæ, qua exceſſerat, incluſa eſt, dictaque Raudusculana; quod olim Rauda æra dicebantur. Idem Feſtus, & Varro.

## Æſculapius Romam accerſitus & in ſerpentem mutatus.

### FAB. 50.

[f] *PAndite nunc Muſæ, præſentia numina vatum,*
*(Scitis enim, nec vos fallit ſpatioſa vetuſtas)*
*Unde* [g] *Coroniden circumflua Tybridis alti*
*Inſula Romuleæ ſacris arceſſerit urbis.*
[h] *Dira lues quondam Latias vitiaverit auras,*
*Pallidaque exangui ſquallebant corpora morbo.*
*Funeribus feſſi, poſtquam mortalia cernunt*
*Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentum,*
*Auxilium cœleſte petunt;* [i] *mediamque tenentis*
*Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi:*
*Utque ſalutifera miseris ſuccurrere rebus*
*Sorte velit, tantæque urbis mala finiat, orant.*
*Et locus, & laurus, & quas habet ipſe pharetras,*
*Intremuère ſimul,* [k] *cortinaque reddidit imo*
*Hanc adyto vocem, pavefactaque corpora movit:*

f *Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſque movete*, &c. mox, *Et meminiſtis enim Divæ*, &c. Virg. 7. Æn. uterque ex illo Homeri 2. Iliad. Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, &c.

g Æſculapium, Coronei nepotem, Apollinis ex Coronide filium. qui enim prodeunt ſecto matris utero, huic, utpote medicinæ Deo, ſacri ſunt. l. 2, v. 647. *h* Æſculapium Epidauro accitum Romam, amoliendæ peſtilitatis gratiâ, refert Liv. 10. dec. 1. lib. & 9, dec. lib. 3. Aur. Victor. cap. 22, Val. Max. lib. 1, cap. 8. *i* Parnaſſum montem, ſub quo Delphi opp. Apollinis oraculo clari, umbilicum orbis ſtatuunt. Strabo l. 9. Lucan. lib. 5, verſ. 71. Claudian. præfat. ad Manlii Theodori conſulatum. *k* Occiſo Pythone tripodis cuſtode, inquit Iul. Scaliger, oraculum ſuum fecit. Cujus corio obductus tripos, inde etiam cortina fuit appellatus. vide quæ nos ad Virg. 3. Æn. *& mugire aditis cortina recluſis.* & ad Senecæ Oedip, verſ, 33, & ad Lucan. l. 5. v. 81.

*Quod petis hinc, [l] propiore loco Romane petiſſes,*
*Et pete nunc propiore loco: nec Apolline vobis,*
*Qui minuat luctus, opus eſt; ſed Apolline nato.*
*Ite bonis avibus, prolémque accerſite noſtram.*
*Juſſa Dei prudens poſtquam accepêre Senatus,*
*Quam colat, explorat juvenis Phœbeïus urbem:*
*Quique [l] petant ventis Epidauria litora mittunt.*
*Quæ ſimul incurva miſſi tetigêre carinâ:*
*Concilium, Graioſque patres adiêre, daréntque*
*Oravêre Deum, qui præſens funera gentis*
*Finiat Auſoniæ: [m] certas ita dicere ſortes.*
*Diſſidet, & variat ſententia; parſque negandum*
*Non putat: auxilium multi retinere, ſuamque*
*Non emittere opem, nec numina tradere ſuadent.*
*Dum dubitant, ſeram pepulêre crepuſcula lucem,*
*Umbraque telluris tenebras induxerat orbi,*
*Cùm Deus in ſomnis [n] opifer conſiſtere viſus*
*Ante tuum, Romane, torum; ſed [o] qualis in æde*
*Eſſe ſolet: * baculumque tenens agreſte ſiniſtrâ*
[p] *Cæſariem longæ dextra deducere barbæ,*
*Et placido tales emittere pectore voces:*
*Pone metus, veniam, ſimulacraq; noſtra relinquam.*
*Hunc modo * ſerpentem, baculum qui nexibus ambit,*
*Perſpice, & uſque nota, viſum ut cognoſcere poſſis:*
*Vertar in hunc, ſed major ero, tantuſque videbor,*
*In quantum verti cœleſtia corpora poſſunt.*
*Extemplo cum voce Deus, cum voce Deoque*
*Somnus abit: ſomniq; fugam lux alma ſecuta eſt.*
*Poſtera ſydereos Aurora fugaverat ignes:*
*Incerti quid agant [q] proceres, ad templa petiti*
*Conveniunt [r] operoſa Dei, [ſ] quaq; ipſe morari*
*Sede velit, ſignis cœleſtibus indicet, orant.*

l A Roma tamen brevior eſt navigatio per Corinthiacum ſinum ad Delphos, quàm ad Epidaurum in Peloponneſos ut recte H. Glareaus. Sed λοξίας Apollo, interdum & vates ipſius.

m Sic Ms. mei, & alii. unde expeditior ſenſus, quàm ex lectione Vatic. *certant addiſcere ſortes.* quæ viam affectat ad verbum prætorium *addico*.

n Τέκνον Ανωδυνίας ἀμερογυαρκέος Ασκλαπιὸν, ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νύσων. Pindar. Pyth. 3. ode. o Humana ſpecie. * Æſculapio prout medico cur tribuantur inſignia baculus & draco, lege apud Phornutum de Nat. Deorum. Macrob. Sat. 1. lib. cap. 10. Pier. Hieroglyph. lib. 16. Natalis Com. 4. lib. cap. 11. p Demulcere ſibi barbam. quæ cur Æſculapio ſit promiſſa, vide apud Pierium 32. l. hieroglyph. q Epidaurii. r Magnificis operibus extructi, inſtructi, ut mox verſ. 672. faſtigio aureo, ſolo marmoreo, &c. ſ Epidauri, an Romæ.

*Vix*



*Vix benè deſierant, cùm criſtis aureus altis*
*In ſerpente Deus prænuncia ſibila movit,*
*Adventuque ſuo, ſignumque, araſque, foreſque,*
*Marmoreumque ſolum, faſtigiaque aurea movit,*
*Pectoribuſque tenus media ſublimis in æde*
*Conſtitit, atque oculos circumtulit igne micantes.*
*Territa turba pavet: cognovit numina caſtus*
*Evinctus vitta crines albente ſacerdos.*
*En! Deus eſt, Deus eſt: [ſ] animis, linguiſque favete,*
*Quiſquis adeſt, dixit. Sis, ô pulcherrime, viſus,*
*Utiliter, populoſque juves tua ſacra colentes.*
*Quiſquis adeſt, viſum veneratur numen: & omnes*
*Verba [t] ſacerdotis referunt geminata, piumq;*
*Æneadæ præſtant & voce, & mente favorem.*
*Annuit his, motiſque Deus rata pignora criſtis,*
*Et repetita dedit vibratâ ſibila linguâ.*
*Tum gradibus nitidis elabitur, oraque retro*
*Flectit, & antiquas abiturus reſpicit aras,*
*Aſſuetaſq; domos, habitataque templa [u] ſalutat.*
*Indè per injectis adopertam floribus ingens*
*Serpit humum, flectitque ſinus, [x] mediamq; per urbem,*
*Tendit ad incurvo munitos aggere portus.*
*Reſtitit hîc: agmenq; ſuum, [y] turbæque ſequentis*
*Officium placido viſus dimittere vultu,*
*Corpus in Auſonia poſuit rate. Numinis illa*
*Senſit onus: preſſaque Dei gravitate carinâ,*
*Æneadæ gaudent, [z] cæſoque in litore tauro;*
*Torta coronatæ ſolvunt retinacula navis.*
*Impulerat levis aura ratem: Deus eminet altè*
*Impoſitaque premens puppim cervice recurvam*
*Cæruleas deſpectat aquas, modiciſque per æquor*
*Ionium [a] Zephyris [b] ſextæ Pallantidos ortu*
*Italiam tenuit; prætérque [c] Lacinia templa*
*Nobilitata Dea, Scyllæaque litora fertur.*

ſ Animo ad ſacra attento, præſtare ſacris ſilentium, pia vota concipite, bona verba dicite. mox verſ. 682. *præſtant & voce & mente favorem.*

t Præeuntis ſc. verbis conceptis.

u *Diſque relinquendi, &c. Eſte ſalutati tempus in omne mihi.* 1. Triſt. el. 3.

x Lege quæ Val. Max. lib. 1. c. 8. & quę Pierius l. 16. Hierogl.

y Epidauriorum Deum abeuntem proſequentium.

z Felicis navigationis ſacro. a Ventis. Synecdoche. Namque Epidauro in Italiam navigantibus non convenit Zephyrus. b Sextæ Auroræ. c Lacinium promontorium, ubi Junonis templum.

*Linquit*

*Linquit Iapygiam, levibuſque * Amphryſia remis*
*Saxa fugit, dextra prærupta Ceraunia parte,*
*Romechiumq́; legit, Caulonaque, Naryciamque,*
*Evincitque [d] fretum, Siculique anguſta Pelori,*
[e] *Hippotadæque domos regis, [f] Temeſeſq́; metalla,*
[g] *Leucoſiamq́; petit, tepidique [h] roſaria Pæſti:*
*Indè legit [i] Capreas, promontoriumq́; Minervæ,*
*Et Surrentino generoſos palmite colles*
[k] *Herculeamq́; urbem, [l] Stabiaſque & in otia natam*
*Parthenopen, & ab hac [m] Cumææ templa Sibyllæ.*
*Hinc [n] calidi fontes, lentiſciferumque tenetur*
*Linternum, multamque trahens ſub gurgite arenam*
*Vulturnus, niveiſq́; frequens Sinueſſa colubris,*
*Minturnæq́; [o] graves, & [p] quam tumulavit alumnus,*
[q] *Antiphatæque domus, [r] Trachaſq́; obſeſſa palude,*
*Et [ſ] tellus Circæa, & ſpiſſi litoris [t] Antium.*
*Huc ubi veliferam nautæ advertêre carinam,*
*(Aſper enim jam pontus erat) Deus explicat orbes,*
*Pérque ſinus crebros & magna volumina labens,*
*Templa parentis init flavum tangentia litus.*
*Æquore placato patrias Epidaurius aras*
*Linquit, & hoſpitio [u] juncti ſibi numinis uſus*
*Litoream tractu ſquamæ crepitantis arenam*
*Sulcat, & innixus moderamine navis, in altâ*
*Puppe caput poſuit: donec [u] Caſtrumque, ſacraſque*
*Lavini ſedes, Tyberinaque ad oſtia venit.*
*Huc omnes populi paſſim, matrumque patrumque*

* Calabriæ, quæ olim Magna Græcia dicta eſt, litus legens, agnoſco Lacinium & Iapygium promont. Cauſona, Locros, Narycioſum coloniam: Verum ubi ſint Amphryſia vel Amphiſſia ſaxa, ubi in Italiâ ſint Ceraunia, vel Celenia, ubi Romechium, nec mihi vola aut veſtigium apparet. in prodigiis hiſce procurandis laborat Adr. Turnebus l. 1. capite 22. neque tamen litat.

*d* Siculum, inter Scylleum Italiæ promp. & Pelorum Siciliæ. *e* Inſulas Æolias. vide lib. 4, verſ. 663. *f* Temeſen, ſeu Tempſam opp. Brutiorum æri fodinis nobilem. *g* Inſulam Lucaniæ in ſinu Pæſtanos. *h* Opp. Lucaniæ roſis nobile, *biferique roſaria Pæſti*. *i* Inſ. maris Tyrrheni contra Promontorium Minervæ Tiberii ſeceſſu notam. *k* Campaniæ urb. *l* Amœnitate, & ſtudiorum ſeceſſu nobilem Neapolim, Horat. 5. Epod. *otioſa* dicitur. *m* Cumas: vide quæ nos ad 6. Æneid. 2. verſ. *n* Baiæ, fortè; quanquam & hæ priùs occurrunt. *o* Propter exhalationes paluſtres. *p* Cajetam. 7. Æn. verſ. 1. *q* Formiæ. Antiphatæ Læſtrygonum regi regnatæ. *r* Tarracina. Anxur. *ſ* Circei. *t* Rectè, namque *Anxur* ordine ſuo præceſſit. *Acnon* longè diſtat. Valerium teſtor lib. 1, cap. 8. Ac proſperam emenſi navigationem, poſtquam Antium appulerunt; anguis, qui utique in navigio remanſerat, prolapſus, &c. *u* Apollinis ſcil. templi. *u* Caſtrum Inui, i. Panos, Latii opp.

*Obvia*



*Obvia turba ruit, [x] quæque ignes Troïca ſervat*
*Veſta tuos: lætoque Deum clamore ſalutant.*
*Quaque per adverſas navis cita ducitur undas,*
*Thura ſuper ripas, aris ex ordine factis*
*Parte ab utraque ſonant: & odorant aëra fumis,*
*Ictaque [y] conjectos incalfacit hoſtia cultros.*
*Iamque caput rerum, Romanam intraverat urbem:*
*Erigitur ſerpens, ſummoque acclivia malo*
*Colla movet, ſedeſque ſibi circumſpicit aptas.*
*Scinditur in geminas partes circumfluus amnis.*
[z] *Inſula nomen habet, laterumq́; à parte duorum*
*Porrigit æquales media tellure lacertos.*
*Huc ſe de Latia pinu Phœbeïus anguis*
*Contulit: & finem, [a] ſpecie cœleſte reſumtâ,*
*Luctibus impoſuit, venitque ſalutifer urbi.*

*x* Virgines Veſtales.

*y* Subjectos. Ioſ. Scal.

*z* Cur ſibi in inſulâ Tiberina ſedem legerit Æſculapius, vide apud Plutarchum, proble. 94.

*a* Reſumptâ imagine divinâ, depoſitâ anguineâ.

## Iulii Cæſaris per cometam Apotheoſis.

### FAB. 51.

*HIc tamen acceſſit delubris advena noſtris:*
*Cæſar [b] in urbe ſua Deus eſt, quem Marte, togaque*
*Præcipuum, non bella magis finita triumphis,*
*Reſque domi geſtæ, properataque gloria rerum*
[c] *In ſydus vertêre novum, ſtellamque comantem,*
*Quàm [d] ſua progenies. Nec enim de Cæſaris actis*
*Ullum majus opus, quàm quòd pater extitit hujus.*
[e] *Scilicet [f] æquoreos plus eſt domuiſſe Britannos,*
*Pérque [g] papyriferi ſeptemflua flumina Nili*
[h] *Victrices egiſſe rates, Numidaſque rebelles,*

*b* Non receptus aliunde Deus, ſed Indigena, Indiges, vide quæ nos ad 12. lib. Æneid. *Indigetem Æneam ſciu ipſa.* & quæ ad 608. verſ. l. 14. ſupra. Deos enim reliquos accepimus (inquit Val. Maximus) Cæſares dedimus, in præfat. ad Tiberium. *c* Infra ad v. 848. *d* Octavius Auguſtus, adoptione Iulii Cæſaris filius & hæres, quem C. Octavio peperit Accia filia Iuliæ ſororis C. Iulii Cæſaris. *e* Ironicè elevat geſta Cæſaris, quò adoptionem Auguſti conſiliis geſtiſque omnibus præferat. *f* Mari cinctos, inſulares. *g* Adi Melchioris Guilandini commentarium de papyro, & in eum animadverſiones Ioſephi Scaligeri. *h* Devicto Ptolemæo rege. Suetonius in vita Cæſaris cap. 35.

[i] *Cinyphiumq́;*

[i] *Cinyphiumq́; Iubam,* [k] *Mithridateiſq́; tumentem,*
*Nominibus Pontum, Populo adjeciſſe Quirini;*
[l] *Et multos meruiſſe, aliquos egiſſe triumphos,*
*Quàm tantum genuiſſe virum, quo præſide rerum*
*Humano generi, ſuperi, faviſtis abundè.*
*Nè foret hic igitur mortali ſemine cretus,*
*Ille Deus faciendus erat. quod ut* [m] *aurea vidit*
*Æneæ genitrix, vidit quoque triſte* [n] *parari*
[o] *Pontifici lethum, &* [p] *conjurata arma moveri:*
*Palluit, & cunctis, ut cuique erat obvia divis,*
*Aſpice, dicebat, quanta mihi mole parentur*
*Inſidiæ, quantaque caput cum fraude petatur,*
*Quod de Dardanio ſolum mihi reſtat Iulo.*
*Solane ſemper ero injuſtis exercita curis?*
*Quam modò Tydidæ Calydonia vulneret haſta;*
*Nunc malè defenſæ confundant mœnia Trojæ?*
*Quæ videam* [q] *natum longis erroribus actum,*
*Iactarique freto, ſedeſque intrare ſilentum,*
*Bellaque cum Turno gerere; aut, ſi vera fatemur,*
*Cum Iunone magis? Quid nunc antiqua recordor*
*Damna mei generis? Timor hic meminiſſe priorum*
*Non ſinit. In* [r] *me acui ſceleratos cernitis enſes:*
*Quos prohibete, precor, facinuſque repellite, néve*
*Cæde* [s] *ſacerdotis flammas extinguite Veſtæ.*
*Talia nequicquam toto Venus anxia cœlo*
*Verba jacet, ſuperoſq́; movet:* [t] *qui rumpere quanquam*
*Ferrea non poſſunt veterum decreta ſororum,*
[u] *Signa tamen luctus dant haud incerta futuri.*
*Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,*

i Mauritaniæ regem, à Cinyphe fl. Scipionis & reliquiarum Pharſaliæ partes tuentem. Appianus videndus, Plutarch. Dion, Suetonius, alii. k Mithridates, Ponti rex cum Romanis annos 40. bellum geſſit, Pharnacem filium ejus bella ferociùs moventem Cæſar ex Alexandria advolans una acie profligavit. l De triumphis Cæſaris & diverſo eorum apparatu & inſtrumento lege Sueton. in Cæſ. cap. 37. & Velleium lib. 2.

m Χρυσῆ Ἀφροδίτη, Homero. n Infra ad verſ. 776. o Inf. ad v. 778. p Diomedes, filius Oenei, Calydoniæ regis vulneravit Venerem. Hom Il. 5. q Æneæ errores, deſcenſus ad inferos, bella cum Turno, pueris nota ex Virgilio. r Progeniem meam. In Cæſarem conjuratum à 60 ampliùs, Caſſio, Marcello, Bruto principibus conſpirationis. Sueton. cap. 80. s Iulii Cæſ. Pontificis max. Suetonii Cæſar. cap. 13. t Ex Stoa hoc. vide quæ ad verſ 431. lib. 9. u Prodigia, quæ Cæſaris cædem portenderunt, lege apud Virgilium ſub exitu primi lib. Georgicon. Plutarchum. & Suetonium in vitâ Cæſaris cap. 81. vide ſis autores quos citat *Index Poeticus* noſter tit. *Prodigia, portenta.* cauſas examinat Plutarchus in Coriolano.

x *Terribi-*



[x] *Terribileſque tubas, auditaque cornua cœlo*
*Præmonuiſſe nefas. Solis quoque triſtis imago*
*Lurida ſollicitis præbebat lumina terris.*
*Sæpe faces viſæ mediis ardere ſub aſtris:*
*Sæpe inter nimbos guttæ cecidêre cruentæ.*
*Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atrâ*
*Sparſus erat: ſparſi lunares ſanguine currus.*
*Triſtia mille locis* [y] *Stygius dedit omina bubo;*
*Mille locis lacrymavit* [z] *ebur: cantuſque feruntur*
*Auditi, ſanctis & verba minantia lucis.*
*Victima nulla litat, magnoſque inſtare tumultus*
[a] *Fibra monet, cæſumque caput reperitur in extis.*
*Inque foro, circumque domos, & templa deorum*
*Nocturnos ululâſſe canes, umbraſque ſilentum*
*Erraviſſe ferunt, motamque* [b] *tremoribus urbem.*
*Non tamen inſidias, venturaque vincere fata*
*Præmonitus potuêre Deûm; ſtrictique feruntur*
*In templum gladii. Nec enim locus ullus in urbe*
*Ad facinus, diramque placet, niſi,* [c] *curia, cædem.*
*Tum verò Cytherea manu percuſſit utraque*
*Pectus, & æthereà molitur condere nube,*
*Qua prius infeſto* [d] *Paris eſt ereptus Atridæ,*
[e] *Et Diomedeos Æneas fugerat enſes.*
*Talibus hanc genitor:* [f] *Sola inſuperabile fatum*
*Nata movere paras? Intres licet ipſa ſororum*
*Tecta trium: cernes illîc molimine vaſto*
*Ex ære, & ſolido rerum* [g] *tabularia ferro,*
*Quæ neque* [h] *concuſſum cœli, neque fulminis iram,*
*Nec metuunt ullas tuta atque æterna ruinas.*
*Invenies illîc inciſa adamante perenni*
*Fata tui generis: legi ipſe, animoque notavi,*
*Et referam, nè ſis jam nunc ignara futuri.*

x *Atque tubas, atque arma, &c.* Tibul. 2. lib. 5. eleg. Lucan. lib. 1. v. 578. y Funeſtus. *dirum mortalibus omen*, l. 5. ſupra. z Simulachra Deûm eburnea. Seneca Thyeſt. verſ. 701. Tibullus 1. lib. 5. eleg. a Virg. 1. Geor. verſ. 480. Tibul. dictâ eleg. Seneca Oedip. 356. verſ. Lucan. 1. lib. 618. verſ. b Terræ motibus. c In ſenatu in Curiâ Pompeii trucidatus eſt Cæſar 23. vulneribus confoſſus. d Homer. Iliad 3. e Iliad 5. f Supra ad verſ. 781. & lib. 9. verſ. 431.

g Paucæ quippe decreta Iovis excipiunt, utpote librariæ ſuperum, archivique cuſtodes. Martian. Capella, lib. 1. h Tonitru. *Cœlique ſerena Concutiat ſonitu,* Lucret. lib. 2.

i *Hic*

i Hic ſua complevit, pro quo Cytherea laboras,
Tempora, perfectis, quos terræ debuit, annis.
Ut Deus accedat cælo, templiſque colatur,
Tu facies: natuſque [k] tuus, qui nominis hæres
Impoſitum feret unus [l] onus, [m] cæſique parentis
Nos in bella ſuos fortiſſimus ultor habebit.
[n] Illius auſpiciis obſeſſæ mœnia pacem
Victa petent Mutinæ: o Pharſalia ſentiet illum,
o Emathiique iterum madefient cæde Philippi,
Et p magnum Siculis nomen ſuperabitur undis:
q Romanique ducis conjux Ægyptia tedæ
Non benè fiſa cadet; fruſtraque erit illa minata
Servitura ſuo Capitolia noſtra Canopo.
Quid tibi barbariem, genteſq; ab utroque jacentes
Oceano numerem? Quodcunq; habitabile tellus
Suſtinet, hujus erit: pontus quoque ſerviet illi.
Pace data terris, [r] animum ad civilia vertet
Iura ſuum, legeſque feret juſtiſſimus autor,
Exemploque ſuo [s] mores reget, inque futuri
Temporis ætatem venturorumque nepotum
Proſpiciens, [t] prolem ſancta de Conjuge natam
Ferre ſimul nomenque ſuum curaſque jubebit.
Nec, niſi cùm ſenior [u] ſimiles æquaverit annos,
Æthereas ſedes cognataque ſydera tanget.

i Iul. Cæſ. complevit datam à fatis ætatẽ. nempe 56. annos. k Octavius Auguſtus. vide quę ad 750. v. ſupra. Ms. è meis unus habet *natuſque ſuus* ita & Regii editio. Ciofani codex, *natuſque ſimul.* l Imperii molem. 1. v lib. præſentis. m Bellorum initium & cauſa, prætextus ſaltem, avunculi necem ulciſci. Sueton. 10. cap. Aug. n D. Brutum Mutinæ obſederat Antonius. obſidionem levavit miſſus à Senatu Octav. Sueton. 10. c. Florus l. 4. c. 4. o Perperam ab autoribus confundi Pharſalum in Theſſaliâ, ubi depugnatum eſt inter Cæſ. & Pompeium; & Philippos in Thracia, ubi victi Brutus & Caſſius ab Octavio & Antonio, dictum à nobis ad 1. lib. Lucani verſ. 680. p Sextus Pomp. filius Cn. Pompeii Magni, navali pugna ab Octavio victus. Appian. lib. 5. civil. bel. q Cleopatræ non benè cedent nuptiæ cum Antonio, quos *dementes ruinas Funus & imperio parantes*, ad Actium devincet Octav. Aug. Horat. 1. l. 37. ode. Florus l. 4. c. 11. Sueton. 17. c. Aug. Velleius l. 2. Appian. 5. l. Bell. Alex Zonaras l. 2. Dio. l. 51. r Sueton. c. 27. ſ Cenſor. t Tiberium ex Livia Druſillâ uxore, ſed gravidâ impetratâ à Druſo, ſucceſſorem nominis & Imperii creabit. u Moribus, ut interlinearis Ms. mei. addo, pace. felicitate, Virg. 4. Ecl. *Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis Concordes Parcæ* Martial. 4. l. 1. ep. *& hoc vultu, vel meliore nite.* Neque enim ſubſcribo Pontano, cui placet Glareani ſcholion; videri ſcripſiſſe hoc Ovidium, Auguſto nondum conſecuto annum 56. quæ fuit ætas Iulii, quam tamen poſtea ſuperavit, annis 20. Qui enim potuit ſenior eſſe, & æquare tamen annos tantùm?

x Hanc



x Hanc animam interea cæſo de corpore raptam
Fac jubar, ut ſemper Capitolia noſtra, forumque
Divus ab excelſa proſpectet Iulius æde.
Vix ea fatus erat, media cùm ſede ſenatus
Conſtitit alma Venus, nulli cernenda, ſuique
Cæſaris eripuit membris, nec in aëra ſolvi
Paſſa recentem animam, cœleſtibus intulit aſtris.
Dumque tulit, numen capere, atque igneſcere ſenſit,
Emiſitque ſimul: ſimul evolat altiùs illa,
x Flammiferumque trahens ſpatioſo limite crinem
Stella micat, y Natique videns benefacta, fatetur
Eſſe ſuis majora, & vinci gaudet ab illo.
Hic ſua præferri quanquam vetat acta paternis,
Libera fama tamen, nulliſque obnoxia juſſis
Invitum præfert, unaque in parte repugnat.
z Sic magnis cedit titulis Agamemnonis Atreus;
Ægea ſic Theſeus; ſic Pelea vincit Achilles:
Denique ut exemplis ipſos æquantibus utar,
Sic & Saturnus minor eſt Iove. Iuppiter arces
Temperat ætherias, & mundi regna [a] triformis;
Terra ſub Auguſto: Pater eſt & Rector uterque.
b Dii, precor, [c] Æneæ comites, quibus enſis, & ignis
Ceſſerunt, Diique d Indigetes, genitorque Quirinæ
Urbis, & invicti genitor Gradive Quirini,
e Veſtaque Cæſareos inter ſacrata penates.
e Et cum Cæſarea tu Phœbe domeſtice Veſta,
Quique tenes [f] altus Tarpeias Iuppiter arces,
g Quoſque alios vati fas appellare, piumque eſt:
Tarda ſit illa dies, & noſtro ſerior ævo,
Qua caput auguſtum, quem temperat orbe relicto,
Accedat cælo; faveatque precantibus abſens.

x In numerum Deorum, inquit Suetonius, relatus eſt: non ore modò decernentium ſed & perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per 7 dies continuos fulſit, &c. creditumque eſt, animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti, c. 88. & Dio l. 45, Zonaras, alii. y Auguſti. ut v. 750. ſupra. z Sic Horat. 15. ode l. 1. *Tydides melior patre.* a Cœli, ætheris, aëris. namque terræ & maris imperium tenet Auguſtus. *Diviſum imperium cum Iove Cæſar habet.* b Precatione ſimili lib. 1. Georg. clauditVirgilius; *Dii Patri, Indigetes, & Romule, Veſtaque mater*, &c. Necnon Seneca, Conſol. ad Polybiam. & Plin. Panegyr. ad Trajanum. c Vide quæ ad 625. v. l. 13. d Ad v. 608. l. 14. e Sacellum Veſtæ erat in Palatio; cujus in parte Apollini templum excitavit Auguſtus, additâ porticu, cum bibliothecâ. f Al. *Latius*. al. *celſus*. g Cum reſpectu fortaſſis ad numinum Tutelarium nomina vera, quæ ignota eſſe voluerunt, nequando hoſtium carmine evocarentur, Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 9.

PER-

## PERORATIO.

[a] *IAmque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignes,*
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.*
*Cùm volet illa dies, quæ nil niſi corporis hujus*
*Ius habet, incerti ſpatium mihi finiat ævi:*
[b] *Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis*
*Aſtra ferar, noménque erit indelebile noſtrum.*
*Quaque patet domitis Romana potentia terris,*
*Ore legar populi: perque omnia ſecula famâ,*
*Si quid habent veri vatum præſagia, vivam.*

a De ſignaturis quas operibus ſuis adfigunt Poëtæ in Exordiis & Epilogis, lege cenſuram Iulii Cæſ. Scaligeri cap. ult. lib. 5.

b Ingenii fama & nomine.

FINIS.

23.548

Л. 90252

# INDEX RERVM, tum in Autore ipſo, tum in notis ad eum memorabilium.

*Prior numerus, cui character Romanus, librum; alter, cui barbarus ſeu Arithmeticus, verſum deſignat.*

A

AChelǫi cum Hercule certamen IX, 1
Achilles XII, 85
Aconitum I. 147. VI, 139. VII, 411
Actæon III, 192
Adonis. idem qui Oſiris, Attis, Sol X, 726
Æneæ pietas XIII, 625
Æolus IV, 663
Æs in magicis VII, 228
Æſculapius II, 647. XV, 640
Ætates animalium III, 194. 444
Ætna II, 22. V, 353, XIV, 1. XV, 340
Albanorum regum ſeries XIV, 610
Alpheus V, 409. 487. 610
Amaltheæ cornu IX, 87
Amicus. pars animæ VIII, 406
Ammon V, 17 328
Amoris lineæ IX, 560. X, 343
Amphiaraus IX, 408



НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

Amphion traxit lapides VI, 152
Animalia ex corruptione I, 416
Animis linguiſque favete XV, 677
Ante obitum nemo felix III, 135
Anubis IX, 691
Aper Calydonius VI, 415
Apis I, 749. IX, 692
Apollo & Bacchus comati I, 564
Apollo, cur Smintheus XII, 585
Apollo Admeti pavit armenta II, 681
Apollo & Neptunus auxiliares Priamo in condendis Trojæ mœnibus XI, 204
Aqua Nectar VI, 356
Aquila XII, 560
Aquila ſerpentem rapiens IV, 362. 714
Arachne VI. 5
Argo VI, 721
Argus I, 625
Ariadnes corona VIII, 178
Arma miniſtrat furor. V, 82
Aſpis IX, 695
Athenienſium regum ſeries VI, 677
Atalanta Meleagri VIII, 317
Atalanta Hippomenis X, 564
Athenis unde nomen II, 836. VI, 77
Atlas II, 296. IV, 628. 655
Aurea mala IV, 637. 655
Athenienſium tributum 14. è libris VIII, 170
Atys X, 104
Aureum vellus VII, 155
Aurora Pallantias IX, 423. XV, 700







B

Babylon IV, 58
Bacchi tres III, 520
Bacchanalia III, 528. VI, 590. IX, 642
Battus II, 684
Baucis & Philemon VIII, 632
Bœotia III, 13
Boreas VI, 680
Byblis IX, 454

C

Cadmus & Draco. III, 59
Cæneus XII, 459
Cæſaris mors XV, 760
Cæſtuum pugna V, 107
Capaneus IX, 405
Caput velatum, &c. in ſacrificiis I, 382
Carcheſium XII, 326
Cecrops διφυής II, 556
Cenotaphia VI. 568. XI, 429
Centauri XII, 211
Chyron Centaurus II, 632
Cephalus & Procris VII, 666
Cerberus IV, 450. VII, 412
Ceres legifera V, 343
Cervus longævus III, 194
Ceyx XI, 412
Chaos I, 6




НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

Cippus cornutus XV, 565
Circe XIII, 969. XIV, 10. 255
Chimæra VI, 339. IX, 648
Ciſſos X, 199.
Citharœdorum proceſſus in ſcenam XI, 167
Citheron II, 223
Cnidos X, 531
Cœnæ tres miſſus 675
Coralium IV, 744
Coronati in conviviis XI, 92
Cornua hoſtiarum inaurata VI, 162
Corycides nymphæ I, 320
Cunei navis XI, 514
Creta Iovis incunabula II, 407 pro
Cretenſia, Cydonia, Dictea, Gnoſſia, Gortinia VII, 494. VIII, 40
Curæ non ipſa in morte recedunt. III, 504
Curetes IV, 282. VIII, 153
Cybele Turrita X, 696
Cycnus II, 378
Cycnus an fati præſcius canat XIV, 430
Cygni & Achillis certamen XII, 75
Cythorum buxo abundans IV, 310
Cypariſſus X, 106
Cyprus, Ceraſtis dicta X, 223
Cythero X, 529

D

Daphne in laurum I, 472
Dædali alæ, quæ VIII, 221





Delos erratica VI, 186. I, 454
Deliberatio VII, VIII, IX, X, 611
Decumanus fluctus XI, 530
Dentes apri cur fulminei. I, 305. VIII, 289
Deoida VI, 113
Dercetis IV, 45
Dia inſ. VIII, 147
Dictynna II, 442
Dii majorum gentium I, 173
Dii quieti agunt II. 623
Dii conjugales IX, 797
Diluvium I, 261
Diomedes XI, 459
Diſcus X, 177
Doris II, 269
Dulplicata vulnere Niobe VI, 293
Durus IX, 614

E

Ebur oſtro tinctum IV, 332
Echinades VIII, 575
Echo III, 357
Elementa XV, 239
Electrum II, 364
Eleucinia X, 431
Emphaſis X, 422
Erichthonius II, 554
Erigone X, 451
Eriſichthon VIII, 745
Ericina V, 362



НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

Evoe IV, 523. VI, 597
Europa rapta II, 859
Excipit IV, 790

F

FAma XII, 39
Fames VIII, 794
Fax rotata per eundem orbem IV, de Tiſiphone.
Fabulæ è ſacris fontibus I, 211. 260. VIII, 626
Fata, Stoïcè X, 431
Felicitas quæ VI, 155
Fide pro fidei III, 341. VII, 733
Flammeum X, 1
Fulmen triſulcum II, 325
Fluvii cur tauriformes IX, 80. XIII, 895
Fluvii arundine redimiti IX, 3
Fluvii cur anguinei IX, 63
Furiæ IV, 452. 480. X, 349
Formido, linea venatica XV, 475
Funalia XII, 247
Furor, amentia IV, 498
Flamma emicans, boni ominis X, 279

G

GAnymedes X, 155
Gigantes anguipedes I, 151. 18.
Glaucus in Deum marinum XIII, 945
Grajæ IV, 774
Galeæ ἱπποδασεῖαι XII, 88





H

HAlcyones IX, 745
Hamadryades VII, 777
Harpocrates IX, 193
Hecate VI, 74. triceps VII, 194.
Hecate Perſeis VII, 74
Hecuba XIII, 485
Herculis labores IX, 183
Hermaphroditi, Androgyni IV, 374
Herculis ſagittæ fatales ad capiendam Trojam IX, 233
Hecuba in canem XIII, 567
Hippolytus XV, 497
Hippomanes X, 575
Horizon, mare. II, 529
Hoſtiarum frontes coronatæ, cornua aurata VII, 162. XV, 131
Hyacinthus X, 162. XIII, 397
Hyades III, 595
Hydra IX, 69
Hymenæus IV, 758
Hymnus in Bacchum IV, 11

I

IAſonis expeditio VII, 1
Icarus VIII, 195
Ilithya IX, 284
Imago, Idolum, umbra ad inferos delata XI, 62
Impoſſibilium conditiones negant XIII, 324

Inania Tartara XI, 670
Inarime XIV, 89
Indigetes Dii XIV, 608
Inferorum deſcriptio IV, 432
Inſultatio Ironica V, 135
Invidiæ deſcriptio II, 761
Invidiam facere IV, 548
Invulnerabilis XII, 138. 172, XIII, 391
Io, acclamatio IV, 513
Iovis amores & furta VI, 104
Iupiter panomphæus XI, 199
Iphigenia XII, 28
Iris, Thaumantias IV, 480
Iſis IX. 688. 774
Iſthmus Corinthiacus VI, 419
Iurare per caput I. 764
Ixionis ſupplicium IV, 461. IX, 123

L

LAbyrinthus VIII, 157
Lacrymæ in funeribus & inferiis. XI, 669
Latonæ allegor. VI, 315. parturiens VI, 334
Laurus Phœbo ſacra I. 553
Lelegeia mœnia. Megaræ VIII, 6
Lemniades XIII, 400
Linigeri ſacerdotes Ægyptiaci I, 748
Loci honoris, medius, dexter, &c. IV, 754
Luctatores arenâ ſparguntur IX, 35
Lunæ deficienti auxiliari IV, 333, III. 2
Lyram reſonant mœnia Megarenſia VIII, 15
Lyrcea



Lyrcea I, 598
Lycanthropi I, 236. VII, 270

M

MAgia VII, 200. 223. XIV, 405
Mæander II, 246. VIII. 162
Mala inter ſymbola Veneris X, 650
Maleficia per effigies VIII, 522
Mars & Venus deprehenſi. IV, 176
Medea recoquit Aeſonem. VII, 290
filios occidit - VII, 389
Meduſæ allegor, IV, 794
Meleager VIII. 324
Memnon XIII, 580
Mercurius caducifer II, 710. 745
Micylus XV. 18
Midas XI, 95
Minotaurus VIII, 156. IX, 740
Minyæ VI, 720
Miſeranda vel hoſti VI, 276
Mely XIV, 292
Moriens pulſat humum V, 40. 86
Moriens animam cum ſanguine fundit VI, 253
Mors portus à malis IV, 15
Motus violenti & naturales cœlorum II, 70
Multa tellure jacentem VII, 422
Mundi deflagratio I, 256
Mycilus XV, 18
Myrmidones VII, 659
N. Nar-

НБОНУ імені І. І. Мечникова

## N

NArciſſus III, 388
Naufragio interire, mors acerbiſſima XI, 540
Nemeſis III, 406
Neptuni filii, qui immanes XIII, 855
Neptunus, equus VI, 117
Neſtor triſecliſenex XII, 188
Nilus II, 254
Niobe VI, 158
Noctua II, 595
Nomina mutant in Deos relati IV, 541
Nubere de viro I, 700
Numa XV, 4
Numerus impar VII, 262. XIV, 387
Nuptiæ inauſpicatæ VI, 428. X, 4
in Nuptiis ara & ſacra V, 37. IX, 797. XII, 258
Nuptiæ tribus modis fiebant VII, 54

## O

OCeanus & Tethys cani II. 510
Oculi in amore duces III, 440. XIV, 373
Oculi in morte natantes V, 71
Oculos morientium claudebant proximi IX, 391
Oculos jam morte gravatos tollere vocati ſolent IV, 145
Orcus capax omnium IV, 439
Ore legunt animam VII, 870. XII, 425
Orgia. vide Bacchanalia





Orpheus X, 3. XI, 1
Ortygia Syracuſana V, 495
Oſiris IX. 694
Oſſibus ora confudit V, 58
Oxymoron III, 5. VII, 341. VIII, 477

## P

PAlladis feſta canephoria II, 714
Palladium XIII, 337
Pan amat Syringa I, 690
Panos certamen Muſicum cum Apolline XI, 156
Panchaia X, 309
Parnaſſus
Paſiphaë *vide* Minotaurus
Pegaſus fontem pede elicuit V, 257
Peleus & Thetis XI, 239
Pelias à natabus cæſus VII, 300
Pentheus III, 512
Perſeus IV, 611
Peſtis VII, 528
Phaëthon I, 752. II, 1
Phaëthontis ſorores II, 340
Philemon & Baucis VIII, 632
Philoctetes XIII, 45
Philomela, Procne, Tereus VI, 420
Phineus VII, 3
Phlegræi campi X, 151
Phryxus, *vide* aureum vellus
Phœnix XV, 392
Picæ V, 669



НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

Pierides in picas à muſis victæ V, 300
Pilæ ad irritandas feras in arenâ XII, 104
Pirithoi nuptiæ XII, 20
Plejades III, 595
Plutonis equi V. 402
Polydorus XIII, 433
Polynices IX, 406
Polyphemus XIII, 760. XIV, 180
Polypus IV, 366
Polyxena XIII, 448
Poma, baccæ IV. 88
Portus arte factus XI. 730
Potens, voti compos VIII 66. 80. X, 604
Procris & Cephalus VII, 695
Profani arcentur ſacris VII, 256
Prometheus I, 364
Pronuba IX, 763
Proſecta XII, 152
Proſerpina V, 438
Proteſilaus XII, 67
Proteus VII, 735
Pugna tumultuaria V, 4. XII, 350
Pygmalion X, 243
Pyramus & Thisbe IV, 55
Pythagoras XV, 60
Python I, 438

R

RAmus aureus XIV. 114
Rhodus IV, 204. VII, 367





Rubor verecundus III, 183

S

SAcra, ut Diis inferis fiant VII, 244
Salmacis fons IV, 285. 385
Salutatio fanorum, ararum. &c. VI, 327.
Deorum I, 320. III, 24
Scylla Niſi VIII, 17
Scylla Phorci XIII, 750. XIV. 60
Seculum XII, 188
Sedes ſcelerata IV, 456
Semeles & Bacchi allegor. III, 310
Serpens III, 37
Serpens poſitâ ſenectâ novus IX, 267
Serpentis dentes miſſi partim ad Aeten III, 105. VII, 122
Serpens cuſtos aureorum malorum. IV, 647
Sibi quiſque eſt Deus VIII, 72
Sibylla XIV, 104
Siniſtra & dextra pars cæli, II, 841
Sirenes V, 552
Siſtrum IX, 785
Sol oritur & occidit mari II, 68
Solis regia II, 1
Somni regia XI, 592
Somnia IX, XI, 633
Stella cadens II, 321
Striges VII, 270
Styx Deorum timor & jusjurandum II, 45. III, 290



НБ ОНУ імені І. І. Мечникова

Styga non tranſvehuntur inſepulti IV, 435
Stylus ferreus IX, 523
Sudat marmor VI, 312
Supplicia inferorum IV, 457
Symplegades VII, 62
Syncopationes VIII, 500
Synecphoneſis I, 150

T

TAges XV, 553
Tanarus X, 13
Taurus an Iovi mactetur IV, 755
Tedæ IV, 60
Telæ deſcriptio VI, 54
Telephi vulnus & auxilium XII, 112
Temeſæa æra VII, 208
Tempe I, 569
Tempeſtas XI, 500
Terra navigantibus recedere videtur VI, 512. XI, 468
Thebæ III, 12
Themidos oraculum I, 321
Theologica fab. I, 89. 151. 211. 260. XII, 34
Theſmophoria V, 343
Theſeus VII, 405
Thetis XI, 221
Tithonus IX, 423
Tireſias III, 303
Torus VIII, 657
Tridens Neptuni VIII, 596
Trieterica VI, 587





Triptolemus V, 646
Triton I, 333
Tritonia II, 785. VI
Trivia II, 417
Typhon III, 303. V, 321. 348
Tyrrheni Lydis, & Mœoniis oriundi III, 5. 83

V

VElamina ſupplicum oleagini rami vittis laneis obvoluti. XI, 280
Venus cum Marte deprehenſa IV, 178
Venus ἀφροδίτη IV, 538
Vertumnus XIV, 642
Verbena VII, 243
Veſtes diſcindere in dolore uſitatum XI. 681
Victoria dubiis volitat pennis VIII, 13
Vitta V, 110
Vlyſſis cum Ajace contentio. XIII, 1
Vlyſſis errores & ſocii in beſtias. XIV. 222
Vota quæ irrita cupiebant, ventis tradebant X, 64

Z

ZOnæ

НБ ОНУ імені І.І. Мечникова

Theb
Them
Theol
Theſi
Theſe
Thet
Titho
Tireſ
Toru
Trid
Trie

23548

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

Schodrzeycki

D/13

Za panowania Jagiełłów co się przydało do upadku Kraju.

Franciszek Schöler

Thel
Ther
The
The
The
Th
Tit
Tir
Tov
Tr
Tr
Tr

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

3